BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
B
26
NAPOLI

~~129.43~~

RERUM
IN ORBE
GESTARUM
poſt tempora
CAROLI IV.
uſque ad obitum
GUSTAVI ADOLPHI
COMMENTARIUS.

Exhibens Hiſtoriæ Civilis

TOMUM II.

Cum indice rerum memorabilium.

NAPOLI



FRANEQUERÆ;
Apud HENRICUM AMAMA, & ZACHARIAM TÆDAMA, 1692.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, & Spectatiſſimo

VIRO

D. WILHELMO AB HAIREN

PRÆTORI BILTANO, AD COLLEGIUM CELSORUM POTENTIUM BELGII FOEDERATI ORDINUM DELEGATO; ACADEMIÆ FRANEKERANÆ CURATORI. MULTIS PRO REPUBL. LEGATIONIBUS ET DIGNITATIBUS GESTIS CLARO.

ULRICUS HUBER S. D.

QUod vix mihi, fortuitis eluſo abſentiæ veſtræ meiſque impedimentis, in Friſiâ certe nondum licuit, ut Tibi coram, *Vir Nobiliſſime*, felicem ex *Suedicâ* Legatione reditum gratularer, id hiſce literis & hoc libro internuntio faciendum exiſtimavi. Ma-

gnum publici de tuâ ſapientiâ judicii argumentum eſt, quod inde à viginti annis, etſi longius initium ſit, nemo alius ad externas belli pacíſque causâ Legationes *quam Tu*, quod ego quidem recorder, ab *Illuſtribus* Friſiæ Ordinibus adhibitus eſt: Non quod alii prudentiâ, doctrinâ, facundia, dexteritate res agendi è Procerum ordine deficerent; verum quod neminem ante te, non modo ætate, ſed nec iis animi dotibus, quæ ad tam excellentem functionem requiruntur, Patria quem potius produceret, habere videbatur. Bene eſt, quod te divina Providentia, tot exantlaris, ut vere dicam, laboribus itinerumque periculis ſalvum & incolumem Reipublicæ præſtitit; eaque te peregrinationibus, ut auguror, aliquando defunctum in ſummâ ſpeculâ, dum hæc gravis terrâ marique tempeſtas deſæviat, auctore Principe, laudantibus cunctis, quaſi vigilem collocavit. Tam clari nominis inſcriptione ſecundum hoc volumen Hiſtoriæ civilis, (primo, quem unicum fore credideram, in Academiæ & Auditorii mei uſum ſepoſito) viſum fuit honeſtandum: Apparatu quidem & habitu externo illu-

ſtribus

ſtribus viris parum convenientem, ſed materiæ nobilitate, varietate ac utilitate Tibi vir Nobiliſſime Tuique ſimilibus non ingratum, ut ſpero, futurum Si quidem operam dedimus, ut in compendio rerum orbe toto per tria fere ſecula geſtarum non ſolo epitomatoris officio ſuccinčte & perſpicuè fungeremur, ſed etiam aliquid inſtruendo Lectoris judicio & eruditæ delectationi de noſtro conferremus; nec ineptus ero, ſi in his arctis pellibus, quæ in magnis aliorum voluminibus deſiderentur, inventum iri prædicavero. Quod jam nonnullis qui hæc obiter inſpexere Viris primariis ita viſum eſſe, tum demum lætabor, ubi nec Tibi hanc operam diſplicuiſſe noſtram, ſi tanti erit, intellexero. De rebus etiam *Friſiæ* noſtræ prolixius aliquanto quam alioqui fert hujus inſtituti modus in locis ſuis agendum putavimus. Etſi enim ad univerſitatem Hiſtoriæ orbis Terrarum gens noſtra parum momenti conferre videatur, haud ægre tamen, à Lectore nobis aliquid indultum iri hac parte præſumſimus. Inprimis cum eſſent talia, de quibus nec vulgo ſatis conſtare credimus, nec quæ tædium utilitate ſui vel prolixitate

legenti parere poſſent. Denique, popularibus noſtris hanc opellam, quo minus aliis Scriptoribus Friſica curæ ſunt, eò magis deberi putavimus. Libertatem tali Patriâ dignam & Hiſtorico neceſſariam heic & alibi ita exercuimus, ut tamen nemini juſtam offenſionis cauſam præberi, uſu veniſſe credamus. Sed ego in precibus deſinam; Deus Rempublicam & te Vir magne, Reipublicæ diu ſervet incolumem. Franek. Nonis Juliis cIↄ Iↄc xcII.

Inſtitutionum Hiſtoriæ Civilis

TOMUS II. LIB. I.

Qui eſt à Carolo IV. ad exitum Caroli V.

SECTIO I.

A tempore aureæ Bullæ, ad ſtabile Imperium domus Auſtriacæ, ab anno 1356. ad annum 1438.

CAP. I.

Quo univerſus Europæ ſtatus hujus temporis exhibetur.

ANtequam pergamus, operæ pretium fuerit, ſtatum Europæ, qui fuit circa annum 1356. obiter contemplari. Summa dignitas Imperii Romani penes Germanos, vis & poteſtas omnis jam pridem extincta erat, artibus Pontificum & Epiſcoporum, nec minus ſponte Principum Imperii: quibus omnibus ſuæ potentiæ cauſa id unice à temporibus Othonum fuit propoſitum, idque tandem adſecuti ſunt, ut Imperator eſſet magni potius & fœderati corporis Præſes, quam

caput ſupremum unitæ Gentis. Hujus fœderis ſingula membra ſummam habebant poteſtatem ac independentem, exceptis iis rebus, quæ pacis & ordinis cauſa univerſitati delatæ adſcriptæque ſunt. Cum quo fœdere ſatis conſtat, nihil eſſe in omni antiquitate quod comparari poſſit, magnitudine certe & ordinis diſciplina, etſi apud Græcos Amphictyonicum & Achaicum inſtitutum aliquid ſimile præ ſe tulerint.

2. Atque is ordo à Germanis aliquot ſeculis elaboratus, cum facti potius quam juris eſſet, hoc anno per *auream bullam*, quæ dicitur, operam dante Carolo IV. ſtabilitus formam juris publici accepit. Quæ inſtitutis ad pacem inter Ordines colendam diligenter exculta, ad Imperium bellis externis augendum & veteres Imperii reliquias vi armorum cuſtodiendas aut recuperandas inepta fuit; quemadmodum Imperatores à longo jam tempore curam augendi Imperii penitus omiſerunt. Id tamen opera data eſt, ne Cæſares tam pauperes, quam aliquando fuerant, eligerentur, ſed tales qui ſuis ſumptibus Imperii dignitatem ſuſtinere poſſent. Planè is Status fuit Germaniæ, qui nec exteris terrorem incuteret nec eoſdem timeret, cum nulla poteſtas in Europâ, quæ ingens hoc corpus bene junctum convellere poſſet, extaret.

3. Italia, quæ propria Imperii eſſe deberet, Imperatores nomine tenus duntaxat agnoſcebat, tota in Reſpublicas & Principatus liberos nullo fœdere perpetuo junctos diviſa, quibus id unum

ſtudium,

ſtudium, ne qua Poteſtas vires ſuas ad alterius in Italia oppreſſionem augeret: quem ſtatum Pontifices imprimis curæ habuerant, ut, ejectis Germanis, Italia ſibi vindicaretur. Quod ſi continuaſſent iiſdem artibus, quas Hildebrandus aliique adhibuerunt, facile totam Italiam, ut de magna parte fecerunt, in poteſtatem redegiſſent; unde vim Majeſtatis ſuæ per omnem Europam, etiam in temporalibus, diffundere potuiſſent, ut erat tum temporis cæca populorum ſuperſtitio & craſſa Principum aulicorumque ignorantia. Sed luxu & ſchiſmatibus ſuis non modo illas occaſiones potiundi jure temporali univerſo amiſere Pontifices; verum etiam populorum venerationem, reſpectu ſacrorum, notabiliter imminuerunt, etſi juſto longe majorem conſervarunt. Sicut autem Itali, diviſâ potentiâ, æque ac Germani ad externas acquiſitiones inepti facti erant, ita cum fœderis communis ſocietatem nullam haberent, ab externis invaſionibus haud æquè immunes eſſe potuerunt. Ab his igitur ſingulis gentibus reliquæ Europæ nihil erat metuendum.

4. Nec magis quicquam ab Hiſpania, ubi Legionis & Caſtiliæ Reges, cæteris longè prævalebant, ſed adverſus Mauros plus erat negotii, quam ut contra ſe invicem plerumque, vel adverſus exteros quicquam moliri poſſent; præter quod is eſt Hiſpaniæ ſitus, tam modica Regum & potentia, ut ad magna, inprimis externa bella difficulter expedire ſe queat; ſi quidem in eum finem abſoluta poteſtate opus eſſe conſtat.

 5. Galliæ

5. Gallia in Europæ meditullio ſita facile equidem in omnes partes ſe vertere poterat; ſed tunc in eo ſtatu erat, ut nulli vicinorum eſſet metuenda. Intus enim Britannia & Aquitania, Provincia, Burgundia proprios habebat Dominos, & Angli pluribus in ipſa Gallia ditionibus potientes illis graviter incumbebant, eoque ipſo tempore Galliæ Rex in Angliâ captus detinebatur; denique, ipſi inteſtinis & externis conflictati malis, miſerabiles potius, quam terribiles erant.

6. Angli in Inſula omnium rerum abundante ab externis nihil metuentes, (Scoti enim moleſtiam magis quam periculum creabant,) in hoc erant, ut in Galliis olim amiſſa recuperarent. Ideoque in ſtatu belli perpetuo cum Gallis conſtituti, virtute illos & ratione plerumque ſuperabant; paratum ſemper in regni interiora, quando complures ipſi maritimas tenebant provincias, ingreſſum habentes.

7. Septentrionales populi, qui primo olim terreſtribus, deinde maritimis expeditionibus omnem Europam horrendis cladibus adflixerant, jam pridem ſuis rebus contenti nihil foris movebant. Quanquam ſi unio trium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ, de qua *inferius*, coaleſcere potuiſſet, motus illorum populorum, ſi vetus ferocia rediiſſet, magni in reliqua momenti eſſe poterat: Maximè, quia tum nullius populi res navalis, in belli uſum invaluerat.

8. Polo-

8. Polonia tum necdum unita cum Lithuania, Ruſſique & ulteriores populi à rationibus cultioris Europæ adhuc fuerant alieni, & Hungari cum Turcis colluctabantur; Horum autem vim Græci minime ferentes, magis indies magiſque ad interitum vergebant. De ſingulis ordine conſueto, ſuccinctâ brevitate pergemus. Ut quorundam etiam res populorum, de quibus adhuc fuit ſilentium, crebreſcente materia, admiſcendæ veniant.

9. In univerſum vis & poteſtas Principum in ditiones ſuas minime tanta erat, quantam deinde vidimus factam. Verum ab hoc tempore cauſa hujus mutationis naſci cœpiſſe videtur, *deſuetudo militiæ feudalis*, quæ magnis Principibus hoc quidem adferebat commodi, quod celeriter exiguo ſumptu inſtructos haberent exercitus: Sed cum milites à vaſallis magis quam ab Imperatoribus aut Regibus dependerent, non poterant illis aut populis, utlibitum, imperitare. Quâ re factum, ut mercenario milite paulatim uti cœperint, populoſque ad immenſas contributiones per & propter illos ſubegerint.

CAP. II.

De exitu Caroli IV. Wenceſlao, Roberto, & Sigiſmundo Imperatoribus.

CArolus IV. per annos 31. geſſit Imperium mortuus anno 1378. cui Maximilianus Imperator hoc dedit elogium, *peſtilentiorem illo peſtem nullam contigiſſe Germaniæ*, non quod Nero aliquis aut Halogabalus fuerit; ſed quia prava ambitione, quo ſibi Imperium & *Wenceſlao* filio ſucceſſionem ab Electoribus impetraret, non modo pecunias largitus eſt; ſed quicquid juris & redituum Cæſaribus in terris Imperii adhuc ſupererat, omnia emancipavit largiendo & vendendo. Quas alienationes ipſo jure nullas, Electores ſibi deinde *capitulationibus* quas vocant, reliqui exemplo, tempore potentiâque adſeruerunt, ut Imperatori exinde nihil amplius ad tuendum Imperii decus, quam de proprio patrimonio ſuperfuerit.

2. Imperante Carolo, *Helvetii*, nunc ab exiguo pago dicti *Sweitſeri*, qui ſe primo, ob injurias præfectorum, Auſtriacis Ducibus ſubtraxerant, anno 1307. fœduſque inierant octennio poſterius, conjunctis dein *Tigurinis* & *Bernatibus*, qui facile pagorum principes exinde ſunt habiti, arctius & latius ſunt fœderati.

3. Hanſeaticum fœdus eodem fere tempore contractum & novis ſenſim acceſſionibus auctum, omnem fere mercaturam & maritimæ rei uſum ſibi

ſibi vindicavit, Regibus & Principibus huic rei, ut infrà ſe poſitæ, operam non dantibus. Donec animadverſo, quantum ea res potentiæ inſtrumentum haberet, aliter conſuluerunt; unde poſtmodum Hanſeaticæ decrementa ſocietatis, cujus reliquias Hamburgum magnificè, cum paucis, etiamnum tuentur.

4. WENCESLAO Caroli IV. filio & ſucceſſori nihil honeſti inerat; quando crudelem & efferatum ſe præbuit, à Bohæmis ſuis aliquoties captus & elapſus, ſe ipſum ac Imperii decus indignè proſtituens omniaque negligens, ut Electores eum Imperio excidiſſe meritò declaraverint, *anno* 1400.

5. Inſignitum eſt ejus tempus inventione pulveris nitrati & *bombardarum* quas vocant, auctore monacho quodam Germano; Primi illis uſi dicuntur Veneti, in bello contra Genuates, *anno* 1380. ut plerique ſcribunt, inter alios Petavius *lib.* 9. *Rat. c.* 5. Etſi Mezeræus in prælio ad Creſſiacum, Anglos habuiſſe quatuor aut quinque bombardas, *anno* 1346. teſtatur in *Philippo Valeſio.*

6. Wençeſlao ſubſtitutus eſt ROBERTUS Palatinus, qui per decennium juſte, prudenter & tranquille imperavit, ſed in Italiam ad vindicanda Imperii jura profectus nihil profecit. In fata conceſſit, *anno* 1410.

7. Electus eſt deinde SIGISMUNDUS Caroli IV. filius & Wenceſlai adhuc viventis & Bohæmiæ Regis frater, eoque mortuo ipſe Bo-

hæmorum rex, & per uxorem *Mariam* rex Hungariæ factus. Tam latè imperans, quam alius nemo poſt Carolum Magnum, inde à Rheno uſque ad pontum Euxinum, Tamen, etſi florentes erant populi quibus imperitabat, ipſe tamen opibus non abundavit, ut accidit his, qui liberis populis præſunt. Vir fuit prudens, probus & religioſus; Belli tamen gloriam non acquiſivit, Eccleſiaſticis magis deditus ſarciendæque paci inter Reges & Papas ac antipapas, eâque gratia non modo per legatos, ſed & ipſe Italiam, Galliam, Hiſpaniam atque Britanniam adire voluit, de Imperiali majeſtate cum Religionis ſtudio tranſigens.

8. Tandem in concilio Conſtantienſi, *Johannem Huſſum* Bohæmum, qui publicâ ipſius fide, quam ſalvum conductum vocant, munitus venerat ad Concilium, paſſus ſuplicio, quod *infrà* memorabitur, adfici, grave bellum à Bohæmis ſuſtinuit; Qui duce *Johanne Ziska* mortem *Huſſi* ſuamque libertatem pluribus victoriis vindicarunt, nec quidem mortuo Ziſca, qui de cute ſua, terrendi hoſtis causâ, tympanum fieri juſſit, edomari potuerunt.

9. *Sigiſmundus* Imperiale diadema nonniſi *anno* 1432. ab Eugenio Pontifice accepit, & ſexennio poſtea, ætatis 70. fatum implevit *Zenaimi* in Maravia, conjectâ prius in cuſtodiam Barbarâ uxore, quæ de viri ſalute deſperans inierat conſilium nubendi Ladiſlao Poloniæ Regi & Eliſabetham filiam Alberto Auſtriaco nu-

ptam

ptam excludendi. Excuſſa conſiliis impiis deim impudicè indigneque vitam in Bohemiâ uſquè ad annum 1450. exegit. *Vid. Naucler. Cuſpinian. in vit. Imp. Sigiſm.*

CAP. III.

De rebus Italicis

IN Italiâ tum temporis Imperatorum ſecurâ quatuor maximè poteſtates vigebant, Pontificis, Neapolitani Regis, Mediolanenſis Ducis, & Venetorum, præter Genuenſem, Reipubl. De Pontificibus in *cap. de rebus Eccleſiaſticis* agetur. Regnum Neapolitanum poſt obitum Johannæ tenebat *Carolus* Dyrrhachinus, de cujus rebus geſtis diximus & de exitu *inferius* agetur.

2. Filius ejus LADISLAUS anno 1386. in locum Patris ſuccedens, poſt irritum in Hungariâ conatum, de quo *inferius*, perpetuis adverſus Pontifices turbis conflictatus eſt, *Anno* 1414. extinctus morbo, quem contraxerat è concubitu puellæ Florentinæ, cujus pudenda pater medicus veneno, ut plerique tradiderunt, infecerat.

3. Succeſſit ei ſoror JOHANNA, quæ laſcive agens innupta, maritum ſumpſit *Jacobum Borbonium* Marchiæ comitem, eâ lege, ut ipſa Regium nomen & jus ſola retineret, ille Principis Tarentini dignitate contentus eſſet. At cum illa vagis amoribus nōn abſtineret, *Jacobus* rerum arbitrium ſibi vindicavit, Johannam domi

concludens. Sed illa diſſimulans iram variis artibus eò rem brevi deduxit, ut Virum in carcerem conjecerit Unde poſtea dimiſſus, in Galliam regreſſus, ſe abdidit in monaſterium, miſerorum aſylum.

4. *Johanna* variis inde turbis agitata, cum regni feudale jus à Martino Pontifice ipſi ademptum in *Ludovicum* Andegavenſem tranſlatum eſſet, ipſa *Alphonſum* Arragoniæ & Siciliæ Regem adoptavit. Qui cum in auxilium ejus veniſſet, eique diffidens ipſam in poteſtatem redigere conatus eſſet; hæc *Ludovicum* hoſtem, abdicato Alphonſo, adoptavit, auxilioque Philippi Mediolanenſium ducis, Alphonſum è regno ejecit.

5. Ludovico autem anno 1434. & anno ſequente *Johanna* mortuis, cum illa heredem, ſed falſis, ajunt, tabulis, *Renatum* Ludovici fratrem feciſſet, Alphonſus rediit: verum à Philippo Mediolanenſe, qui Renato favebat, captus, at rurſus honorificè dimiſſus, poſt plurium annorum bella, Neapoli urbe, per aquæductum, qui olim Belliſario in illam aditum præbuerat, captâ, pulſo Renato, potitus eſt regno, *anno* 1442. *Auctores excerpti à Beſoldo de Regib. Sicil. & Neap. c.* 6. *&*. 8.

6. Hactenus de Neapolitanis. Quod ad cæteros attinet; Submotis ex Italia Germanis Imperatoribus, præcipuæ Civitates tyrannis ſuccubuere, Verona Scaligeris, Carrariis Patavium, Eſtenſibus Ferraria, Mantua Gonzagis, Vicecomites potiti ſunt Mediolano; è quibus *Johannes Galeatius*, ſublato Barnaba patruo liberiſque

riſque ejus excluſis, Ducis titulum à Wenceſlao dati pecunia impetravit, anno 1380. qui dein præter Inſubriam occupavit Bononiam, Senas, Peruſiam, Piſas, Veronam quoque & Vicentiam obtinuit, reliquæ jam imminens Italiæ. Sed poſt ejus mortem Veneti Veronam *Scaligeris*, Patavium *Carrariis* ademerunt, *Piſæ* à Florentinis ſubactæ ſunt: Unde longæ turbæ.

7. Johanne Mariâ Galeatii filio, ob crudelitatem interfecto, *Philippus Maria* ſucceſſit anno 1415. qui Genuenſem Rempubl. ditionibus ſuis adjecit. Hic liberis carens legitimis filiam naturalem elocavit *Franciſco Sfortiæ*, filio alterius Sfortiæ, militum ducis. Sciendum enim, cum Italia ſe procul ab *armorum ſtudio* alienaſſet, extitiſſe *Albericum* Cunii Comitem, qui conductis & exercitis militibus à ſe dependentibus, operam ſuam populis & Principibus locabat, è cujus ſchola prodiere *Braccius & Sfortia*, qui hoc inſtitutum prementes magnam in omni Italia potentiam adepti ſunt: adeo ut Sfortiæ filius ipſo ducatu potitus ſit Mediolanenſi, ut *infra* videbimus. *Naucler. Bandolph. Palmer. &c.*

CAP. IV.

De rebus Galliæ uſque ad bellum Anglicanum.

DUm *Johannes* Rex captivus, ſed honorificentiſſime habitus, in Angliâ agebat, dici non poteſt, quantis malis Gallia cum inteſtinis, tum externis per quadriennium adflicta fuerit; poſtremo *Eduardus* Anglus cum exercitu C. millium conatus omnia ſubigere, cum nullam urbem capere potuiſſet, tandem pax *Britiniaca* facta eſt, per quam Anglus omnem oram maritimam, præter Normandiam (Britanniâ ſuos habente duces, dependenter à Coronâ Galliæ) accepit, cum tribus auri millionibus, ſumma tum temporis immenſâ, pro lytro Regis; qui reverſus in regnum anno 1360. rediit in Angliam anno 1364. ſive amoris feminei causâ, ut Angli volunt, ſive ut filii obſidis abitum clandeſtinum excuſaret, ut Mezeræus, ibique vitam cum morte commutavit anno æt. 52. regni decimo expleto, cum 8. menſibus. Princeps licet infelix, à ſuis & hoſtibus ob generoſitatem amatus & cultus.

2. Filius ejus CAROLUS V. ſapientis cognomen tulit, quod plura conſilio quam manu adminiſtraverit; hic, cum primum per civiles turbas potuit, pace Bretigniacâ, prætextu commiſſorum hoſtilium, ruptâ, non tantum Eduardo bellum indixit; ſed quaſi vaſallus adhuc eſſet Franciæ, ditiones ejus omnes in Galliâ ſitas ſententiâ latâ publicavit, anno 1499. 3. Non

3. Non parùm animi ad hæc addebat *Carolo*, quod *Eduardus* ſenex, filius ejus, *niger Princeps* hydropicus eſſet. Ipſi præter *fratres* ſatis martiales, *Gueſclinus* Comes Stabuli aliique duces egregii, Anglicæ ditiones tranſmarinæ in longitudinem Galliæ prætextæ & patentes, populi Anglis infeſti ob ſuperbiam & exactiones. Ita pars magna ditionum Anglis primo triennio adempta: Summis præliis cum Anglo non certabat, Sed vexationibus lentis eos conſumebat, eoque res rediit, ut Eduardo, poſt filium, Heroem *Nigrum*, mortuo anno 1377. Anglis nil ſupereſſet, præter Caletum, Burdegalam, Bayonam & Cherburgum in Normandiâ. Britanniam, cujus dux erat ſocius Anglorum, ſubigere tamen non potuit rex ſapiens, ei conatui immortuus anno ætatis 44. regni ſui 7. Chr. 1380.

4. Filium reliquit CAROLUM VI. minus 12. annos natum, cujus initia tumultibus inteſtinis, dum Angli induciis & domeſticis turbis detinebantur, occupata fuerunt. Inter quæ fuit bellum Flandricum, inter Ludovicum Malenſem Comitem & Gandenſes aliaſque civitates, inauditis ultro citroque cladibus funeſtatum, de quibus multa memoranda *Pontus Heuterus*, quæ heic à nobis excerpi non poſſunt. Ludovico à Malen mortuo, anno 1484. ſub ejus genero Philippo Burgundiæ duce res paulatim compoſitæ ſunt. Atque is, utrique Burgundiæ conjunxit Brabantiam, Flandriam & Arteſiam, quæ eſt magnitudo prima *Domus Burgundicæ*.

5. Anno

5. Anno 1392. Rex adverſus Britanniæ ducem cum exercitu iter faciens magno calore æſtatis, fortuitis quibuſdam territus, in phreneſin incidit, è qua reſtitutus cum eſſet, anno ſequenti malum recruduit, tali modo; Agebantur choreæ perſonatorum hirtis veſtibus indutorum, quos inter ipſe rex. Incenſis caſu ſaltantium veſtimentis, combuſti tres flammis, rex ægrè ſub ſtolâ fratriæ ſuæ ſervatus iterum inſaniit, quod malum per intervalla totam ejus vitam occupavit.

6. De regni adminiſtratione certabant *Philippus* Burgundiæ dux regis patruus, & *Ludovicus* Aurelianenſis frater regis, cui addicta erat Regina *Iſabella* Bavara, non abſque ſuſpicione adulterii. Philippo in Brabantia mortuo, anno 1399. *Johannes* ejus Primogenitus, cui præter utramque Burgundiam ceſſerat Flandria & Arteſia, ſucceſſit in contentionem cum Aurelianenſi, quam hujus cæde Pariſiis noctu perpetratâ barbarico auſu finivit *anno* 1407. 23. *Novemb.*

7. Potentia hominis & regis imbecillitas fecit, ut non modo abolitionem criminis, ſed & regni adminiſtrationem occuparet, collecto plebis favore ex odio tributorum, quæ adverſa pars cumulaverat. Rei tamen indignitas & invidia brevi factionem validam adverſus eum excitavit, cui à Comite Armagnaco, Aurelianenſium Patrono, nomen Armaniacorum fuit. Inter quas partes concordia aliquoties ſancita, rupta; ac inde confuſio multa pluribus annis.

CAP.

CAP. V.

De bello Anglo Gallicano

HArum occaſione turbarum civilium, Angliæ Rex *Henricus V.* bellum tulit in Normandiam, unde Harfleurio multâ ſuorum jacturâ capto, variiſque adactus incommodis Caletum ſe recipiebat. Galli quadruplo Anglis plures, adſecuti illos *Azincourtii* in Picardiâ, ad Prælium, etſi paratos quaſvis ſubire conditiones, compulere. Sed præcipiti confuſione ſuâ victi ſunt Galli, amiſſis ſex millibus & multis, illuſtribus captivis anno 1415.

2. Interim Factiones *Armaniacorum* & *Burgundorum* non minus quam Angli lacerabant Galliam; Normandia, poſt aſperrimam Rhotomagi obſidionem, ceſſit Anglis *anno* 1419. Remedium adverſus exteros erat pax inter Delphinum *Carolum* (qui duobus fratribus Ludovico & Johanni fraude ſoceri ſui *Andegavenſis* veneno ſublatis, ſucceſſerat) *Armagnacis* faventem & Johannem Burgundum, jamque Pax coiërat firmanda in ponte Monterellenſi. At in eo Delphinus ab Aurelianenſibus vindictæ cupidis impulſus, Burgundum ſe flexis genubus venerantem confodi juſſit 18. *Auguſti anno* 1419.

3. Hoc facinore non modo *Philippum* Johannis filium, omnes Principes & civitates Burgundicæ factionis, ſed etiam parentes ſuos, Reginæ ipſi pridem infeſtâ, alienavit. Convenerunt Rex, Regina,

Regina Franciæ, Rex Angliæ cum Burgundo Trojæ in Campaniâ, ubi Catharina Francica nupſit Henrico Anglo, qui ſic Francici heres regni agnitus & Regens declaratus eſt, cum unione Franciæ & Angliæ ſub uno Rege, ſalvis utriuſque legibus. At Delphinus ſententiâ Curiæ Pariſienſis ſucceſſione declaratus indignus, appellavit ad Deum & gladium ſuum; magnâ parte regni Procerumque ſe illi adjungentibus.

4. Sed Henricus Angliæ Rex immaturâ morte brevi poſtea ſublatus eſt *menſe Auguſto* & Galliarum Rex *Carolus* eum menſe Octobri *anno* 1422. cum imperaſſet annos 42. vixiſſet 52. ſequutus eſt. Filius Henrici Angli, cognominis, rex Galliæ proclamatus eſt, omniaque fere à Scaldi ad Ligerim Anglis parebant. Reliqua trans Ligerim adhuc Carolo adhærebant.

5. Verum Angli, duce *Betfordio* regis patruo, Britanniæ & Burgundiæ Ducibus ſtipati, Gallos Scotis & Italicis firmatos auxiliis magnâ pugnâ vicerunt ad *Vernolium*, Carolumque adeò in arctum redegerant, ut vulgo *Rex Biturigum* appellaretur; donec primo Britanniæ dux ab Anglis ſeceſſit, dein & Burgundus ageret remiſſius, eò quod frater Bedfortii, Dux Gloceſtriæ, duxerat in uxorem *Jacobam* Bavaram *Hollandiæ* & Hannoniæ Comitem, filiam Alberti, qui ſecundo genitus erat Ludovici Bavari & *Margaritæ* Comitis Hollandiæ, de quâ *ſuprà*.

6. Hæc prius legitimè nupta fuerat Philippi conſobrino *Johanni* Brabantiæ duci, quam tamen

rurſus

rurſus amittere Gloceſtrius, & Jacoba coacta eſt *Philippum* heredem ſuum declarare, qui hoc ipſo ditiones ejus occupavit, iiſque brevi junxit Comitatus Zutfaniæ & Namurci emptos à Comite *Theodorico*, biennioque poſt acquiſivit Brabantiam, & Limburgum per ſucceſſionem Philippi Ducis conſobrini ſui, qui poſt Johannem fratrem illos ſine liberis poſſederat. Ita domus Burgundica regiam potentiam conſecuta eſt; Philippus anno 1420. cum duceret in uxorem Iſabellam Johannis I. regis Portugalliæ filiam inſtituit ordinem *Aurei Velleris*.

7. Quanquam autem à Burgundo minor hac causâ vis in Carolum incumbebat, omnia tamen Anglis proſpera, ipſi adverſa eveniebant, ut vix jam Regis Biturigum nomen tueretur & de ſeceſſu in Delphinatum conſultaret: Duntaxat Aurelianenſis eventus obſidionis expectabatur.

8. Rebus deſperatis, ecce puella, cui nomen *Johannæ* è quodam Campaniæ vico, minor annis 20. præ ſe fert mandatum cœleſte, liberandi Aureliam & curandi Regem in urbe Rhemorum inaugurari. Placuit uti remedio, ut in deſperatis, inſolito. Aurelia ductu virginis liberatur, Angli coram illa nuſquam ſubſiſtunt. Rex inde per media hoſtilia ducitur Rhemos & coronatur, anno 1429. His peractis, ratio erat, ut puella mandatis functa ſe reciperet, ſed auſcultavit aliorum hortamentis & ſuo periculo bellum continuavit, habitu virili, in quo capta ab Anglis, ut ſaga venefica, Rotomagi viva combu-

ſta eſt anno 1431. prædicens Anglis ſuper rogum vindictam divinam.

9. Sed dum hi Regem ſuum Henricum VI. Lutetiam Pariſiorum adductum duplici corona illic in templo Dominæ inaugurabant, bellum utrinque, deficiente nervo belli, ſegniter gerebatur; Quo factum, ut Atrebati de pace conventus indiceretur, ad quem legati omnis Europæ concurrerunt fruſtra, Anglis Normandiâ & Aquitaniâ ſub lege feudi (volebant independenter) non contentis. Cum autem Burgundus juraſſet abſque Anglis non facere pacem, adductus eſt, ut jurisjurandi abſolutionem à Pontifice & pro cæde Patris ſatisfactionem à Carolo acciperet, ac ita cum illo pax inita, quibus voluit conditionibus *anno* 1435. quo tempore mortua eſt Iſabella Bavara Caroli VI. vidua, ex animi dolore; propter odium à Gallis & injurias Anglorum, qui gaudebant ei objicere, quod *Carolus* VII. non eſſet è marito ſuo genitus.

10. Anno ſequente Pariſienſes, Regios admiſerunt in urbem, Anglos ejecerunt, acclamantes illis, *In caudam!* quod dictum genti adhæſit. Rex anno ſequente ſuam & juſtitiæ ſedem illuc reduxit, etſi parvus ejus in bello uſus, Galliâ miſerrimè ab amicis ac inimicis vaſtatâ. Sed tranſeamus in *Angliam.* Tu vide *Mezeraum & de Serres.*

CAP.

CAP. VI.

De rebus Anglicanis.

EDuardum III. victoriis contra Gallos & Scotos, quorum utrumque regem habuit captivos, & filio Principe ſibi cognomine, juxta alios liberos & Philippâ uxore cordatiſſimâ florentem reliquimus anno 1356.. quo Davidem Scotiæ Regem ſororis maritum, per 11. annos captivum redimi paſſus eſt. Illo dein ſine liberis mortuo, ſororis ejus filius *Robertus Stuartus* regno potitus eſt, atque deinceps in familia *Stuartorum* Scotiæ regnum manſit ab anno 1370.

2. Quid deinceps Eduardus egerit & paſſus ſit à Gallis *ſuprà* intelleximus; deceſſit anno regni 51. ætatis 64. Chr. 1377. biennio fere poſt mortem filii *Eduardi*, quem *nigrum* vocarunt, armorum gloria ſui temporis primum. Hujus filius RICHARDUS Burdegalenſis in regno ſucceſſit *undecennis*. Minor ejus ætas rebus non maximis belli & pacis fœdaque ſeditione plebis exacta eſt. uxorem primo duxit *Annam* Wenceſlai & Sigiſmundi Cæſarum ſororem: Res cum Gallis geſtas habuimus.

3. Sed *Richardus* Vir factus iis dotibus ingenii caruit, quibus auctoritatem Principes conciliant. Abſolutum imperium præ ſe ferre, Æquabiliter uti neſcire. Ordinibus regni ſe regimini validè ingerentibus multa concedere, conceſſa reſcindere. Adulatores ab amicis non diſcer-

nere. Patruum ſuum Gloceſtriæ ducem rerum novarum ſuſpectum indictâ causâ, & alios per judices occidere. Quibus ſuppliciis cum ferociores ſuſtuliſſet, terrore ſui rem eo perduxit, anno regni 13. uti Ordines omne ſuum jus tranſtulerint in octo proceres, quorum acta cum Rege perinde valerent, ac ſi in pleno Ordinum conſeſſu decreta fuiſſent, quod eſt ſingulare exemplum; & regia poteſtas in eum modum ſtabilita videbatur, ut omnia populi jura facile ſubverti potuiſſent, ſi Richardus ingenio valuiſſet ad occaſionem adeo raram proſequendam.

4. Sed brevi patuit, quam ſit res inanis, Majeſtas Regum ſine veneratione populorum. Duces Norfolcius & Herefordius; *Henrico* nomen erat utrique; ob privata litigia pulſi erant in exilium. Hic in Gallia communicatis cum Archiepiſcopo Cantuarienſi ibidem exulante conſiliis, tranſmittit in Angliam cum tribus navigiis & 70. circiter armatis; appellit in Eboracenſem agrum, ſimulat ſe paternam hereditatem (pater enim ejus Lancaſtriæ dux his diebus deceſſerat,) petere. Richardus aberat in Hibernia. Ducis copiæ accreſcunt, Regias partes nemo ſuſcipit. Ille omnia in poteſtatem redigit, uſque ad Briſtolium; præcipuos Regis miniſtros ſupplicio adficit. Totis ſex ſeptimanis Rex nihil omnium cognoſcit, adverſis ventis. Nec tum ſatis feſtinat. Præmittit Ducem Salisburienſem, intra ſextum diem ſe promittit ſecuturum; cunctatur 18. diebus. Interim exercitus 40. millium pro ipſo collectus,

ctus dilabitur, quo Richardus intellecto animum deſpondet, Aufugit, capitur. In conventu Ordinum abrogatur ei imperium: Ipſe tamen inducitur ad abdicationem, anno 1399.

5. Inſtrumento abdicationis lecto, HENRICUS Lancaſtrius ſurgens, cum frontem & pectus aliquot crucibus muniviſſet; *Ego* inquit, *Henricus Lancaſtrius, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. vindico mihi coronam Angliæ, qui in recta linea deſcendo ab Henrico III.* DIXI. per Edmundum ſcil. ejus filium à gibbo dictum. Etſi propius regiam domum attingebat; fuit enim filius *Johannis* cui nomen à Gandavo, filii quarto nati Regis Eduardi III. è Blanca Lancaſtriæ domus herede. Adſenſum eſt Henrico ab Ordinibus ſcilicet & coronatus; nec multo poſt *Richardus* ab aliquot aulicis, qui Henricum dicentem audiverant; *Adeone amicum habeo nullum, qui me liberet eo, cui parcere nequeo?* interfectus eſt, ſecuri in caput impacta, cum vixiſſet annos 33. regnaſſet 22. Chr. 1400. Liberis carebat; Annam quippe reginam amiſerat ante ſexennium & Iſabellam Francicam viro adhuc immaturam nuper admodum duxerat.

6. Primo Henricus triennio variis conjurationibus impetitus, omnes prudentiâ, quæ ſingularis in eo fuit, vigilantiâque ſuperavit; ſed brevis ævi fuit, anno 46. ætatis, regni 14. Chr. 1414. mortuus; ſucceſſore filio HENRICO V. quem à loco natalium *Monmoutium* vocant; qui contra Gallos magna geſſit, de quibus in capite

rerum Gallicarum, è quibus videre licuit Anglorum virtutem & fortunam Gallis hoc & ſuperiori intervallo multum præſtitiſſe. Henricus omnium ſolus mutatus eſt in melius Regum, antea ſuſpectus ferociæ & libidinum. Regi facto applicitum eſt Maronis illud;

Quo juſtior alter

Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

7. Vita fuit brevi; deceſſit è pleuritide, in Gallia medio curſu victoriarum, anno ætatis 38. regni 10. Chr. 1422. ut *ſuprà*; Cum è Catharina Gallica natum ſibi filium audiviſſet in arce Windeſorienſi, vaticinans, *Henricus à Monmouth*, inquit, *multa acquiret, parum vivet*; *Henricus à Windſor diu vivet, omnia perdet.* Ita uſu venit.

8. HENRICUS VI. novem menſium puer, ſub tutela patruorum, hominum ſtrenuorum feliciter egit in Anglia, Galliâque, Coronatus etiam Rex Galliæ. Quomodo res ibi collapſæ fuerint, vidimus *in Gallicis*. Majoribus malis deinde conflictatus eſt, Vir factus in Anglia, *ut ſequenti Sectione* videbimus. *Polydor. Virgil. à lib.* 20. *ad* 23. *Bakerus in vitis.*

CAP.

CAP. VII.

De rebus Hiſpaniæ.

PEtrus, Legionis & Caſtiliæ rex, de quo *ſupra*, nomen crudelis tulit, ob hæc facinora; Rubeum Granatæ regem hoſpitem ſuum ſupplicem, ut pecuniis ejus potiretur, jugulavit. Fridericum fratrem naturalem ejuſque matrem, nec non Blancam Borboniam uxorem ſuam, Reginæ Galliæ ſororem interfecit, aliaque plura ſcelera & flagitia commiſit.

2. Ergo Henricus, Telius & Sanctius fratres ejus naturales in Arragoniam profugi bello cum impetierunt: Victi in Galliam ſe receperunt. Inde reverſi cum auxiliis, Duce *Gueſclino* Galliæ Comite rei militaris Tyrannum expulerunt. Qui ope Walliæ Principis *Nigri*, Aquitaniæ imperantis, in regnum reſtitutus eſt, poſtquam tyranni fratres ad Navarrettam, triplo Anglos numero ſuperantes, victi fuerant.

3. Sed Petrus benefactori ſuo malam gratiam reddidit, ut hic nihil inde quàm malam famam & corpus exercitumque morbis ac inopia confectum reduxerit: Odio ſcilicet Gallorum tyranno ſuppetias tulerat.

4. Cum autem Petrus nihilo melius ſe gereret, à Caſtilianis *Henricus* revocatus, ope Gueſclini Petrum vicit ad *Montielum* Caſtrum, cui ſe Petrus incluſit. Ad incitas autem redactus in Gueſclini tabernaculum ſe contulit, quo cum

& Henricus accurriſſet, ortâ inter eos rixâ ventum eſt ad manus, cujus exitus fuit mors Petri, dubium, an æquo marte, anno 1369. HENRICUS II, regnum annis octo tenuit.

5. Succeſſorem nactus JOHANNEM, qui uxorem habuit *Eleonoram*, Petri Arragonum regis filiam, ex qua duos habuit filios, *Henricum* qui Patri ſucceſſit in Caſtilia, & *Ferdinandum*, qui Aragoniæ regno potitus eſt. *Johannes* ſecundis nuptiis duxit *Beatricem* Ferdinandi Portugalliæ regis unicam filiam, cujus nomine poſt mortem Ferdinandi regnum illud vindicavit. Sed Portugalli odio Caſtellanorum *Johannem* Ferdinandi fratrem nothum elegerunt, qui Anglorum auxilio, Duce *Johanne* de *Gandavo* Lancaſtriæ duce, Regis Eduardi filio, poſſeſſionem ſuam firmavit, anno 1377.

6. Habebat Lancaſtriæ dux in matrimonio Conſtantiam *Petri Crudelis* filiam, cujus nomine regnum Caſtiliæ ſibi vindicabat. Pace cuncta compoſita ſunt, ut Johannes uterque Rex maneret, alter Portugalliæ, Caſtiliæ & Legionis alter: ut Portugallus uxorem haberet *Philippam* Lancaſtriæ Ducis filiam; Henricus Johannis Caſtiliani primogenitus duceret Catharinam, Lancaſtrii è Conſtantia filiam; ex quo filius natus aviæ jus cum avi poſſeſſione conjunxit.

7. In Luſitania poſt Alphonſum qui primus fuit Rex, *Henrici* Lotharingi filium, de quo *ſuperius*, regnaverant, *Sanctius*, *Alphonſus* II. *Sanctius* II. *Alphonſus* III. *Dionyſius*, *Alphonſus* IV.

Pe-

Petrus, *& Ferdinandus* iſte, qui ſubactis Mauris, regnum luculenter auxerunt. Dein *Iohannes* Nothus Septam Africæ urbem occupavit & ſucceſſorem reliquit *Eduardum* filium ad paucos annos.

8. In Caſtiliâ Henricus III. Patri Johanni defuncto ſucceſſit anno 1488. natus 12. annos, mortuus *anno* 1404. eique JOHANNES II. in cunis infans ſucceſſit, ſub tutela matris *Catharinæ*, ad tempus uſque pubertatis, & deinde ſolus per annos omnino 50. in pace plerumque, præfuit.

CAP. VIII.

De regnis Daniæ & Sueciæ.

HOrum regnorum antiquas res tenebris involutas, adhuc non attigimus; niſi quatenus eruptiones illorum in omnem Europam aliquando relatæ ſunt, inde à Cimbris uſque Danos & ad Normannos, qui Neuſtria & Anglia potiti fuerunt: tam inmenſis hominum examinibus, ut fidem ſuperent, miraculoque ſit proximum, ſi quis hodiernam illarum gentium ſpectet frequentiam; quarum ſi qui exercitus hodie prodeant, Germanis confeſtim ſuppleri ſolitas videmus, quod & olim fuiſſe factum credibile ſit.

2. Sed hac tempeſtate & aliquandiudum res illorum certiores & magis hiſtoricæ videntur. Eſt autem memorabilis unio trium regnorum, quæ accidit *anno* 1397. in perſona *Margaritæ* Valdemari Daniæ Regis filiæ & Hakuini Noruegiæ regis viduæ ac heredis, ſingularis animi prudentiæque matronæ,

 tronæ,

tronæ, quam *Semiramidem* ſuam Dani vocare gaudent.

3. Cum autem in *Suecia* Sancti Erici regia ſtirps eſſet extincta, Margarita rebus jam pridem Svedicis immixta, virtutis admiratione opibuſque effecit, ut Regina Suecorum ipſa eligeretur, fieretque decretum, ut Dania, Suecia & Norvegia poſthac unum eſſent regnum, ſalvis tamen cuique populo ſuis legibus & moribus; novi Reges eligerentur, Sed liberis defunctorum, ſi qui eſſent, præferendis.

4. Eodem tempore Margarita ſucceſſorem ſuum eligi curavit Henricum ſororis ſuæ filium, quem ERICUM appellavit. Ipſa dein maſcule & feliciter præfuit uſque ad annum 1412. quo in *nave* morbo peſtilente contacta obiit; eo majore ad poſteros gloria, quod Viri ſucceſſores ei nullo modo paria præſtiterunt.

5. Nam *Erico* male conſulente, res eo tandem rediit, ut Dani, illo abdicato, Regem adſciverint Chriſtophorum è Bavariæ Ducibus regii ſanguinis principem. Sveci poſt varios motus Carolum Canuti filium, ut ſequenti ſectione videbimus, elegerunt.

6. Unionem certe gentium viciniâ & ingeniis æmulantium non habere facultatem hoc etiam exemplo patuit. Sueci rem Danicam in eo fœdere ſuperiorem eſſe videntes, æquo animo illud perferre non potuerunt. Ajunt ipſam quoque Margaritam Reginam quid hac unione ſibi vellet, indicaſſe, dato nepoti *Erico* hoc præcepto;

cepto; *daret operam, ut ex Suecia ſe aleret, ex Norwegiâ ſe veſtiret, per Danos ſe defenderet. Vid. Pontan. Hiſt. Dan. Puffendorff. hiſtor. Sved.*

CAP. IX.

De regnis Poloniæ & Hungariæ

LUdovicus Hungariæ & Poloniæ Rex, quem à rebus geſtis dixere *Magnum*, duas reliquerat filias *Mariam* & *Hedwigem*. Mariæ Primogenitæ ceſſit Hungaria, cujus tunc Imperium ad Pontum uſque & Hadriam procurrebat, deſponſata *Sigiſmundo* Caroli IV. filio, qui poſtea fuit Imperator. Virgo ſtatim poſt obitum patris Rex electa & appellata fuerat in campis, uti moris erat, apud Peſtam.

2. Sed alii, ſpreto ſexu, *Carolum* Dyrrhachinum regii ſanguinis Principem & Regem Neapolitanum, cujus opera diximus *ſupra* Ludovicum ſuſtuliſſe *Johannam* Neapolitanam, ad regnum vocaverunt. Qui beneficiorum Ludovici Regis oblitus, ejus filiam ſpoliavit, eamque cum matre Eliſabetha cöegit inaugurationem ſuam Albæ regali adſpicere præſentes.

3. Verum mulieres, diſſimulato dolore, conſilio Nicolai Palatini, ingratum Ludovici animum deformi ultæ ſunt perfidia, etſi Mariam conſilii ignaram fuiſſe volunt. Rogant Carolum, ad ſe de ſumma rerum colloquendi gratia accedat, eumque inter ſe medium collocant. Dum colloquuntur, Blaſius quidam à *Nicolao* immiſſus gravi

gravi ictu capite Regis ſciſſo, illum obtruncavit *anno* 1385.

4. Hoc peracto facinore, *Eliſabeth* cum filia regina Regnum viſitare inſtituit, Nicolao & Blaſio comitantibus: quod non tulit *Johannes* Horvatus Croatiæ præfectus, qui Caroli ſectam ſequutus fuerat; Sed ex inſidiis illos apud Sirmium aggreſſus in poteſtatem redegit, Nicolao & Blaſio ſtatim interfectis, Eliſabethe ſequenti nocte in Savo flumine demerſa, Mariâ vero, deprecante matre ejuſque ignorantiam adſçverante, carceri mancipatâ.

5. At Sigiſmundo ejus ſponſo mox Hungariam cum exercitu ingreſſo, dimiſſa eſt ab Horvato, ingenti jurejurando adacta, ſcultionem minimè perſecuturam. Quo non obſtante, cum Sigiſmundus, quem diademate cingi curavit in regni Comitiis, Horvatum è fugâ cepiſſet, ſeveriſſimum de illo ſupplicium ſumſit, nec multo poſt ipſa, nullis relictis liberis, deceſſit.

6. Etſi autem ex *Hedwige* ſorore ejus eſſent liberi in Polonia, Sigiſmundus tamen in regni, quod electivum erat, poſſeſſione manſit atque repulit Polonos; etſi dein Hungarorum animos plurium ſuppliciis nobilium haud parum exaſperaverit; cujus rei ſenſum in tempore detexerunt.

7. Accidit *anno* 1396. ut Sigiſmundus graviſſima clade vinceretur à Turcis apud Nicopolim, amiſſis 20. millibus hominum, temeritate inprimis Gallorum auxiliarium, quorum præcipuus

puus erat *Iohannes* Burgundiæ ducis filius, qui ante datum ſignum, reliquis nondum paratis, impetum fecerant & victi cæteros turbaverant. Mezeræus cauſam ait fuiſſe cladis, quod Gallis acriter inrumpentibus non erat ſubventum, quod cum priori ratione non pugnat.

8. Johannes Burgundus in manus hoſtium incidit & cum pauciſſimis vita donatus eſt; Fama conſtans eſt, fuiſſe è Turcis phyſiognomonem, qui Bajazethi auctor fuerit, illum juvenem remitteret ad ſuos; Fore dein ut multa mala Chriſtianis aliquando inferret.

9. Sigiſmundus fugâ ſe recepit immani. Aut enim re ſic ferente, aut veritus à clade ſtatim in Hungariam reverti, fugit Conſtantinopolim, ac inde per mare in Italiam, poſtremo in Hungariam reverſus eſt; poſtquam diu in Croatia commoratus eſſet, Hungaris non fidens. Et plane cum aliquando veniſſet, ab illis apud *Siklos* oppidum datus eſt in cuſtodiam.

10. Qui hoc decreverant, *Ladiſlaum* regem Neapolitanum Caroli Dyrrhachini filium Hungariæ Regem declaraverunt. Verum is exemplo paterno territus neque rebus ſatis adhuc fidens ultra confinia non progreſſus, Hungaris ſe committere noluit; quemadmodum etiam accidit, ut Sigiſmundus ab ipſis cuſtodibus è carcere dimiſſus regnum brevi recuperaret. Deceſſit, ut antea diximus, anno 1438. *Bonfin. rer. Unga, Dec.* 3. *l.* 1. 2. 3.

11. *Hedwigis* altera Ludovici Regis filia, cui Polo-

Polonia ceſſerat, cum à variis Principibus ambiretur, ex conſilio Procerum nupſit *Iagelloni* Lithuaniæ Duci, hac Lege, ut ipſe fidem Chriſtianam ſuſciperet, ac Lithuania cum Poloniâ conjungeretur, quod durat factum inde ab anno 1382.

11. Jagelloni nomen in baptiſmo datum eſt *Uladiſlao*. II. Cui deinde bellum fuit cum *Vitoldo* patruele, qui plurium favore Lithuanorum, res ſuas à Polonis ſeorſim habere cupientium, hanc provinciam ſibi vindicare ſtuduit. Sed pace prius, reſtitutâ ei Præfecturâ, Dein morte conatus ejus abruptus eſt. Poſt uxoris obitum Uladiſlaus totum ſe pacis & pietatis ſtudio dabat, ſi per equites *Cruciatos* licuiſſet, qui Boruſſiam paganis olim ereptam, ſub magno Teutonici ordinis magiſtro & fide regni Polonici tenebant. Bellum fuit diuturnum de Samogitia, quam pace tandem facta Polonis cedere coacti ſunt Equites & Boruſſiam receperunt. Uladiſlao Jagelloni ſucceſſit filius *Uladiſlus* III. anno. 1334. De quo *ſectione ſequ. Cromer. rer. Polon. à lib.* 15. *ad* 21.

C A P. X.

De rebus Græcorum & Turcarum.

JOHANNES Palæologus, ſuperato Cantacuzenô, cum à Bulgaris bello premeretur, non eſt veritus à Turcis petere auxilium, qui Rege Amurathe Urchanis filio, (hic regnum ſuum iniit anno 1357.) prætextu ſecuritatis ſuæ Galli poli

poli captâ magnam Thraciæ partem occuparunt, Hadrianopoli ſede imperii collocata; dum Palæologus fruſtra Latinorum auxilia implorat; niſi quod Amadæus Sabaudiæ dux magno animo venit in auxilium, Callipolin in Cherſoneſo Thraciæ cepit & Johanni reſtituit, quam is brevi rurſus amiſit, & hæc geſta ſunt annis 1365. & 66.

2. Anno 1372. Amurathes Myſiam ſuperiorem, quæ *Servia*, victo interfectoque *Lazaro* Deſpota, occupavit; ubi tamen & ipſe, cæſos hoſtes inſpiciens, à Carbilovicio *Lazari* famulo inter mortuos proſtrato, ſica inguini impreſſa, mortem accepit.

3. Cæterum, *Johannes* Imperator ob probitatem dictus eſt *Calo* id eſt, *bonus* Johannes, Annoque 1383. à filio *Andronico*, cui ob adfectatum Imperium ardens acetum in oculos infuderat, auxilio Turcarum, cum altero filio Emanuele captus eſt; Iterum aufugit poſt aliquot annos ad Bejazethem, qui Amurathi Patri ſucceſſerat, Is autem rejecto *Andronico*, *Emanuelem*, ſub Lege tributi Imperatorem fecit anno 1387. qui ob pietatem & prudentiam laudatur. Erravit aliquandiu per Occidentis provincias auxilia contra Turcas corrogans, quorum unum ceſſit infeliciter, clade ad Nicopolim acceptâ, ut ſuprà diximus. Dein negata ſunt auxilia, *Pontifice etiam irato, quod imaginem Chriſti crucifixi in dextra manicâ Chorepiſcopi cujuſdam intextam adorare noluiſſet*, ut Bzovius ad *ann.* 1391. *n.* 3. *ſub fin.*

4. *Bajazethes* rebus Græcorum magis magiſque

que in arctum redactis, ipſam Conſtantinopolim obſidebat: quando repente Vi majori obrutus eſt à *Temirlane* Tartariæ Rege, qui cum centum myriadibus, ut ferunt, peditum & equitum in Aſiam irrupit, cui Bajazethes cum 300. equitum & ducentis peditum millibus occurrit. In prælio Tartarus 20. myriadas amiſit, Turcæ 140. millia, & victi ſunt. Bajazethem cepit vivum Temirlanes inque cavea ferrea circumvexit, uxorem pro ancilla indigniſſime habuit; donec Bajazethes capite ferreis cancellis illiſo periit. Uxores ob hujus exempli diritatem ab eo tempore Turcarum reges non habuerunt. Hæc res accidit anno 1404.

4. Temirlanes Babyloniam, Perſiam, Syriam, Armeniam omnemque fere Aſiam occupavit, ſed fulguris inſtar, ſiquidem à morte ipſius Imperium in Scythia reconditum diſſiliit.

5. Sed *Emannuel* Græcus imperium inde continuavit ad annum 1420. dum interim Turcis præfuit *Soliman* per ſeptennium; *Muſa* frater ejus per *quadriennium*, quem occidit frater *Muhammedes*, qui ad annum 1421. pervenit, nec hi à Tartaris in longum fracti, moleſti Græcis fuerunt.

6. Aliter *Amurathes* II. cui res fuit cum JOHANNE Palæologo *Immanuelis filio*, qui Muſtapham Amurathis fratrem adverſus eum fovit, irrito ſucceſſu, Muſtaphâ brevi oppreſſo. Et Amurathes exinde Venetis Theſſalonicam ademit, multa per Serviam & Bulgariam ſub-

egit

egit; Conſtantinopolim quidem obſedit; ſed poſt diuturnam oppugnationem deſerere coactus eſt. Johannes Imp. in Italiam profectus ad Concilium Florentinum, Latinæ quidem Eccleſiæ, ſpe auxiliorum, ſe conjunxit *anno* 1438. Sed concilium illud, renuentibus Græcorum Epiſcopis, ut ſæpe aliàs, in irritum ceſſit.

CAP. XI.

De ſtatu Eccleſiæ.

CUm ſedes Pontificia per annos 71. fuiſſet Avenione, Gregorius XI. Romam invitatus habitatum conceſſit anno 1376. Quo poſt biennium mortuo, pars Cardinalium elegit *Urbanum* VI. pars, Gallicani imprimis, *Clementem* VII. fecere Pontificem, qui rurſus Avenionem *Johannæ* Neapolitanæ inſtinctu ſedem contulit.

2. Cum dein hoc ſchiſma grave eſſet Principibus, quorum alii Romanum, Gregorium XII. alii fovebant Avenionenſem, *Benedictum* XIII. convenit inter eos, ut tertius, abdicatis duobus reliquis, crearetur, qui fuit *Alexander* V. Sed reliquis ſibi loca ſua vindicantibus, tres exinde Papæ fuerunt uſque ad Concilium Conſtantienſe, in quo res ad unum Pontificem rediit, qui fuit *Martinus* V. anno 1417.

3. In hoc Concilio *Johannes HUSS* Bohæmus, qui pridem ſuperſtitiones & faſtum Cleri inſectatus erat eandemque fere doctrinam quæ poſtea fuit *Proteſtantium* tradebat, etſi haberet

ſalvum Conductum Sigiſmundi Imperatoris, vivus publice combuſtus eſt, idemque ſupplicium *Hieronymus Pragenſis* eandem ob cauſam ſubiit. Damnata eſt ibidem memoria Johannis *Wiclefi*, Angli, qui proſtremo tempore Eduardi III. pulſus è patria in Bohemiam ſe contulerat, unde Huſſi doctrina & ſecta Bohemitarum, qui & *Lullardi*, *Thaboritæ*, quæ uſque ad tempora Reformationis magnæ duravit.

4. Anno 1431. Eugenius IV. Pontifex Concilium Baſileam convocavit, quod ex hominibus cordatis compoſitum cum pro fundamento actionum ſuarum poſuiſſet hanc regulam, *Concilium ſupra Pontificem eſſe*, Eugenius illis continuo adverſatus eſt; donec mortuo Sigiſmundo Imperatore, qui Baſileenſibus auctor erat, hoc Concilium, quantum in ipſo erat, diſſolvit, ac aliud Ferrariam & deinde Florentiam indixit.

5. Ab hoc tamen Concilio Probata eſt Celebris *Sanctio Pragmatica*; continens jura Eccleſiæ Gallicanæ, eaque adverſus uſurpationes & exactiones Pontificias tuebatur, anno 1438.

6. Contra *Eugenium* electus eſt Baſileæ nomine Felicis V. *Amadeus* ex Sabaudiæ duce factus Eremita; qui dum vixit Eugenius, locum tutatus eſt ſuum; At hoc mortuo, cum plerique populi ſe Nicolao V. Romæ electo ſubmitterent, Felix iterum *Amadæus* factus in *Cardinalium* ordine conſenuit.

SEC-

SECTIO. II.

Ab Alberto Auſtriaco ad Maximilianum Imperatorem, Quæ eſt, ab Anno Chr. 1438. *uſque ad annum* 1493.

CAP. I.

De Alberto, & Friderico III. Auſtriacis, Impp. ubi & de Bohemiæ rebus.

SIgiſmundo Imperatore nec non Hungariæ & Bohemiæ Rege, vitâ, ut *ſuprà* diximus, defuncto, gener ALBERTUS Auſtriæ dux in Hungaria primum & mox in Bohemia Rex conſtitutus, ad Imperatoriam Dignitatem conſequenter evectus eſt, hic & illic ſine notabili controverſia; Sed in Bohemiâ res accerrimæ contentionis fuit, Huſſitis favore *Caſimiri*, Uladiſlai III. Poloniæ Regis filii primogeniti, imbutis; præſertim quando *Albertus*, cui ut Auſtriaco alte ſederet Catholiciſmus, poſtulata ſua Huſſitis concedere noluiſſet.

2. Sed *Albertus* ſuis & factionis contrariæ viribus ſuccinctus *Caſimiro* prævaluit, eumque è Bohæmia profligavit. Altero Imperii ſui anno profectus in Hungariam adverſus Turcas, cum impedire non potuiſſet, quominus hi Sanct Andreæ oppidum, vulgo *Senderoviam* caperent,

in Auſtriam rediens, in quodam vico haud procul Strigonio deceſſit, dyſenteria ex edacitate peponum contracta, anno 1489. Egregius Princeps & longiore vita digniſſimus. Ex Eliſabethe Sigiſmundi filia poſtumum reliquit *Ladiſlaum.*

3. Qui cum eſſet ineptus Imperiis electivis, ad Auguſtam Dignitatem evectus eſt FRIDERICUS Auſtriacus Erneſti filius, Stiriæ Dux. Erat enim in fatis, ut ab hoc tempore domus Auſtriaca Cæſareum decus in ſua familia conſervaret. Ab Hungaris itum eſt ad *Vladiſlaum* III. Poloniæ Regem, ut *infrà* videbimus.

4. Bohæmi regnum primo obtulerunt *Alberto* Bavariæ Duci, qui à Friderico Cæſare deterritus imperium prudenter & modeſtè recuſavit; Factum igitur eſt, ut Bohæmi *Ladiſlao* poſtumo contenti, duos è ſingulis factionibus regni Tutores conſtituerint. Huſſitarum autem Patrono brevi mortuo, cum Pontificius, *Meinardo* nomen erat, ſolus regno potiretur, ab altera parte *Georgius Podiebrachius* electus Meinardum, occupata Praga, in poteſtatem redegit, eoque in carcere mortuo, Bohæmiam diu in pace & Huſſitica fide continuit. Ladiſlao deinde poſt 18. annos mortuo, Rex idem *Georgius* eligi meruit & ad mortem uſque per totidem annorum ſpatium continuavit. Cum in Huſſi fide, quæ eſt eadem cum doctrina Proteſtantium, permaneret, Pontifices Romani illum anathemate

mate percuſſerunt, regnumque ejus *Matthiæ Corvino* Hungariæ regi donarunt, qui bello illato, Moraviam & Sileſiam Bohæmis ademit, Victorino Podiebrachii filio etiam capto. Cujus proinde, Patre mortuo, in regni Comitiis habita non eſt ratio, ſed electus eſt *Vladiſlaus* Caſimiri Poloniæ Regis filius, qui terminos hujus ſectionis excedit. Hæc in rebus *Matthiæ Corvini* inferius, aliquanto plenius.

5. *Fridericus* Imperator, pacem, qua Germania florebat, per omne tempus imperii ſui immotam conſervavit, nec admodum externis ſe rebus immiſcuit; niſi quod adverſus Matthiam Hungariæ Regem diu bellum habuit improſperum & extremo imperii tempore cum Carolo Burgundiæ Duce, eoque mortuo cum Flandris pro filio ſuo *Maximiliano*, quem aliquot ante mortem annis ſibi, Regis Romani titulo, ſurrogari curaverat, negotium fuit; de quibus rebus *in locis* peculiaribus agendi occaſio dabitur.

6. Rebus Italicis, unde veteres Germanicorum Cæſarum moleſtiæ, ſeſe exemplo *Rudolphi* Habsburgenſis progenitoris ſui, non immiſcuit. Quin ante annum 1451. ne quidem diadematis ſumendi gratia Romam adeundam putavit. Tum quidem MD equitibus ſtipatus eo ſe contulit, & coronatus eſt, brevique poſtea rediit in Germaniam, aliquanto tamen longiore mora, quam Carolo IV. conceſſa fuerat, Romæ factâ.

7. Sequentes Imperatores ejuſmodi momentaneos actus Auguſtæ Dignitati rectè indecoros

reputantes, electione Germanica contenti, Romam exinde coronæ capiendæ cauſa nunquam adierunt; nec omnino exinde coronati ſunt à Pontificibus, excepto Carolo V. qui Bononiæ inauguratus eſt à Clemente VII. ut deinde videbimus.

8. Fridericus vivendi & imperandi finem fecit anno 1593. ab iis, qui Principes magnificentia, luxu, victoriis æſtimant, parum laudatus avaritiæque nomine inſimulatus. Sed pro laude maxima haberi poteſt non immerito, quod ingens Germanici Imperii corpus ſine belli turbamentis in alta quiete per annos tres ſuprà quinquaginta conſervaverit, exemplo forte nunquam ſimili reperiendo: tametſi verum eſt, Imperialem dignitatem pridem in arctum redactam, neque poteſtate nec dignitate vel auctoritate ab illo decoratam, ſed magis magiſque in contemptum fuiſſe adductam.

CAP. II.

De regnis Daniæ & Sveciæ.

IN Daniâ Rex Ericus à *Margarita* Heroide, matertera ſua, heres conſtitutus, trium regnorum throno excuſſus erat, ut *ſuprà* intelleximus, Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ, annoque demum 1459. in exilio fatum implevit, incertum imprudentiâ an infelicitate majore tantis rebus evolutus. Diu hæſerat in Gotlandiâ, unde piraticam in veteres cives exercebat. Inde ali-

aliquando recedere coactus, in Pomeraniâ conſenuit.

2. Diu antea Dani, imperio ipſi abrogato, *Chriſtophorum* Bavariæ Ducem, Ruperti Palatini Cæſaris ex Johanne filio nepotem, & *Erici* ipſius ex ſorore, quæ neptis *Margarita* fuerat, æquè nepotem elegerant anno 1440.

3. Eundem *Sveci*, quorum res interim *Carolus Knutſonius*; quaſi diceres, *Canuti* filius adminiſtraverat, ſecundum unionis pactum à Margarita conciliatum, in Regem ſuum adſciverunt; neque mora fuit in Norwegis. Sed Chriſtophorus nulla re memorabili geſta nec optimâ fama, ſine liberis extinctus eſt anno 1448. & cum illo priſca Regum Septentrionalium ſtirps, in quorum Familiis, (portentum dictu!) inde ab annis xc. nullus mas progenitus fuerat, deſiit.

4. Sveci deinde, abjectâ trium regnorum unione, quam Danis luculentam, ſibi inutilem eſſe videbant, CAROLUM iſtum Canuti Finlandiæ Principem, ſuum Regem adſciverunt. Dani, Holſatiam & Sleſwycum, crebram litis materiam, Coronæ ſuæ adjungere cupidi, *Adolphum* illarum ditionum Dominum ſibi Regem elegerunt. Sed hic ætate ſenili turbidæ gentis rebus ſe miſcere nolens, commendavit illis CHRISTIANUM Oldenburgi Comitem, ſuum ex ſorore nepotem & heredem futurum, quem proinde Regem elegerunt; Qui etiam poſt Adolphi obitum in ejus Ditiones ſucceſ-

ſit, quo tempore volunt *Hamburgum* etiam, ut Stormariæ partem ei dediſſe fidem, anno 1460.

5. Sed Carolus in *Svecia* non bene conſuluit ad libitum gentis: Quin omnibus offenſis ordinibus, duce belli adverſus eum prodeunte Upſalienſi Archiepiſcopo, poſt novem annos imperii, actus eſt in exilium, electo à Svecis iterum *Chriſtiano* Daniæ Rege.

6. Sed hujus quoque pertæſi, cum res novas eodem Archiepiſcopo conſorte molirentur, hic à Chriſtiano Hafniam abductus ibique in cuſtodiam datus eſt. Diverſa tamen factio, Lincopienſi auctore Epiſcopo, Carolum Regem è Pruſſiâ revocavit. Contra quem *Chriſtianus* Upſalienſi reconciliatus, hunc cum ſuis copiis dimiſit, qui ab amicis ſuis adjutus, Carolo omnibus exuto, præter Stokholmiam, in qua morbo deceſſit, Chriſtiano Sveciam rurſus patefecit.

7. Huic etiam decedenti *anno* 1481. in Dania & *Norwegia* ſucceſſit electus JOHANNES filius, qui Holſatiam & Sleſwycum diviſit cum fratre Friderico; unde mala deinceps, ſolita diviſionibus, evenere. A Svecis idem electus eſt ſub certis conditionibus & lege *Commiſſoria*, niſi illas ſervaret. Sed ortâ ſuper illis pactis controverſiâ, Sveci vim oppoſuerunt, nec niſi poſt annos complures venit in poſſeſſionem quietam ejus regni, quod interim Protectoris titulò adminiſtravit *Steno Sturius. Vid. Cranz. lib.* 8. *Pontan. Hiſtor. Dan. Puffendorff. Hiſt. Sved. tom.* 1. *cap.* 50. *& ſeqq.*

CAP. III.

De regno Poloniæ.

ULadiſlaus II. qui *Jagello* fuerat, Lithuaniæ primum Dux, & Dein Hedwige *Ludovici Magni* filia in uxorem ductâ, Poloniæ Rex poſt annos prope 50. felicis Imperii, ſucceſſorem habuit ULADISLAUM III. filium, anno 1434. qui pariter Hungariæ Rex fuit & infelici prælio ad Varnam cæſus eſt à Turcis anno 1444. quemadmodum *in Hungaricis* videbimus.

2. Surrogatus eſt Patri filius CASIMIRUS, cui bellum grave fuit cum Equitibus Tetuonicis Boruſſiam utramque duro ſatis imperio tenentibus. Quod averſatæ urbes præcipuæ Dantiſcum, Thorunium aliæque, veniâ *Friderici* Cæſaris impetratâ, certis legibus ſe Polonorum Reipubl. conjunxerunt. Equites ad arma converſi prælio ad *Konicium* habito, Polonos fuderunt, ægre elapſo rege Caſimiro. Qui tamen reparatis copiis, Marioburgo capto & proſperis aliquot conflictibus Equites ad pacem hac Lege ſubegit accipiendam, ut Pruſſia majore cederent, minorem ſub fide regni Polonici retinerent, eorumque magiſter eſſet Princeps & Senatoris regni dignitatem obtineret.

3. Poſthæc *Caſimirus* in Polonia Lithuaniaque ſub avo ejus feliciter conjunctis, ſatis proſpere tam domi quam in Republ. egit, filiis ſubnixus pluribus, *Caſimiro*, qui vocatus ad

Hungariæ regnum, excidit conatu. Johanne *Alberto*, *Ladiſlao*, qui Bohemiæ & Hungariæ Rex factus; Alexandro & Sigiſmundo. Albertus primum *Caſimiro* fratre mortuo, ſucceſſit in Polonia.

4. Adverſus *Muſcovitas* Ruſſos ab hoc tempore bellum fere perpetuum vel pacem infidam Poloni habere cœperunt. Egerant Ruſſi adhuc ſub variis Principibus, plerumque Tartaris obnoxii donec unus eorum hoc tempore *Johannes* excuſſo jugo, bello ſtrenuus antiquis ditionibus *Ruſſiam Albam* urbemque magnam & celebrem Noviogradum ſubegit brevique tempore, ſede dominationis Muſcoviæ, unde nomen regno, collocatâ, imperium longe lateque per ſeptentrionalem Europam Aſiamque propagatum eſt. Denique *Cæſaris* nomen, quo à ſuis Ruſſiæ Duces appellantur, *ſibi vindicaverunt*.

CAP. IV.

De regno Hungariæ ab obitu Sigiſmundi uſque ad Matthiam.

Poſt mortem *Sigiſmundi* Imperatoris & Hungariæ Regis, etſi is *Mariæ* uxoris jure regnum illud obtinuerat, quia tamen & ipſe coronatus fuerat, non tantum Rex manſit; ſed etiam, ut intelleximus, gener ejus *Albertus* & *Eliſabeth* filia, quanquam ex alia quàm *Maria*, uxore nata, prælati ſunt *Uladiſlao* Polono *Ludovici* Magni ex filia Heduige nepoti, haud dubie prop-

propter æmulationum incommoda, quæ ex ejuſmodi regnorum conjunctionibus oriuntur.

2. Sed Alberto intra biennium ſine liberis, uxore prægnante, ut audivimus, mortuo, vota Hungarorum in duas partes ſciſſa ſunt. Quidam *Ladiſlaum* ex Eliſabethe poſtumum Alberti filium volebant; alii viro opus eſſe, regno electivo, reputantes, ULADISLAUM Poloniæ Regem Hungaricæ ſtirpis regiæ unicum, ad regnum vocaverunt, eâ lege, ut Eliſabethen in uxorem duceret, filiique ex illa naſcituri in Hungaria, ſalvo Ordinum jure, regnarent; Poſtumus Alberti Auſtriam & Bohæmiam haberet.

3. Poterat *Eliſabeth* his conditionibus eſſe contenta; Sed à ſuæ factionis hominibus abrepta eas repudiavit, filiumque infantem quadrimeſtrem Albæ regali, more patrio, diademate cingi curavit, multo cum ipſius puerique malorum præſago fletu. Nam Uladiſlaus puero feminæque prævaluit, ut illa ſe cum filio in Auſtriam ad Fridericum agnatum contulerit; ſumpta furtim, inſigni aſtutia, ſecum vetuſtæ religionis coronâ a S. Stephano dicta.

4. Hungari *Uladiſlaum* inauguraturi, furto Reginæ cognito, diadema de S. Stephani ſtatua in templo Albæ regalis ſumptum illi impoſuere. Mox itum ad bella, quibus victor *Uladiſlaus* fuit, opera maximè *Iohannis* Corvini, *Huniadæ* dicti, à parvis initiis, ob magna virtutis ſpecimina ad Tranſſylvaniæ præfecturam evecti.

5. Inde bellum Turcicum ejuſdem imprimis ductu

ductu feliciter geſtum, *Georgio* Serviæ deſpota, qui pulſus à Turcis exul Raguſæ agebat, in ſuas ditiones reſtituto, Turcis ſæpe rejectis & ſuperatis, poſtremo apud *Sophiam* urbem in Bulgaria, ſic à Juſtiniani templo dictam, magnâ pugna victis. Quominus in ipſam Thraciam penetrarent, Hæmi montis anguſtiis rerumque inopia multarum prohibiti ſunt; etſi deſpota *Georgius* inſtandum victis, montes ſuperari & hoſtes Europa pelli poſſe contendebat. Hungari victores in patriam reverſi ſunt.

6. Amurathes per eundem *Deſpotam*, qui exinde cum Turcis colluſit; pacem ab Hungaris petiit, ut novo in Aſia hoſti Caramaniæ Principi ſe opponeret, eamque ab Hungaris ſua quoque incommoda paſſis impetravit, hac lege, ut Turcis Bulgaria maneret; reliquis, Myſia, Servia & Illyrico cederent atque renuntiarent, eaque pax Segedini in Comitiis regni ſolenniter utrimque ſuper Evangelium & Alcoranum confirmata eſt.

7. Aderat *Julianus* Eugenii IV. Pontificis Legatus, qui pacem Hungariæ tam utilem & glorioſam, omniumque, Regis etiam & Corvini conſenſum videns impedire non potuerat, nec admodum contendere auſus fuerat: etſi paulo ante fœdus erat initum inter Hungaros, Pontificem, Venetos, Genuenſes & Græcum Imperatorem, cujus fiduciâ magnos illi apparatus feciſſe prædicabant.

8. Fœderati pacis ignari Segidenenſis, Proceri-

ceribus nondum digreſſis, literas ad Hungaros deferre, quibus incommoda Turcarum in Aſiâ, res adflictas in Europa, fœderatorum apparatus magnifice explicabant, ſummamque opportunitatem pellendi Turcas Europâ demonſtrabant; quibus literis lectis, pudor & pœnitentia ſubiit Ungaros. Quâ re Julianus perſpecta, ſingulos impellere & univerſos ad bellum cohortari cœpit, concione meditata, cujus argumentum fuit; pacem cum Turcis initam eſſe ipſo jure nullam, propterea quod Hungari prius obligati fuiſſent Chriſtianis, quibus ſuum jus pacto cum Turcis inito adimi non potuerit. Atque hæc eſt illa celebris *Eugenii* Pontificis infamia, quam plerique memoriæ ejus exprobrant, quaſi infidelibus Turcis fidem non eſſe ſervandam dictaſſet; quod hactenus non ſatis liquet.

9. Gaudentes habere vel juris rationem vel prætextum Hungari, bellum rurſus in Amurathem, qui pacem executus jam in Aſiam tranſmiſerat, decernunt, & confeſtim, etſi magna copiarum pars, ad famam pacis, erat dilapſa, conjuncturi ſe cum Chriſtianis apud Helleſpontum, eò contendunt, itinere ad evitandas Hæmi anguſtias per Valachiam, juxta Ponti Euxini plana, inſtituto.

10. Amurathes re intellecta, relictis aut compoſitis in Aſia rebus, quam citiſſime poteſt in Europam revertitur, corruptis ingenti mercede Genuenſium claſſiariis, ut copias ſuas trajicerent. Hungari Valachiam tranſeuntes à Dracula

fortiſſimo Deſpota monebantur, ne tam exiguo cum exercitu, (ultra XVI. millia non erant,) ſe Turcis committerent. Sed urgente fato & Juliano, Turcis apud *Varnam* in littore Ponti oppidum occurrerunt. Ubi cum aliquandiu proſpere pugnarent Turcæque cederent, ita eveniſſe ajunt: Amurathem pacis factæ & juratæ recens inſtrumentum è ſinu prolatum ad Cælos extuliſſe Chriſtumque citaſſe vindicem in illos, qui nomine ipſius invocato ad manifeſtam perfidiam abuterentur: Satis conſtat, verſam fuiſſe aciem, *Uladiſlaum* fortiſſime dimicantem, *Julianum* belli auctorem, plurimoſque nobiles & ignobiles occubuiſſe, vixque tertiam partem cum Huniade fuga per Walachiam eſſe elapſos *d.* X. *Novemb.* 1444.

11. In locum Uladiſlai placuit Alberti poſtumus LADISLAUS, qui apud Fridericum Imperatorem, cum genuina corona, matre jam mortuâ, educabatur; Sed Fridericus nec puerum neque coronam tradere volens, bello impetitus eſt à *Johanne* Corvino Huniade, regni Gubernatore conſtituto. Quominus id effectum habuerit, fecit recrudeſcens Turcicum bellum: quod Corvinus, inito fœdere cum Scanderbego, Epiri ſtupendæ fortitudinis Principe, non modo ſuſtinuit ſed etiam retulit, Turcis ſæpe repulſis & profligatis.

12. Donec cum Scanderbego conjunctionem exercituum pactus, nimis effuſe in Bulgariam irrumpens, apud *Snitſam* fluv. deprehenſus eſt,

Scan-

Scanderbego nondum eo provecto. Pugnatum eſt per triduum primo bene; poſtridie minus feliciter, Turcis adſiduo novas cohortes objicientibus, donec tertio die plane fuſæ ſunt Hungarorum copiæ, amiſſis octo millibus, Turcarum ſupra xxx. M. deſideratis. Corvinus fuga periculoſiſſima ægrè appulit Senderoviam, ubi à Deſpota Georgio captus, nec niſi duris conditionibus (ille jam pridem ſibi conſulens amicitiam Turcicam prætulerat) dimiſſus eſt. Hæc anno 1448. Sequentes aliquot anni motibus Hungariæ & Bohemiæ inteſtinis tranſacti & à Turcis quies fuit.

13. Sed capta *Conſtantinopoli*, quod accidit anno 1453. ut *infra* memorabitur, *Mahometes* Albam Græcam, quæ & *Belgradum*, olim *Taurinum*, terreſtribus & navalibus copiis è Ponto Euxino ſubvectis, obſedit ac acerrime oppugnavit. Corvinus *Huniades* & Capiſtranus monachus Cruciatorum dux & auctor, claſſe, prono Danubio, illati in Turca eos ingenti prælio, è ſtatione ſua depulerunt, urbemque & arcem ingreſſi ſunt. Nec tamen ita liberatio parata; Mahometes cum exercitu urbe expugnata in forum uſque perruperat, quando Corvinus & crucem præferens Capiſtranus ex arce deſcendentes ſumma vi cum Turcis conflixerunt, eoſque magna cum ſtrage ex urbe ejecerunt. Quanta pertinacia pugnatum ſit, inde colligas, quod cum vexillum Hungaricum in celſo malo præfulgens Turcicus miles detracturus in altum

ten-

tenderet, Hungarus eum ad culmen uſque ſequutus, cum aliter detrahentem impedire non poſſet, medium amplexus Turcam ſe cum illo præcipitem morti dedit. Corvinus & Capiſtranus, qui literis ea de re ſcriptis ſibi ſolis ſinguli omnem adſcripſere gloriam, ambo brevi poſtea ſupremum diem obierunt, anno 1456.

14. Corvinus duos reliquit filios *Ladiſlaum* & *Matthiam*. At Rex LADISLAUS XVI. annorum adoleſcens, cui fuerat gravis inveterata Corvini auctoritas, ſuſcepta regnorum curâ, invidiam in filios tranſmiſerat, incitante eum Ciliæ Comite, qui animum juvenis obſidebat. Belgrado præerat *Ladiſlaus* Corvinus, eoque Rex cum Ciliæ Comite regnum inſpiciens ſe contulerat. Qua occaſione ad opprimendum inimicum nimis violenter uſus Corvinus, Ciliæ comitem in arce Belgradenſi interfecit. Cumque Regem ipſum in poteſtate haberet, veniam delicti facile ab illo impetravit, cujus rei fidem Rex ſanctiſſimo jurejurando matri Corvinorum Temeſwariæ confirmaverat. Hac fiducia ambo fratres imprudenter, à Rege pellecti, Budam profecti ſunt, ubi *Ladiſlaus* capitis damnatus & ſupplicio adfectus, *Matthias* in Bohemiam à Rege abductus & carceri mancipatus eſt. Cum Pragæ eſſet Rex Ladiſlaus annorum XVIII. adoleſcens, immaturo Fato defunctus eſt, anno 1458.

CAP.

CAP. IV.

De rebus Matthiæ Corvini &c.

CONſternatâ morte improviſa Regis, Hungariâ, cum hinc *Fridericus* Imperator, inde *Caſimirus* Poloniæ, jura ſua doteſque prædicarent, *Michaël Zieglagius*, cujus ſoror Johanni Corvino nupta fuerat, dextrè uſus pecuniâ ſororis, quam maritus abundantem reliquerat, ſuaque facundiâ & ambitu violentiâque adverſus factionem contrariam, pervicit in Comitiis regni, quæ more veteri in campo *Rakozio* apud *Peſtam* agebantur, ut MATTHIAS *Corvinus* XVI. annorum adoleſcens, Rex, invitis licet procerum plurimis, eligeretur. Qua re in Bohæmiam nunciata *Georgius* Podiebrachius jam rex Bohæmiæ dictus *Matthiam* è carcere eductum ſuæque menſæ loco potiore admotum Regem ſalutavit, eique filiam ſuam Catharinam in matrimonium volenti addixit.

2. Hujus Regis, quo memorabilior in Hungaria nullus fuit, res paulo quam hæc ratio adhuc tulit, plenius exponemus. Sunt autem vel externæ vel domeſticæ. Externæ fuere cum Turcis, cum Bohæmis & cum Auſtriacis.

3. Adverſus Turcas, primis annis vigilabat Michaël Zieglagius regni protector, immaturo adhuc annis Matthia. Sed quam primum per ætatem potuit, ipſe bello præfuit, Turcarum incurſiones maſcule cohibuit, ipſiſque vices ſuas retulit.

tulit. Præcipuum juventutis ſpecimen fuit *Jaizæ* urbis in *Boſſia* munitiſſimæ, & arcis expugnatio, 1463. quam cum ſequenti anno Mahometes Conſtantinopolitanus, (ita ab urbe capta dicatur) ſummis viribus oppugnaret, audito Matthiam ad auxilium, etſi viribus ipſius imparem feſtinare, inani timore percitus urbem dereliquit. Idem anno ſequenti accidit Matthiæ *Zoynichum* in Raſciâ obſidenti, ut ſola fama venientis auxilii territus ab urbe diſcederet.

4. Sequentibus annis talem ſe Turcis præſtitit, ut hi illum metuerent magis quam terrerent, induciaſque ab illo potius quam hic ab ipſo peterent; quâ occaſione non veritus eſt reſpondere Mahometis Legatis, etſi bello Bohæmico implicitus Matthias; ſibi non opus eſſe pactis induciis, nec fas arbitrari tales inire; verum cum bellantibus Turcis bellum & cum pacatis pacem ſibi futuram.

5. Durante bello Bohemico, Turcæ apud Savum fluvium arcem munitiſſimam, cui *Zabatz* nomen dedere, ſtruxerant, ut opportunum in Slavoniam tranſitum haberent. Hoc oppidum Matthias dein mediâ bruma, quando Conſtantinopoli auxilia venire non poterant, ſubito oppugnavit & diu irritus, tandem poſt diuturnam & acerrimam oppugnationem regreſſus, cum fatigatos milites præſidiarios & ſolutas vigilias crederet, recentes ex inſidiis proximis cohortes immiſit, qui arce potiti ſunt, eamque ipſe circumducto Savo, longe tutiorem reddidit, anno 1475.

6. An-

6. Anno ſequente haud procul Senderoviâ Turcæ caſtris exuti & magna clade adfecti ſunt à ducibus Matthiæ, quam tamen hi, dum Matthias nuptiis operam daret, impunitis populationibus ulti ſunt. Sed anno 1480. inſigni victoria potitus eſt Matthias prope Albam in Transſylvania, ducibus *Stephano Battorio* Provinciæ *Vaicoda* & *Paulo* Viniſio Temeſwarienſi præfecto, de cujus ſtupendo robore corporis incredibilia memorantur. Stephanus longe impar numero cum diu fortiſſime dimicaſſet, nec aliud quam mortem expectaret honeſtam, superveniente in ipſo pugnæ fervore Paulo, inſperatâ victoria potiti ſunt, cæſis xxx. millibus hoſtium; amiſſis ipſi millibus octo. Poſt victoriam epulas ex hoſtili copia ſuper cumulos cadaverum inſtituere; poſt epulas, triumphales egêre choreas; In quibus adſeverant, Paulum *Viniſium* inter ſaltandum dentibus arreptum ſuſtuliſſe Turcam è cadaveribus armatum & Pyrrhicam ſaltando agitaviſſe; Eundem, vas quod plauſtro jumentis trahendo ſufficeret, ſublatum humeris circumtuliſſe confirmant.

7. Hi ſucceſſus Matthiæ gloriam toto orbe diffuderunt, ideoque Papa Romanus & Veneti magnis eum penſionibus, ut Turcas, à quibus ſibi metuebant, occuparet, ſublevabant; quas cum Auſtriacis bellum rurſus inferret, ſolvere deſierunt; cujus eos pœnituit, quod ipſe inde cum Turcis remiſſius agens Illyricas urbes, quæ Turcas ab Italia cohibebant, deſeruit. Neque multo poſt Turcæ *Hydrunte* expugnata, magnas ex Italia præ-

des egerunt, maximumque Romæ terrorem incuſſerunt. Per Illyricum in Forum Julii & Venetas ditiones inruperunt, horrendis ubique vaſtationibus.

8. Porro cum Bohæmis Matthias habuit duplex bellum; primum initio regni adverſus *Giſcram* ducem alioſque ab Eliſabethe Alberti vidua Caſſoviæ aliiſque ſuperioris Hungariæ locis præpoſitos, qui omnia Peſtam uſque infeſta latrociniis habebant. Cum his ob difficultatem locorum quadriennii res fuit, antequam expellerentur, idque nec aliter quam Giſcrâ in fidem accepto, effici potuit.

9. Alterum adverſus ipſum Regem ſocerumque ſuum Georgium *Podiebrachium* (hujus filia Catharina Matthiæ nupta pridem ſine liberis mortuâ) ex ambitione impulſuque Pontificis Romani, à quo Georgius anathemate percuſſus & regnum ejus primo occupanti conceſſum erat. Ad cujus ſententiæ executionem nemo uſquam viciniæ præter Matthiam idoneus extabat. Primo belli anno Matthias Moraviam Georgio inſpectanti ademit, ipſumque prælio congredi non auſum repulit in Bohæmiam anno 1468. cui anno ſequenti adjecit Sileſiam & vi ſententiæ Papalis, Bohæmiæ Regis titulum adſcivit; filium quoque Podiebrachii Victorinum in poteſtatem redegit.

10. Mortuo ad hæc *Georgio* Principe laudatiſſimo, *Matthias* regnum ſpe certa jam devoraverat; Sed Huſſitæ prævalentes in Bohæmiâ illum

ut hoſtem & Papæ ſatellitem averſati, *Uladiſlaum* Caſimiri Poloniæ Regis filium annorum 14. adoleſcentem elegerunt, fruſtrà indignante Matthia. Qui loco regni, Polonum juxta Bohæmos hoſtem nactus, animum tamen non deſpondit; Sed cum exercitu decem millium & *infra*, vetere lectiſſimoque milite adverſus utrumque Regem Caſimirum & Uladiſlaum LX millia ducentes profectus, ante Uratiſlaviam caſtra fecit; ubi abundante commeatu, hoſtes commiſſionibus parvis & excurſionibus aliunde in Poloniam factis, inopiaque rerum eò brevi adegit, ut pacem hac lege facerent; Matthias Sileſiam & Moraviam, quoad viveret, teneret, cum titulo Bohemiæ Regis. Poſt ejus mortem, ditionesillæ Bohæmis reſtituerentur, pro 400 millibus aureorum. Hanc pacem tres inter ſe Reges ſeorſim ab amicis ſuis in tabernaculo diverſis congreſſionibus pepigerunt, ut inde Matthiæ quoque ingenium & induſtria elucere potuerit.

11. Auſtriacum bellum primum & poſtremum fuit ex iis quæ geſſit, adverſus Fridericum Imperatorem. Primum fuit de regno, quod *Fridericus*, cui multi proceres & omnis inferior Hungaria favebat, ſibi deberi contendebat & Matthias repetebat Coronam à Friderico detentam; Sed victus eſt Simon Magnus, Matthiæ Dux: At cum is Hungaros proceres Friderico adhærentes magnis conditionibus ſibi reconciliaſſet, viciſſim Auſtriacos profligavit; nec multo poſt ſequuta pax, quâ convenit, ut

Hungaris corona redderetur pro 60 millibus aureorum, & ſi contingeret, Matthiam ſine liberis mori, Fridericus ejuſque poſteri in Hungaria ſuccederent. Hæc primis regni annis.

12. Bellum ſecundum Auſtriacum anno 1476. inchoatum prætextus habuit, incurſiones finitimas & damna data non reparata; Sed Matthias iram in Fridericum ob veteres injurias diu preſſerat, etiam gloriæ cupiditas illum incitare credebatur, ut medius inter duos Imperatores utrique parem ſe oſtenderet: Acceſſit contemptus Friderici imbellis & havari principis, ſpeſque rem faciendi; Quæ illum non fefellit, majori Auſtriæ parte brevi in poteſtatem Viennâque ad incitas redactâ: Sed cum invitis ſuorum plurimis id bellum gereret, roganti pacem Friderico dedit, hac lege, uti pro ſumptibus belli cis annum ſolveret 150. aureorum millia.

13. At cum *Fridericus* nummorum tenax non modo nihil ſolveret, ſed ultro Hungariam quoque invaderet, Hamburgo prope Poſonium, urbe muniſſima, capta, bellum recruduit, cujus hic fuit ſucceſſus, ut Hamburgo, ingenti licet opera impensâque recuperato, totam fere Auſtriam ipſamque Viennam Matthias occuparet anno 1585. omniaque dum vixit retinuerit, Friderico & Maximiliano ejus filio intra Stiriæ terminos redactis.

14. Hæc fuit ſumma bellorum quæ geſſit; præter expeditiones ejus in Tranſylvaniam & Valachiam, quas rebelles brevi, non tamen ſine peri-

periculo & ancipiti acie, præſertim in Valachia ad officium reduxit; ipſo Draculâ Valachiæ Vaivodâ in poteſtatem ſuam redacto.

15. Sequuntur res domeſticæ *Matthiæ*; Cum eſſet ingenio *ſuus*, animo magnus nec ſuperiorem nec parem in regno ferre poterat. Hæc res fecit eum ingratitudinis reum erga Michaelem avunculum, qui unice regnum ei procuraverat. Erat is Gubernator regni, Matthiâ adhuc annis immaturo pauloque in ipſum imperioſius agebat, quod cum vix per quadriennium tuliſſet, ſubito illum, quaſi regni adfectati ſuſpectum corripi & in carcerem conjici juſſerat, denique ad mortem damnaverat. Quam is, occupatâ coqui ſui commento arce Cuſtodiæ ſuæ, vix evitavit; & dein cum nepote reconciliatus brevi poſtea captus à Turcis Conſtantinopoli capite mulctatus eſt.

16. Matthias hoc ſpecimine proceribus, ne poteſtatem Regiam ſecum partiri in animum inducerent, commonefactis (quidam hunc unicum ei ſcopum fuiſſe eoque potitum ſponte avunculum amiſiſſe volunt) regnum arbitrario modo adminiſtrabat, populumque non modo frequentibus tributis onerabat, Sed ne proceribus quidem & Epiſcopis parcebat; qui hunc regnandi morem, maxime quod ipſi nullo eſſent numero, tyrannidem vocabant, ipſi quoque paterni ejus amici & regni delati Auctores; quos inter Archiepiſcopus Strigonienſis, quem alioqui Patris loco, ut erat, ſe habere profeſſus fuerat.

 17. Hæc

17. Hæc animorum diſpoſitio peperit ingentem conjurationem, quæ poſt mortem Podiebrachii, flagrante adhuc bello Bohæmico, deſiit in fœdus cum Rege Poloniæ Caſimiro, novo hoſte Matthiæ, Ludovici Hungariæ regis glorioſiſſimi pronepote: Ut is filium primogenitum ſibi cognominem cum valido exercitu mitteret in Hungariam, isque ſe conferret in campum *Rakoz*, ad *Peſtam*, ubi, vel prius, fœderati ſe cum eo conjungerent, Regemque illum Hungariæ, Matthia ut tyranno abdicato, proclamarent.

18. Satis conſtat, tam latè ſparſam eſſe, dum Matthias aberat, conjurationem, ut è LXXV. Hungariæ Comitatibus vix novem Matthiæ fideles remanſerint, & ex proceribus pauciſſimi, quos inter Michaël *Orſágus* Sapientis apud ſuos nomen promeritus, cujus hoc dictum celebratur; *Quemcunque regio diademate coronatum videris, etiamſi bos fuerit, eum adorato & pro Rege ſacroſancto ducito atque obſervato.* Non abhorrens ab eo quod alibi jactatur; *Regi non modo de jure, ſed etiam de facto tale obſequium deberi.*

19. Caſimirus quod in ipſo eſſet, non defuit occaſioni: Cum exercitu xxv. millium Hungariam ingreſſus & indigenarum copiis undique corroboratus, ut in regno jam ſuo procedebat, & ubique recipiebatur, jamque Nitriam & Vaziam pervenerat, ubi ſubſiſtens literas & nuntios ad proceres fœderatos, ut ſibi præſto eſſent, dimiſit. Verum in his mora fuit.

20. Mat-

20. Matthias enim intellecto periculo, ſemet ipſum minimè deſeruit. Neque tamen confugit ad remedia, quibus magnitudo potius periculi detegitur, quam præſidium comparatur. Non teſtatus eſt pœnitentiam publicè per Edicta, non promiſit levamenta populo; Sed procerum præcipuos ſeorſim aggreſſus ſingulis tantum dedit, promiſit, addixit, ut ſe quieturos promitterent: Archiepiſcopum, cujus auctoritas omnibus exemplo erat, ipſe adiit, eique in tantum ſatisfecit, ut hic reliquis ipſum ſecuturis reſponderit; ultimum ſeſe Caſimiro adfuturum; quæ res cæteros retardavit.

21. Tum Matthias ſuo parvo ſed fido & alacri ſtipatus exercitu, Caſimirum, Ungarorum defectione conſternatum, eo redegit, ut cum ſuis Nitriæ ſe includeret: At cum exitum in medio hoſtili regno vel auxilium è patria nullum expectaret, liberum pactus abitum, in Poloniam ſe cum ſuis, qui ſupererant, recepit.

22. Sed etiam tunc patuit, quod aliàs ſemper; Talia Principes ignoſcere non ſolere: Fides data non retinuit Matthiam, quominus Archiepiſcopum ad ſe vocatum in carcerem conjiceret; qui indè in liberiorem cuſtodiam tranſlatus brevi deceſſit; ejus nepos Vir egregius etiam Epiſcopus abiit in exilium. Poteſtatem inde ſuam Matthias multo imperioſius exercuit; tributa frequentius exegit; non jam propter bella duntaxat, ſed in luxum quoque & magnificentiam; cui maxime indulgere cœpit, in gratiam *Bea-*

tricis Arragoniæ, uxoris, Alphonſi Calabriæ Ducis filiæ, quæ à veteri Scythica frugalitate maritum ſibi obnoxium Italicis delitiis adſveſecit, in quibus deinceps animi ſui magnitudinem oſtentavit, uxorem domi militiæque ſecum habere & magni facere ſolitus.

23. Liberos tamen ex Beatrice ſua nullos ſuſcepit; Ideoque naturalem filium *Johannem* Corvino nomine haud indignum ſucceſſioni deſtinavit, admoviſſetque, ſi diutius vixiſſet: Verum Anno 1590. regni. 32. ætatis 47. cum Viennæ degeret, in ſumma proſperitate gloriaque, valetudine deteriori, fortuitâ iracundia, cui obnoxius erat, perturbatus, vixque ab uxore ſedatus, apoplexia correptus eſt, ex qua tertio die animam exhalavit, majore poſt obitum gloriâ; propter imbelliam & infelicitatem Succeſſorum.

24. Regnum ambiebant *Johannes* Corvinus, *Vladiſlaus* Bohæmiæ Rex, & Johannes *Albertus* Poloniæ regis filius, Uladiſlai frater junior; cui pater Caſimirus, ut ſinguli filii ſe vivo Reges forent, ſtudebat. *Johannes* Corvinus præſidio aliquot arcium quas tenebat, pecuniis & favore cum amicorum Patris, tum novercæ Beatricis nitebatur. Sed hæc *Vladiſlai* blanditiis & ſponſalibus cum ipſa publicè contractis evicta ſuas opes in hunc contulit, ejuſque factio prævaluit, etſi Albertus frater à diverſâ factione per tumultum Rex etiam proclamatus fuerit.

25. ULADISLAUS regno potitus Beatricem

cem deinde, veterem & ſterilem dictitans, repudiavit, cui licuit in Italiam reverti, ut ibi tantis evoluta fortunis calamitatum Domus ſuæ ſpectatrix fieret. *Vladiſlaus* Albertum turbas ſibi moventem pactione, Johannem Corvinum vi armata compreſſit, ac ita quietam regni poſſeſſionem juxta Bohæmiam, Moraviam & Sileſiam, obtinuit. Albertus Patri in Polonia ſucceſſit anno 1492. & ſequenti mors Friderici Cæſaris conſequuta eſt. *Bonfin.*

CAP. V.

De rebus Italicis.

ALphonſus Neapolitano regno pacato, cum multa prudentiæ & liberalitatis famâ uſque ad annum 1458 imperavit; Erat etiam Rex, ut dictum alias, Arragoniæ & Siciliæ. In Arragoniâ ſucceſſit ex lege, cum legitimis careret filiis, frater ejus *Alphonſus* eidemque Siciliam ab Arragonibus olim acquiſitam reliquit. Sed regnum Neapolitanum, ut adoptione primum deinde bello quæſitum, patrimonii jure contulit in filium ſuum naturalem FERDINANDUM.

2. Huic bellum fuit cum *Johanne* Renati filio Andegavenſe, qui ex Johannæ Reginæ teſtamento ſibi regnum vindicabat validâque factione adverſus eum excitatâ *Ferdinandum* prælio vicit. Hic autem reparatis copiis & vocato in auxilium *Scanderbego* ex Albaniâ, rurſus eum ſuperavit & expulit regno, ut eſt in vitâ *Scan-*

der-

derbegi. Ferdinandus in Andegavenſis factionis Proceres deinde ſevere conſuluit, & deinceps ita regnavit; ut non minus crudelis, quam Prudentis nomen reliquerit.

3. Decennio prius accidit revolutio Mediolanenſis. Philippo Maria Duce ultimo ex Vicecomitum familiâ mortuo ſine liberis legitimis, cives in libertatem ſe adſerere ſtudebant, Venetorum niſi auxilio, qui ſe hac occaſione potituros Mediolano & omni deinceps Italiâ ſperabant. Sed Franciſcus SFORTIA dux mercenariorum, habens in matrimonio Biancam Philippi filiam naturalem, prævaluit urbemque & ducatum occupavit; etſi è ſorore Philippi *Valentinâ*, quæ *Ludovico* Aurelianenſi Pariſiis à Johanne Burgundo interfecto nupſerat, extaret filius Aureliani Dux *Carolus*, qui tum quidem nihil poterat, ſed ex illo natus Ludovicus XII. Galliæ Rex factus, ſuum jus deinde vindicavit.

4. Hanc rem non modo Veneti, ſed etiam Alphonſus Neapolitanus Sfortiæ inimicus ægre tulerunt, belloque illum evertere conati ſunt. Verum hic adjunctis ſibi Florentinis, vim illorum fortiter ſuſtinuit; donec pace, feſſis partibus, ut fit, omnia ſopita ſunt, anno 1454.

5. Franciſcus *Sfortia* novum principatum ſtrenuè & prudenter adminiſtravit; mortuus *anno* 1465 ſucceſſorem habuit GALEATIUM filium, qui libidinoſe vixit & crudeliter imperavit.

Erat

Erat Mediolani Literarum profeſſor *Niolaus Mantuanus*, libertatis amator, oſor Tyrannorum; qui has ſententias ſuis quoque diſcipulis inculcavit, quos inter eminebant tres, Joh-Andreas *Lampognanus*, Carolus *Viſcontius*, & Hieronymus *Olgiatus*; qui in necem Ducis, à quo privatis etiam injuriis erant læſi, conjurarunt, eumque in ingreſſu templi interfecerunt, *anno* 1476. Lampognanus & Viſcontius in ipſo facinore à Ducis ſatellitibus occiſi ſunt; *Olgiatus* ſupplicio adfectus eſt, adeo non fractus animo, ut etiam gloriæ reputationem mortis ſolatium habuerit, his uſus latine verbis extremis, *Mors acerba, fama perpetua, ſtabit vetus memoria facti*; quam ei præſtitit Machiavellus in *Hiſtoria Florent. l.* 4.

5. Ex *Bona* Sabauda Galeatius filium reliquit *Johannem Galeatium*; cujus tutelâ ſuſceptâ, mater ex amicorum conſilio *Ludovicum* & *Aſcanium* Sfortiam Cardinalem, pueri patruos rerum novarum ſuſpectos, expulit; Sed ex conſilio *Paſſini* cujuſdam cubicularii ſui, quicum ſuſpecta familiaritate vivebat, illos imprudenter revocavit. Ludovicus enim brevi omnibus in poteſtatem redactis tutelâque ſuſceptâ exilii ſui auctores interemit, *Paſſinum* relegavit, ipſamque ut arce filioque ſibi traditis abiret, vi & neceſſitate coëgit. Ludovicus Summam exinde poteſtatem nomine Tutorio tenuit, Vir magno præditus ingenio & eloquentia; tametſi *Johannes Galeatius* jam adultus, uxorem haberet *Iſabel-*

lam

lam Alphonſi Calabriæ ducis filiam, Ferdinandi regis Neapolitani neptim & Beatricis in Hungariâ nuptæ ſororem, ingenio & pulchritudine excellentem, è qua filium quoque ſuſceperat. Ipſe vero ſimplicioris ingenii quum ab uxore ad vindicandum juſſuum excitaretur, cum Patruo expoſtulans, & conſilia uxoris & minas à Socero exponebat, quæ res miſero exitium, ut *infrà* intelligemus, adproperavit.

6. FLORENTINA Reſpubl. libertate democraticâ à multo tempore gaudebat, ſed nobilioribus & potentioribus familiis, quam ut æqualitas diu cuſtodiri poſſet. Inter alias Medicæam familiam ad ſummum potentiæ & dignitatis faſtigium evexerat *COSMUS de Medicis*, prudentiæ Vir & divitiarum inſignis, quibus etſi mercator, ſine præjudicio nobilitatis, uſus eſt pulcherrimè & magnificentiſſimè, non modo Florentiæ, ſed etiam per omnem fere, diffuſis utriuſque ſpeciminibus, Europam.

7. Mortuus anno 1464, ſucceſſorem opum potentiæque habuit *Petrum* filium, ſed conſilio & virtutibus imparem vitæque brevis. Ex quo filii duo, juvenes egregii Laurentius & Julianus ſuperfuere, qui ſuâ factione Rempubl. ita occupaverunt, ut ab illorum arbitrio cuncta, civili tamen potentiâ magis quam vi tyrannicâ, dependerent.

8. Hanc eorum eminentiam ægre tulerunt alii nobiles, Paſſii, Bondini plures; Qui cum civiliter illis prævalere non poſſent, ad vim nefa-

riam

riam converſi ſunt? Ingenti conſpiratione facta, cujus Pontifex Innocentius & Ferdinandus Neapolitanus erant participes, conſtituerunt interficere fratres in templo majore, ad ſignum Hoſtiæ ſublatæ.

9. Cum *Julianus* tardius prodiret, è conjuratis duo Franciſcus *Pazzius* & Bernardinus *Bondinus* eum adierunt & familiaritatis obtentu exciverunt ad ſacra, facetiis inter eundum delectarunt, alter etiam ludens eum amplexus, an thorace munitus eſſet, contrectavit. Mediis ſacris hoſtiâ ſublata, Julianus à Pazzio & Bondino confectus eſt. Qui *Laurentium* ſuſceperant, minus præſenti animo, vulneratum è manibus amiſerunt, ut in ſacrarium fugiendi tempus habuerit. Quæ res negotium corrupit; Factio Medicæa reſumpto animo ſe collegit, Conjuratos perſecuta ſupplicio vel exilio mulctavit. Laurentius in poſſeſſione Reipubl. manſit, anno 1478.

10. Sed Pontifex & Ferdinandus parati copiis ad ſubveniendum conjuratis, hac ſpe delapſi, bellum aperte Florentinis intulere, cui ſuſtinendo, rebus eorum domi turbatis, pares non erant. Ideo Laurentius totâ re bene ponderatâ, non reperit alium exitum, quam ut Neapolin ad Ferdinandum hoſtem infeſtiſſimum ſe conferret; A quo tam inexpectatâ libertate perculſo ad colloquium admiſſus, ita ſe principi ingeniorum æſtimatori probavit, ut pacem pro Republ. & amicitiam pro ſe ſuâque domo referret 1479.

11. Ab

11. Ab hoc tempore non modo Florentinam Rempubl. ſed omnem Italiam ſuâ prudentia in pace continuit, medius inter Ferdinandum Neapolitanum & Ludovicum Sfortiam, principes ingenio & viribus pares, inimicitiæ cauſis invicem ſuſpectos & in bella, ſi Laurentius non intercederet, è continenti erupturos. Cum his ille fœdus habuit *defenſivum* contra Venetos, quorum potentia ſingulis fœderatorum ſuperior, univerſis impar, hoc *triplici* fœdere à pace Italiæ turbanda cohibebatur; Sub his autem quatuor, juxta Pontifices, qui ſoli turbare non poterant, & Venetos æquè ſuſpectos habebant, reliquæ minores Italiæ Poteſtates latebant; Genuenſibus à duce Mediolanenſi jam pridem dependentibus.

12. In hoc ſtatu fuit Italia, quando profunda pax ejus Transalpinis armis turbata fuit, non prius tamen, quam Laurentius de Medicis è vivis exceſſiſſet, anno ætatis duntaxat 44. Chriſti 1492. in quâ præſens ſectio terminatur.

CAP. VI.

De rebus Hiſpaniæ.

JOHANNES II. Caſtiliæ & Legionis Rex, de quo *ſuperiori ſectione*, duos reliquit liberos, HENRICUM IV. qui ſucceſſit anno 1454. & Iſabellam filiam. Henricus imbecillitate naturæ vitiove credebatur impos gignendi; quanquam duas habuit uxores, *Blancam* Johannis Arragoniæ Regis filiam, quæ diſceſſit ab illo,

illo, & *Johannam* Portugalliæ Regis, quæ tamen filiam ei dedit Iſabellam, quam Henricus agnovit & *Alphonſo* IV. Portugalliæ Principi collocavit.

2. Henrico mortuo, prævalente opinione, quod gignere non potuiſſet, accedente Caſtellanorum in Luſitanos odio, plerique Iſabellæ ſorori ejus, ut regni heredi adhæſerunt; quæ clam nupta *Ferdinando* Johannis Arragoniæ Regis filio, ipſius ductu & auxilio Alphonſum Iſabellæ junioris maritum prælio victum regno expulit, anno 1477. ejuſque tanquam ſuppoſititiæ poſteri à Caſtellanis excluſi manſerunt.

3. Ferdinandus & Iſabella deinceps communi nomine regnis Caſtiliæ Legioniſque præfuerunt & fundamenta magnitudinis Hiſpanicæ prima poſuerunt, his fere gradibus; I. quod Arragoniæ & Siciliæ regna cum ulteriori Hiſpania ſuo matrimonio conjunxerunt. II. quod fortunatas quæ dicuntur, miræ fertilitatis inſulas regnis ſuis adjecerunt, anno 1490. III. quod Mauros, qui adhuc regna Granatæ Murciæque tenuerant, penitus in poteſtatem ſuam redegerunt & ſic omni Hiſpaniâ, præter Luſitaniam, potiti ſunt, anno 1492. quo tempore Ferdinandus & Iſabella à pontifice Rom. dicti ſunt *Reges Catholici.* IV quod eodem tempore novum orbem veteribus incognitum, duce *Chriſtophoro Columbo*, Genuenſe, qui ut ſomniorum auctor in Angliâ & Luſitania rejectus fuerat, detexere. Primo Cubam & Hiſpaniolam aliáſque inſulas novæ

 con-

continenti prætextas; Deinde plus ultra progreſſi ſunt, ut ſequenti ſectione videbimus.

4. In Luſitania ſive Portugalia, poſt Johannem nothum, de quo *ſuperius*, & EDUARDUM hujus filium, regnavit ejus filius ALPHONSUS V. manſuetudine prudentiaque inſignis, qui Tingin Africæ urbem apud fretum cepit, eumque anno 1455. ſequutus eſt filius JOHANNES II. magnæ inter ſuos auctoritatis, à quo ſcribit Buchananus, fundamenta tyrannidis, id eſt, arbitrariæ poteſtatis eſſe jacta, eodem tempore, quo Ludovicus XI. in Gallia, Henricus VII. in Anglia, Jacobus III. in Scotiâ, Carolus Audax in Belgica ideminſtitutum preſſerint. *Hiſtor. Scot. l.* 12. *in fin.* Cæterum, hic primus, occupatis in Africâ pluribus locis, & capite *bonæ* ſpei ſuperato ſuis navibus, viam ad Indos Orientales poſteris patefecit.

CAP. VII.

De regno Gallorum.

CAROLUS VII. Galliæ Rex, Lutetiâ Pariſiorum potitus, Anglos domi turbatos magis indies, magiſque ſubmovebat, eoque brevi illos redegit, ut induciis ſeſquiennalibus factis, Henricus Anglus è manu Caroli Galli acciperet uxorem Margaritam, Renati ducis Andegavenſis filiam, indotatam & Angliam turbis impleturam, anno 1444. Induciis autem finitis, invaleſcente Gallorum fortuna & virtute, Angli

gli utraque deſtituti, accedente malorum ultimo, diſcordiâ; quicquid erat illis in Gallia, excepto Caleto, perdiderunt, cis annum 1452.

2. Poſt hæc Carolus in pace regnum tenuit, niſi quod à Ludovico filio vexatus eſt, uſque ad annum 1461. quo in fata conceſſit, inediâ, quam ſibi indixit; imaginatus, id agi à ſuis, ut venenum ei propinarent, idque fortius credens, cum ore per vim aperto alimenta morituro ingererent. Annum agebat ætatis 60. regni 39. Princeps magnitudine regni ſtudioque procerum & populi magis quam ſuo valore Franciæ Inſtauratoris laudem meritus, plerumque luxui & feminarum amoribus obnoxius, magnis tamen vitiis carens.

3. Succeſſor filius ejus LUDOVICUS XI. moriente Patre, agebat in Hollandiâ, ubi à Philippo Burgundiæ duce collocatus erat, fugiens patrem, multis modis ab hoc maligno principe offenſum; qui excuſantem ejus traditionem Philippum monuerat, alere eum ſerpentem in ſinu, quemadmodum ne in exilio quidem rebus hoſpitis turbandis abſtinere potuerat.

4. A Philippo poſt obitum patris honorificè Lutetiam Pariſiorum deductus, cum primum adiit regnum, omnes Patris miniſtros deſtituit, populum onerare cœpit tributis, Proceres excluſit à Conſiliis, cuncta ſuo arbitratu agere inſtituit, tam inſolenter, ut brevi ingens adverſus eum conſpiratio inita ſit; auctoribus Duce Bituricenſi Regis fratre, Britanniæ Duce, & Ca-

lo Burgundiæ ducis filio, qui dicebatur tum Comes Carolœſius.

5. Titulus armorum fuit, *Bellum boni publici*, quod Ludovicus ſcilicet, everſum iret. Perpetratum eſt Burgundicis viribus, reliquis fœderatis ſua non æque præſtantibus, prælio ad monten-Leherium haud procul Pariſiis. Utrimque fuga & victoriæ ſpecies. Sed Rex cum ſuopte ingenio tum ſecutus conſilium Franciſci Sfortiæ ducis Mediolanenſis amici ſui, à quo copias auxiliares habebat & ad quem rebus male cedentibus ſe recipere cogitabat, motos compoſuit fluctus, omnemque operam dedit, ut illum conſenſionis globum diſcuteret. Singulis prope, quæ vellent, addixit, ut ſeparatos, quod uſu venit, opprimeret, aut ſibi reconciliaret. *Boni publici nulla* mentio; niſi, quod dictum eſt, ut de Regni bono in majore Conventu, in quo nihil actum, ageretur: hoc anno 1465.

6. Ludovici non erat rectus, ſed aſtutiæ plenus animus, non inſiſtens regiæ viæ, ſed obliquè ſemper, & ſi res ferret, perfide ac crudeliter agens. Tres habebat ex omnibus inimicos præcipuos, Fratrem ſuum primò Bituricenſem, deinde ex pacto Montherienſi, Normandiæ Ducem; *Franciſcum* Britanniæ Ducem, & imprimis *Carolum*, Burgundum. Ars erat illos dividere & conficere ſingulos.

7. Primo cum frater ejus Normandiæ præeſſet, quæ Britanniæ & Belgicis Caroli ditionibus erat contigua, videbat illos concordes ſe eſſe vali-

validiores. Separatis igitur partibus & diſcordibus aut corruptis Normandiæ Ducis amicis, Rex intra ſecundum menſem admoto exercitu fratrem Normandiâ exuit, & deinde profugum in Britanniam, priuſquam Burgundus illis ſuccurrere poſſet, utrumque Ducem compulit accipere, quas præſcriberet, conditiones, anno 1468.

8. Sed cum metueret, ne Burgundi hortatu fiduciâque frater & Britannus à pactis reſilirent, venit ei in mentem, Burgundum blanditiis & artibus ſuis, quibus pollebat, à reliquis divellere; qua fine Colloquium ejus petiit *Peronnæ*, oppido tum Burgundi proprio, cum paulo ante Leodienſes, qui tunc erant in poteſtate Burgundi, ad defectionem per legatos excitaſſet. Hujus rei vel oblivione vel Leodienſibus opinione celerius motis, dum erat Peronnæ, illorum defectio & fraus Ludovici erupit, ſumma Caroli Ducis (ejus Patre jam mortuo) indignatione, Regiſque periculo & metu. Divertebat in ea parte arcis Peronnenſis, in qua olim Carolus ſimplex ab Herberto Veromanduenſi captus & occiſus fuerat: Non fuiſſet tam deteſtabile Caroli facinus his meritis circumſtantiarum; ſed Ludovicus corruptis aliquot jam pridem Burgundi amicis, quos inter *Philippus Comminæus*, qui dormiebat in cubiculo ducis, noctem præ irâ inſomnem agentis, animum ejus mitigavit, & poſt tridui anxietatem ad novam tranſactionem perduxit; quâ præter ſacrificium Leodienſium, qui mox iræ victoris immolati ſunt, Carolo fratri

Campaniæ comitatum promittebat, Ac ita non ſine ludibrio calliditatis ſuæ vix evaſit 1468.

9. Sed frater ejus, inconſtans animi & obnoxius amicis à Rege corruptis, perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut Aquitaniam loco Campaniæ, quæ vicina Burgundo fuiſſet, acciperet; nec itaquievit Rex, donec eundem fratrem ſuum deteſtabili modo ſuſtuliſſet, veneno per monachum, fratris confeſſorem, & puellam ejuſdem amaſiam fraudis ignaram, ingeſto 1471.

10. Burgundus hoc tragico caſu perculſus non deſtitit tamen urgere Ludovicum, excitando *Eduardum* Angliæ Regem, cujus ſororem in uxorem duxerat, ad bellum Galliis inferendum, pollicitus ſe copias cum illo conjuncturum. Sed cum Anglus veniſſet, Carolus in obſidione Noveſii hærens præſto eſſe non poterat; Comes etiam Stabuli Galliæ San-Polius Ludovici Regis adfinis & inimicus, qui ſimiliter Eduardo fuerat auctor expeditionis tranſmarinæ, fidem de oppido Sancti Quintini Anglis aperiendo fallebat. His rebus factum, ut Ludovicus arte tractans Eduardum, pacem ab eo redemerit, promiſſis Delphini nuptiis cum Angli filiâ & 50. millibus aureorum quotannis in turre Londinenſi ſolvendis, anno 1455. Sanpolius deinde offenſis Gallo, Anglo, Burgundo apud Pariſios capite mulctatus eſt, potentiſſimus & ſolertiſſimus Galliæ Principum, ſed nimiâ calliditate ſe ipſum involvens.

11. Briennio poſtea, Carolo duce ab Helvetiis cæſo,

cæſo, ut in Belgicis videbimus, Ludovicus utramque Burgundiam & Picardiæ partes à Carolo poſſeſſas cum Arteſiâ filiæ ipſius ademit; etſi per matrimonium omni Belgicâ facile potiri potuiſſet; quod cum Burgundicæ domus odio facere noluiſſet, dein pleraque præter Burgundiæ ducatum, ad eandem Domum redierunt.

12. Certiori incremento regni ſui fines auxit Ludovicus hereditate Caroli Provinciæ Comitis, qui ante biennium heres è teſtamento fuerat *Renati* Andegavenſis, *Boni*, Exregis Neapolitani, qui Renatum Lotharingiæ Ducem ex filia ſua Jolantâ nepotem prætererat. Carolus Ludovicum poſteroſque Galliæ reges ſuo teſtamento hæredes inſtituerat, eamque ſucceſſionem Ludovicus, reclamante incaſſum Renato, crevit & Provinciam Franciæ regno in perpetuum conjunxit, 1481.

13. Ipſe rex *Ludovicus* æger corpore, Sed magis æger metu mortis, mirificè in omnes partes ſe verſabat, ut fatum eluctaretur, proceſſionibus, adoratione reliquiarum undique collectarum & ſancti cujuſdam Eremitæ, miracula facientis & ex Apulia arceſſiti, donationibus in medicum, qui ut puerum circumagebat, crebris & immodicis. At tandem fato cedere oportuit anno 1483. ætatis 61. impleto, regni 22. Populum tributis, carnifices ſuppliciis, hoſtes ſuos dolis plus quam vi aperta fatigavit. Una extat ejus conſtitutio inſignis, quâ decrevit, *nulli*

Magiſtratui ſuum munus adimi poſſe, niſi morte, abdicatione voluntaria, vel maleficio judicialiter approbato & judicato, *anno* 1467. quando ſatis conſtat, nihil ad arbitrariam poteſtatem efficacius eſſe, quam ejuſmodi Magiſtratuum dependentiam, qua pro lubitu Imperantium deſtitui, reſtitui poſſunt; In iſta Conſtitutione diuque poſtea Reges ita loquebantur, *Rempublicam regni noſtri*, longe aliter atque deinceps.

14. Filio ſuo CAROLO VIII. commendabat, quod nunquam ipſe in animum induxerat, ut tributis populum allevaret, quæ ipſe quidem auxerat ad *quatuor milliones & ſeptingenta millia* florenorum, quam ejus temporis Scriptores ajunt fuiſſe crudelem & intolerandam exactionem, quæ hodiè ad ſumptus regiæ menſæ non ſufficeret. Eundem filium ſic inſtituerat, ut nihil latine ſciret, quam hoc unum; *Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare*, metuens ne literarum doctrina filium amplius, quam vellet, excitaret; ſecus ac alii, qui filios meliusà negotiis abſtineri non poſſe, quam longiori inſtitutione literariâ crediderunt.

15. Agebat Rex annum 14. quo majores cenſentur Galliæ Reges, ex Conſtitutione Caroli Sapientis. Ideoque Principibus regii ſanguinis, quorum erat jus Tutelæ Ludovico Aurelianenſi & Johanne Borbonio remotis, ſoror Regis *Anna Valeſia*, uxor *Petri Borbonii de Bello Ludo*, vi teſtamenti paterni fratrem ejuſque negotia complexa eſt, omniaque ſatis imperioſe adminiſtrabat.

bat: Unde turbæ inteſtinæ: Quæ deſierunt in bellum Britannicum; In quo Aurelianenſis captus eſt anno 1488. *Johanne* Borbonio conditiones, quas *Anna* ſoror regis præſcripſerat, accipere coacto.

16. Sed cum per biennium Ludovicus Aurelianenſis in turre Bituricenſi captus fuiſſet, Rex à quibuſdam æmulis *Dominæ* excitatus, ignarâ ſorore, Bituriges profectus illum inde exemit, eoque uſus eſt parario ad nuptias ſuas cum *Annâ* Britanniæ herede, Franciſco ejus patre, ducum ultimo, nuper defuncto, contrahendas; quam Ludovicus ipſe prius amaverat ac ambierat. Ita quoque Britannia cum Galliæ regno conjuncta, & deinde corpori regni pro inſtituto Gallorum unita eſt, etſi contra fidem Britannis datam.

17. Hac occaſione *Maximilianus Auſtriacus* Rex Romanorum duplici graviſſimaque adfectus eſt injuria, Sponſa ipſi præreptâ & filiâ repudiatâ. Nam ipſe jam pridem cum *Anna* metuente ducatus ſui cum Galliæ regno unionem, quam & Britanni omnes averſabantur, ſponſalia contraxerat, amiſſa pridem uxore priori Maria Burgundica, jamque matrimonium per Procuratorem erat conſummatum, miſſo Naſſoviæ Comite, cum ipſe adeſſe debuiſſet; qui ut erat armatus, pedem inter ſtragula lecti Annæ ei incubantis immiſerat: Cujuſmodi inania Carolus adſpernatus, & à ſuis productus, cum nec ipſe Vir alioqui validus eſſet, rem cum ipſa confecit.

18. Huic atroci injuriæ conſequens altera fuit, ut Carolus Margaritam Maximiliani filiam, ſibi deſponſatam & cum dote Arteſiæ Burgundiæque jam traditam ſed virginem adhuc, repudiaret Patrique domum remitteret, *anno* 1491.

19. Tantæ injuriæ nonniſi bello expiari poterant, quod cum Angliæ Rege, qui ſero peccatum ſuum neglectæ Britanniæ agnoverat, movit quidem, Sed per inopiam brevi deſtituit; Anglus pecuniam accepit & reverſus eſt in regnum ſuum.

10. Ita Franci omnem Galliam, quatenus Romanis paruerat, exceptis Rheno proximis ditionibus unitam rurſus obtinuerunt, eo ſtatu; quo *Vercingetorix* olim apud Cæſarem prædicabat, *orbem terrarum concordi Galliæ obſiſtere non poſſe*, *COMM. B. G. VII.* Deinceps in medio poſita Europæ ſe ad externas acquiſitiones accinxit, ingenti terrore gentium, ſed auctoribus nondum ad magna natis: Interpellato etiam conatu per Hiſpanos, qui prius adhuc ſuam perſonam in theatro monarchico, donec ſcenam Francis bona fide derelinquant, acturi à Fatis producentur.

21. Bella Gallorum Italica in ordine rerum ſequuntur & ad ſequens intervallum pertinent.

CAP.

CAP. VIII.

De rebus & mutationibus Anglorum, ſub regno Henrici VI.

ANglia, quæ per excellentiam, Hiſtoriæ *Theatrum* vocatur, hoc intervallo nova mutationum, quibus gens delectatur, edidit ſpecimina. Rex *Henricus VI.* ingenio & fato infelix, etſi Galliæ non minus quam Angliæ diademate cinctus, in uxorem duxerat *Margaritam* Andegavenſem, ut *ſupra* intelleximus, anno 1444. Hæc viri potens male conſuluit; Gloceſtriæ dux Regis Patruus & regni diu Protector magnæ Vir probitatis & auctoritatis, cum ejus luminibus officeret, accuſatus Majeſtatis, quia convinci non poterat, in lecto ſuffocatus eſt. Ipſa cum *Somerſetiæ* duce, *Suffolciæque* Comite pro lubitu cuncta regebat.

2. Hiſce odii & invidiæ cauſis accedente contemptu ex rebus adverſis in Galliâ, *Richardus* Eboracenſis Dux auſus eſt ſpargere ſuum jus ex Philippa filiâ Georgii Clarentiæ ducis, qui filius erat tertio genitus Eduardi III. cum *Henricus* præſens Rex eſſet ortus è *Johanne Gandenſi*, quarto ejuſdem Eduardi filio. Hæc eſt controverſia inter domum *Lancaſtriam*, è quâ Rex Henricus erat habebatque *inſigne* Roſam *rubram*, & domum *Eboracenſem*, cujus inſigne erat *alba* Roſa; Funeſtæ factionum teſſeræ!

3. Eboracenſis occulto initio popularem mo-

tum

tum adverſus Regimen, aliis ducibus, excitavit; quia diſſipatâ, ipſe, quaſi contra malos Regis conſiliarios arma aliquoties ſumpta deponere coactus, tandem firmiori conſpiratione facta, Regis copias apud *Albani fanum* ſuperavit, Somerſetium & quos voluit interfecit, Regem cepit *anno* 1455. eoque Londinum adducto, convocatis Ordinibus, Protector Regis & regni eſt declaratus: Sed Reginæ factione contra tendente, res abiit in turbas, quæ ficta amneſtia ſolenniter compoſitæ in bellum rurſus eruperunt, quo primum victor Eboracenſis, mox à ſuis deſtitutus in Hiberniam aufugit. Sed filius ejus Eduardus, cum *Richardo Nevillio*, comite *Warvicenſi*, ad Exoniam Reginæ copias iterum profligarunt, Rege Londinoque civitate captis.

4. Tunc Eboracenſis ex Hibernia reverſus, convocatis Ordinibus, regia ſede occupatâ, Decretum elicit, quo Regni Protector & *heres* declaratur, Regi nominis honore, dum viveret, ſervato. Sed Regina collecto exercitu è Scotia & Angliâ boreali, cum filio Principe, Protectorem cum impari numero obviam nacta apud *Wakesfield*, in prælio, cum Saliſburienſi Comite occidit, & in pleroſque proceres eum ſequentes ſuppliciis impotentibus graſſata eſt.

5. Filius Eboracenſis *Eduardus*, collecto exercitu majore, primo *Pembrocium* Comitem ad Reginam novo cum exercitu properantem haud procul *Schreusburgo* fudit, & Proceres ibi captos ſupplicio adfecit, quos inter maritus *Catharinæ* *Fran-*

Francica, matris Henrici Regis. Dein Regem, cujus præſentia ſemper cladem adferebat, ſecum ducens apud *Albani* fanum deſtitutus à ſuis fuga ſalutem quæſivit.

6. Sed *Warvicenſis* Comes potens & gratioſus in Angliâ, novis auctus copiis Londinum profectus ibique receptus, cum Rex & regina propter rapinas militares odiumque inde collectum excluſi eſſent, EDUARDUM Regem proclamari curavit *anno* 1460. Nec multo poſt decretoriâ pugnâ certatum eſt in campis, qui ſunt inter *Saxtonium* & *Touterium*, ubi Eduardus habens 40. millia contra hoſtium 60. millia victoria potitus eſt, cæſis utrimque millibus 36. & 726. armatis, ut ſcriptores numerant.

7. Henricus & Margarita fugiunt in Scotiam, novoque ibi & ex Anglis ſuarum partium collecto exercitu, fortunam denuo tentant, prælio *Hexhamenſi* æquè ſiniſtro ſucceſſu, Henrico fuga vix elapſo; Victoria identidem, illuſtribus magno numero ſuppliciis obſignata. Henricus paulo poſt repertus in Anglia captus & pedibus ſub equi ventre ligatis, in turrim Londinenſem deductus eſt. Uxor & filius cum reliquis proceribus gladio ſubductus in Galliâ exilium quæſiverunt.

CAP. IX.

De regno Eduardi IV.

EDuardus jam ſolus Rex, ut ſe firmaret adfinitate externa, Warvicenſem Comitem mittit in Galliam, qui petat in uxorem *Bonam* è Sabaudia Galliarum Reginæ ſororem: Sed interim captus amore *Eliſabethæ Grayæ*, viduæ mulieris, hanc ſubito in uxorem duxit. Quod ægrè ferens, accedentibus aliis cauſis, Warvicenſis, adverſus *Eduardum* conſpirat, cum ipſo ejus fratre *Georgio* Clarentiæ duce, genero ſuo aliiſque. Fudit ejus copias primò in campis *Bamburiis* & mox ipſum in caſtris ſuis inque lecto ſuo oppreſſum capit.

2. Evaſit è Cuſtodia Rex *Eduardus*, & novum collegit exercitum, cum quo Warvicenſis copias ſub Roberto *Welſio* fundit & decem millia cædit apud *Stongrum* in Staffordia. Qua clade coacti Clarentius & Warvicenſis in Galliam aufugerunt: ubi regis *Henrici* filius exul Annam Warvicenſis filiam ducit in uxorem; quæ res *Clarentii* mutavit animum, ita ut fratri Eduardo cuncta hoſtium conſilia patefaceret.

3. Nihilo tamen ſecus *Warvicenſis* cum parva manu reverſus in Angliam, *Dartmuthum* in Devonia occupat, proclamatoque Regis Henrici nomine ſuoque favore, tantum excitavit confluxum, ut repente *Eduardus* ſe deſtitutum videns, cum ſuis in duas naves Hollandicas

cas ſe conjecerit, appulitque *Alcmariam*, Et juſſu Caroli Burgundiæ ducis aliquandiu Hagæ ſuſtentatus eſt, ſub finem anni 1471.

4. Interim, Henricus Rex è carcere denuo collocatus in throno, ſua infelicitate rurſus factionem ſuam perdidit. Nam Eduardus à Carolo Burgundo, etſi domum Eboracenſem non amabat, tamen quia ſororem hujus *Margaritam* habebat in matrimonio, ſubminiſtravit ei 18. naves onerarias, duo millia militum & quinquaginta florenorum millia pecuniæ, quibuſcum applicuit in Ducatum Eboracenſem.

5. Sed cum frigidè exciperetur, palam juravit ad aras, ſe nolle regnum, ſuo patrimonio fore contentum, cui tam æquo poſtulato multi adſtipulabantur: ubi virium non pœnituit, Regem ſe tulit. Warvicenſis à Clarentio genero, fratri clam reconciliato deſtitutus prælium recuſabat. Eduardus igitur Londinum contendit, ubi Rex *Henricus* erat; duæ rationes civitatem Eduardo conciliarunt, ſi *Comminæo* credimus, Anglis abnuentibus, Æris alieni, quo Eduardus obſtrictus erat civibus, magnitudo; & matronarum, quæ in viros Anglæ validum habeant imperium, adverſus Eduardum, formæ virum pulcherrimæ, affectus.

6. Warvicenſis odii in Eduardum pervicax, omnia pacis conſilia reſpuit; collecto majori exercitu, conflixit ad *Barnetum* & vicerat, niſi obortâ nebula milites ejus, copiis Oxfordii Comitis ſociis, errore ſignorum, quæ ab una parte

Sol

Sol cum radiis, ab altera Stella ſcintillans erant, impacti fuiſſent; Oxfordius proditionem metuens, ſe recepit. Warvicenſis fortiſſime dimicans occubuit, *anno* 1471.

7. Margarita Regina per omnem hyemem adverſa tempeſtate in Galliâ detenta ſero adfluxit, cum filio; Reliquiæ tamen partium aleam belli denuo jaciendam ſtatuunt. Concurritur apud *Feukesburgium* in ducatu Gloceſtriæ, Duce Somerſetio; qui ſtrenui imperatoris officio functus cum dux alter *Winlocius* quieſceret, hunc quidem interfecit; Sed cladem per hanc confuſionem evitare non potuit; Ipſe periit pugnans; reliqui ſuppliciis. *Eduardus* princeps Henrici Regis filius, poſt aciem, à *Richardo* Gloceſtriæ duce regis Eduardi fratre confoſſus eſt. Idem *Henricum* Regem in carcere ſua manu interfecit. 21 *Maj* 1472. Regina capta dein pretio à Patre ſoluto redempta eſt. Idem *Richardus* Eduardo fratri dein auctor fuit, Georgium alterum fratrem Clarentiæ ducem ob veterem defectionem tollendi è medio, & ſuffocatus eſt in dolio vini, ut ajunt, *malvaſii*, ne mors acerba videretur.

8. Poſt hæc in gratiam *Caroli* Burgundiæ Ducis, bellum intulit Gallis; Sed cum dux ſocietatis leges non ſervaret, Eduardus à Ludovico Galliæ Rege pacem ſibi nulla re geſta paſſus eſt imponi, *anno* 1475. ſub lege penſionis 50. millium aureorum & matrimonii filiæ Anglicanæ, cum Delphino, quam Eduardus exinde juſſit

ap-

appellari *Dominam Delphinam*, nullo ſucceſſu, ut ex *ſuprà* dictis conſtat. Eduardus ſe deluſum dolens vita defunctus eſt, anno ætatis 42. regni 23. *Chr.* 1483.

CAP. X.

De regno Richardi III. & Henrici VII.

FIlium reliquit *Eduardum* undecennem, qui Rex, & *Richardus frater*, de cujus ingenio truculento audivimus, *Protector*, ſive Tutor, declaratus eſt; Verum is maluit eſſe Tollitor. Regem puerum cum fratre noctu in turre Londinenſi interfici curavit, loco ſepulturæ ignorato uſque ad tempus Caroli II. quo reperta ſunt oſſa, nuper in eadem arce ſub ſcalis quibuſdam.

2. *Richardus* jam ante cædem, enixiſſimè adjuvante Comite *Buckingamio*, Rex inauguratus erat, hoc prætextu, quaſi pueri eſſent illegitimi, matre puerorum prius alii deſponſatâ. Poſt cædem, Comes abhorrebat parricidam & cum Epiſcopo *Elyenſi* aliiſque pluribus *Henricum* Rychmundi Comitem, proximum heredem domus Lancaſtriæ, ad regnum evehere conſtituit, ſub lege ducendi in uxorem Eliſabethen filiam natu majorem *Edardi* IV. ut jus utriuſque Roſæ in unum conjungeretur.

3. Sed Buckingamius detectus arma ciens, oppreſſus & ſupplicio adfectus eſt. Epiſcopus in Britanniam gallicam aufugit, ubi *Henricus*, qui ſemel cum 40. navibus & militum 4000. ſe mari commiſe-

rat, tempeſtate rejectus adhuc agebat, ibique Proceribus ad eum confluentibus juratam dedit fidem de nuptiis *Eliſabethæ* Eboracenſis; Sed inſidiis ſibi à Landæo ducis miniſtro ſupremo in Britannia fieri ſentiens, abiit in Gallias.

4. *Richardus* omnium gnarus, ab *Eduardi* Regis vidua, muliere inconſtante, filiam *Eliſabethen* impetravit, Cujus nuptiis homo ſcelerum minime rudis, domum, uxoris ſuæ morte properata, vacuam fecit. At puella tam diu reſtitit, dum *Henricus* è Gallia in Walliam trajiceret, cum duobus millibus militum & navibus aliquot onerariis, confiſus amicis ſuis in Anglia, quorum aliqui rectà ad ipſum, alii corporibus apud *Richardum*, animis ad *Henricum* ſpectabant.

5. Richardi acies non habuit ultra octo millia peditum equitumque, nec Henricus ultra dimidium ejus numeri. Concurſum eſt apud *Boſwortum* in Leiceſtriâ. In ipſo conflictu Stanlæus ex Richardi ducibus, cum duobus equitum millibus tranſiit ad Henricum; Comes Northumbriæ cum ſuis quieſcebat, idemque plures alii, qui Richardum oderant & ſequebantur. Ipſe fortiſſime dimicans, cum *Jacobo Norfolcio* aliiſque mille circiter hominibus occubuit, anno ætatis 37. regni 3. *Chr.* 1486. Tam facile potitus eſt regnò Henricus, de quo toties antea graviſſime certatum fuerat; etſi parum abeſt, quin ſingulis præliis ſcena mutata fuerit.

6. HENRICUS omnium primò Eliſabethen

then Eduardi Regis filiam duxit quidem in uxorem: At Regni jus ab uxore nullo modo, verum à jure domus Lancaſtriæ, quod erat ipſius, petendum cenſuit. Hoc etiam novi ſtatuit; firmas cohortes Prætorianas in corporis ſui cuſtodiam, primus Regum conduxit; quas ſecuti Reges cupide retinuerunt; denique ſocrum ſuam, quæ Richardi rebus ſtuduiſſe videbatur, omnibus ſuis bonis ſpoliatam in monaſterium relegavit.

7. Domi auctoritatem ſuam multa arte prudentiaque ſtabilivit, foris magna non geſſit. Britanniam ſumma negligentiâ an avaritiâ paſſus eſt à Gallis occupari, auxiliis ſerò ſubmiſſis. Dein cùm Maximiliano Romanorum Rege bellum Gallis intulit; eodem quo Rex Eduardus ſucceſſu: Cum Maximilianus nihil in rem communem conferret, ipſe pace Gallis venditâ domum rediit, anno 1491.

8. Multum ei moleſtiæ creavit *Margarita*, Caroli Burgundiæ ducis vidua, ſoror *Eduardi* Regis, odio Lancaſtriæ domus, cum ipſa eſſet Eboracenſis; ſubornavit primo puerum, qui ſe Comitem diceret Warwicenſem *Georgii* Clarentiæ ducis filium: eique duo millia Germanorum militum ſuppeditavit, cum quibus ex Hibernia indigenis auctus in Angliam duce Lincolniæ Comite trajiciens, haud procul Newarckio, magna Germanorum laude & ſtrage victus eſt; Falſus ille comes captus in Regis culinam relegatus eſt.

 9. Plus

9. Plus negotii fuit ab alio quodam adoleſcente ex ejuſdem Margaritæ ſcholâ, qui ſe *Richardum* Eboraci ducem Regis Eduardi filium ſecundo genitum, interfectum quidem, ut ſuprà intelleximus, ſed ut ejus ſepultura non conſtaret, ferebat; tantâ veri ſpecie, adſeverante ſcilicet amitâ, ut Jacobus IV, Scotiæ Rex adfinitatem cum eo contraheret, magnoſque animorum in Anglia motus excitaret. Sed poſt irritas aliquot è Scotia & Hiberniâ expeditiones, poſtremò captus eſt, *Perkinus Warbek* tenebrionis alicujus filius repertus & ſuſpendio poſt 7. vel 8. annorum turbas necatus eſt Londini.

10. Ea res & Henrici regimen ultra ſectionis hujus terminos procurrit. Vim regiæ poteſtatis hic plurimum intendit, parcius tamen multò quam Ludovicus XI. in Gallia, cujus poſteri veſtigiis ejus inſtiterunt. Etiam in Angliâ Henrici filius; ſed ibi deinde mutata res eſt. Minus duravit in SCOTIA tyrannicum *Jacobi III.* inſtitutum, quem Proceres, magis quam filius 15. annorum, adverſus eum arma capientes, interfecerunt, in mola aquaria, in quam à clade ſe receperat, *anno* 1489. Filius ejus Jacobus IV. aliam morum & regiminis viam tenuit. *Polydor. Virgil. Baker. Buchan. Hiſt. Scot.*

CAP.

CAP. XI.

De rebus Belgicis.

BElgica, antiquitus ſignificat regiones, quæ inter Sequanam, Rhenum & Oceanum ſitæ ſunt; hodiè gentes eas tantum ex illis, quæ à Galliæ regno ſeparatæ ſunt; & quia deinde quidam populi transRhenani illis juncti fuerunt, ut pars Gelriæ, Hollandiæ, Trajectini agri, Tranſiſulania & Friſia, nomen idem his quoque regionibus, quæ nihil ad antiquam Belgicam, hæſit. Hoc corpus gentium, ſequentis hiſtoriæ tam notabilem facit partem, ut ſeorſim poni mereatur.

2. Diximus antea, *Philippum* Burgundiæ Ducem, qui Bonus eſt dictus, magna cum auctoritate famâque per orbem, poſſediſſe has regiones; Brabantiam, Limburgum, Flandriam, Arteſiam, Hannoniam, Hollandiam, Zeelandiam, Friſiam occidentalem, quæ nunc Hollandia borealis; quibus acceſſit Luxenburgi ducatus, armis prius occupatus, dein auro ad juris prætextum emptus: Gelri, Ultrajectini, Tranſiſulani ſuis adhuc dominis parebant. Friſia major inde à tempore Caroli M. libera fuerat, etſi Comites Hollandiæ & ex parte Epiſcopi Trajectini jus in eam ſibi arrogabant. Sed extremis hiſce temporibus, libertas in bellum omnium contra omnes, ſub duabus ſummis factionibus *Vetcoperis & Schiringiis*, degeneraverat, quæ con-

tages etiam Groninganos cum agris circumjectis infecerat, quando & Hollandia ſub ipſo duce Philippo adhuc erat infeſta factionibus *Hæxiorum* & *Cabeljaviorum*, de quibus antea dictum eſt. Friſia ulterior, quam nunc Orientalem vocant, hactenus æquè libera, incidit in dominatum unius, potentiâ & artibus *Ulrici Sirxena* dynaſtæ Gretani anno 1454. à quo ſunt præſentes Friſiæ Orientalis Principes.

3. *Philippus* haſce regiones juxta utramque Burgundiam aliaſque plures in Gallia ditiones, potentia & magnificentiâ regali in pace, paucis tumultibus exceptis, florentiſſimas tenuit, ad mortem uſque ſuam, quæ accidit *anno* 1467. Succeſſori *Carolo* filio longè alia morum via fuit. Ambitioſus, arrogans, inquietus, multum audaciæ, cautionis parum; Unde agnomen ei hæſit Audacis. Bella ejus fuerunt hæc, præter Gallicum, quod *boni publici* dictum eſt, de quo diximus, aliud *Gallicum*, Leodienſe, *Gelricum*, Colonienſe, & Helveticum.

4. Leodienſes multis injuriis protervos & ſæpe reſurgentes magnis cladibus & ſuppliciis & tandem urbis incendio populique diſſipatione compeſcuit, quam ultimam cladem belli concitor Rex *Ludovicus* ipſe, comes Ducis, adſpicere coactus eſt, (erat enim hæc una è conditionibus Peronnenſibus, de quibus *ſupra*) eaque annis 1467. & 1468. geſta ſunt.

5. Bellum Gallicum anno 1470. inchoatum ſubita Gallorum invaſione in Partes Picardiæ Caro-

Carolo parentes, brevi per inducias finitum eſt; mox arma repetita, rurſus poſita per inducias *anno* 1473. Exinde Ludovicus Ducem ſibi ipſi, ſuum maximum ipſius inimicum, reliquit.

6. Interim Geldriâ bello civili inter Arnoldum ducem ejuſque filium Adolphum ardente, cum filius nullum modum aut finem impietatis in Patrem faceret, Carolus hunc, pace in caſſum tentatâ, dedit in cuſtodiam. Pater Adolphus exheredato filio, Ducatus ſui jus in Carolum tranſmiſit, reſervato ſibi uſufructû; brevique poſtea mortuis Patre filioque, Geldria ceſſit Carolo, manſitque dum vixit.

7. Bellum Colonienſe fuit, ad mittendum in poſſeſſionem Archiepiſcopum, electum è domo Palatinâ, contra alium ex Haſſiâ. Hærebat in obſidione urbis *Noveſii* Carolus; & Germania ſe commovebat, metu vicini Principis tam potentis, ſuis ſe rebus miſcentis. Imperator Fridericus aderat, cum exercitu. Res ægrè compoſita eſt, urbe ſalva. Dein Carolus Lotharingiam, duci Renato ſine magna difficultate, cauſis quæſitis, eripuit.

8. Poſſidebat tunc à Friſia ad Helvetiam uſque immenſum tractum, inter Galliam & Germaniam medius; ſi quieviſſet, arbiter pacis & belli in Europa futurus. Sed *Helvetiam* tum vilem habitam cupiebat, ut tranſitum in Italiam, eâque ſubactâ adverſus Turcas haberet: vaſtaque ſcilicet animo vano volvens.

9. Mox adfuit occaſio; Nam Helvetii Ferretenſem Comitatum à Sigiſmundo Auſtriaco

pignori Carolo datum obiter invaſerant: Dux in Helvetios movit, qui bellum deprecabantur; ſuarum adhuc virium ignari & præ ſe ferentes, totius Helvetiæ prædam non valere calcaria equitum Ducis Burgundiæ: Sed inſiſtente Carolo, commiſſum eſt prælium ad *Granſonium*, quo Dux indocili clade adfectus, iterum ad *Moratum* victus copiiſque & impedimentis exutus eſt: Helvetiis opum inſuetis, repente ditatis; idque initium dedit gloriæ gentis, Ludovico Rege illis impenſe blandiente, ut etiam ad ambitionem Helveticæ civitatis petendæ ſe demitteret.

10. Dux *Audax*, fortunæ concedere & vires ſuas quiete aliquâ inſtaurare neſcius, *Nanceum* Lotharingiæ civitatem pro Renato duce infeſſam, hyeme anni obſedit, ubi rurſus accedente proditione *Campobachi* Neapolitani, cui ſoli, reliquis ſpretis, fidem habebat, à *Renato* cum Helvetiis fuſus & ipſe interfectus eſt *anno* 1476.

11. Filiam reliquit unicam MARIAM, XVIII annos natam, cujus nuptias antea cunctis Europæ Principibus oſtentaverat. Puella confeſtim à Ludovico XI. qui nihil minus quam univerſæ domus Burgundicæ interitum ſibi pollicebatur, armis petita, domeſticis copiis & exterorum auxiliis penitus deſtituta, civium, maxime Gandenſium tumultibus adhuc inſanis indigne agitata, nihil quod opponeret, habebat. Eduardus Anglus, à quo uno ſpes erat & quem Ordines ſui impellebant, voluptatibus, pecuniâ Gallicâ & fide per ludibrium de matrimonio filiæ ſuæ cum Delphino

phino datã, impediebatur. Sola negotii & provinciarum moles, potius quam vis oppoſita continuit Gallos intra terminos victoriarum, quos antea diximus.

12. Matrimonium *Mariæ* cum *Maximiliano* Friderici Cæſaris filio magis illum victoriæ terminum fixit, anno 1477. qui tamen, ut modicæ vires ejus erant, impedire non potuit, quominus Geldri à domo Burgundicâ deficerent, propoſita ſibi Catharina *Adolphi* ducis ſui nuper occiſi, ſorore. Sed Gallos luculentâ victoria ſuperavit *ad Guinegatam* in Picardia, præcipiti prædæ rapiditate, victoriâ ad ipſos inclinante amiſsâ, *anno* 1479. quam victoriam brevi ſecutæ ſunt induciæ. Inde Geldri ad obſequium reducti; Sed Maria ex equo in venatione conſternato prolapſa periit anno 1482. relicto filio *Philippo* & Margarita filia, quæ ſponſa Delphini dein repudiata eſt, ut ſuprà vidimus.

13. Maximilianus in Hollandia & Zeelandiâ, ubi interim factiones antiquæ, deformes, perpetuas dederant turbas, ut filii ſui Tutor agnitus à Flandris idem omnibus obtinere non potuit. Cum proficiſcendum ei eſſet in Germaniam, Belgicæ omnis Præſidem conſtituit Engelbertum Naſſoviæ Comitem, *anno* 1485. Ipſe Francofurti Rex Romanorum ſequenti anno creatus & reverſus, cum Brugis pro imperio agere vellet, à civibus cuſtodiâ inſolenter præcluſus, nec niſi motâ ad ejus liberationem Germaniâ dimiſſus eſt. Ipſe dein Flandriæ adminiſtratio-

tioni, pecuniam, qua ſemper egebat, ſtipulatus, renuntiabat, ægrè id ferentibus Brabantis & Hollandis, qui Flandrorum ferociam coërceri maluiſſent. Fridericus Imp. Flandriam ingreſſus, & agros populatus rediit in Germaniam. Sed anno 1489. pax, arbitro Rege Galliæ, Maximiliani commodo inita, publicata eſt.

CAP. XII.

De rebus Græcorum & Turcarum.

SUperſunt reliquiæ miſerabiles Imperii Græci. Poſt Turcicam Varnenſem victoriam tributo illis obnoxius vixit *Johannes Palæologus* uſque ad annum 1448. ſucceſſore filio *Conſtantino*, qui Demetrio & Thomæ fratribus Moream, quæ eſt Pelopnoneſus, dividendam conceſſit. Primo Conſtantinus rem ſtrenuè adverſus Turcas, fuſis aliquoties illis fugatiſque geſſit. At poſtremo vim eorum ferre non potuit, adeò ut murum quoque *hexamilium* Iſthmi Corinthiaci Turcarum juſſu diruere coactus ſit. Solus *Scanderbegus* Epiri Princeps defectionem à Turcis, indomita fortitudine crebriſque victoriis ab anno 1443. per annos 23. ſuſtinuit. Cujus rei dolore furens Amurathes *Croyam* Epiri urbem præcipuam obſidens extinctus eſt. Scanderbego mortuo, filius ejus bello Turcico impar Venetias conceſſit, Epiro à Turcis occupata.

2. Succeſſit ei filius *Mahometes* II. qui tandem Conſtantinopolim, armata manu, ipſo Pente-

te-

tecoſtes feſto die, anni 1452, expugnavit, dum cives remiſſius pugnarent, inani perſuaſione cujuſdam vaticinii, quo ferebatur; *Urbem ab hoſte potentiſſimo captum iri; Sed cum is ad taurum aneum penetraſſet, fore ut magna cum clade rejiceretur.* Quare ad locum *ab aneo tauro* dictum frequenter confluxerunt, & dum illic à cœlo potius, quam ab armis brachiiſque ſuis auxilium expectant, oppreſſi ſunt. Imperator cum omni familiâ interfectus & civitas omnia miſerrimæ captivitatis mala perpeſſa eſt. Mahometes illuc regiam ſedem ſuam contulit; poſt dedicationem à Conſtantino Magno, factam anno Chr. 330. ad exitum hujus Conſtantini ſunt anni 1123.

3. Quomodo ab Hungaris deinde apud Belgradum refutatus ſit *Mahometh*, *ſupra* intelleximus. Sed Corinthum, Lemnum, Mitylenen, Eubœam, quam *Negropontem* vocant hodie, Venetis eripuit; etiam Hydrunte captâ & aliquandiu inſeſſa, terruit & populatus eſt Italiam, Sed in Aſiâ longè lateque victor graſſatus eſt, pleriſque regulis ſubactis, Imperium quoque *Trapezuntinum* evertit, quod *Comneni*, eo tempore, quo Latini Conſtantinopolim ceperant, ex Cappadociâ & Colchide fundaverant: Davidem Comnenum in poteſtatem radactum cum omni familia Conſtantinopolin abduxit.

4. Uſum-Caſſanem vero ex Turcicâ principe familiâ *Aſſimbejorum* ortum, Davidis generum, qui pulſis Tartaris, Perſiæ regno potitus erat circa annum 1470. convellere non potuit, etſi ille

Da-

Davidi ſocero volens ſuccurrere, contra Mahometem male pugnavit, *anno* 1474. Nihilo ſecius idem habuit ſucceſſorem *Jacuppum* filium *anno* 1478. quem poſt ſeptennium uxor adultera veneno ſuſtulit, cum Vir eam prius, re perceptâ, reliquum bibere coëgiſſet.

5. Mahomethi anno imperii 42. æt. 53. Chr. 1481. mortuo ſucceſſit filius *Bajazethes* II. à militibus majori filio Zizimo prælatus, qui ad equites Rhodios fugiens venit in manus Gallorum, à quibus Innocentio VIII Pontifici traditus eſt, qui, & Alexander VI. ejus ſucceſſor pro 50. millibus aureorum annuis à Bajazethe acceptis eum arcte cuſtodierunt, donec Alexander eum tradere coactus eſt Carolo VIII Galliæ regi, bellum Turcicum meditanti, Sed veneno prius lento maceratum, quo brevi deceſſit è vita, ut teſtis eſt *Guiccardinus aliique Auctores à Beſoldo excerpti in ſer. & reb. Turcar.*

CAP. VIII.

De ſtatu Eccleſiæ.

IN annum 1449. incidit exitus Schiſmatis Papalis, præcedenti ſectione memoratus: Scilicet, *Fœlix* Antipapa videns ſe non poſſe diutius tenere Principes & populos, qui adhuc ipſi adhæſerant, cum adverſario *Nicolao* V. pactus eſt, ut Pontificatum non quaſi invaſum ſed ut jure ſibi debitum, pacis cauſa, deponeret, Cardinalibus ſuis in ſacrum ordinem adoptatis & ſibi

reſer-

reſervata legatione multarum regionum. Deinde *Nicolaus* de novo electus eſt in Concilio, quod in hunc finem Baſilæâ Lauſannam erat tranſlatum.

2. Ab hoc tempore Pontifices Romam ampliſſimaſque Sedis ditiones ſuo arbitratu ſoli poſſederunt, donec aliquandiu poſtea Deus aliunde Schiſma, de quo ſequenti ſectione, gravius immiſit. Poſt *Nicolaum* V. ſedit Calixtus III. ab anno 1455. per tres annos totidem menſes. Exinde electus eſt Vir omni genere doctrinæ cultiſſimus *Æneas Sylvius*, qui dictus eſt *Pius* II. per ſexennium; de quo id obſervatur, neminem antea cenſorem fuiſſe Cleri acriorem, neminem poſtea cleri æque vitioſi acriorem fuiſſe defenſorem. Hunc ſecutus eſt *Paulus II.* paulo minus ſeptennio. Tum *Sixtus* IV. per annos 13. & *Innocentius* VIII. deinceps, de quo Guiccardinus *lib.* 1. illum turbatâ prius Italiâ, deinde pacis à Principibus conſtitutæ, libidinibus ſuis involutum acquieviſſe ſcribit.

3. Porrò hujus intervalli principio repetita fuit ſolennis reconciliatio Eccleſiæ Græcæ cum Latina, in concilio Ferrarienſi, quod Florentiam tranſlatum fuerat anno 1493; Sed ut Imperator hanc voluntatem, quò à Latinis auxilia adverſus Turcas impetraret, libens induebat, ita Clerus populuſque Græciæ hæc molimina identidem vel deteſtati ſunt vel eluſerunt. Poſt captam à Turcis Conſtantinopolin manſit quidem Eccleſia Græca, manſit Patriarcha ſub Lege tributi

buti Turcis ſolvendi; Sed omnia ſervitutis & ignorantiæ miſeriis oppreſſa & deformata jacuerunt.

4. Plura de rebus Eccleſiaſticis hoc loco, ut eſt inſtitutum, non habemus; niſi libeat adnotare, genus Theologiæ myſticæ, ſive amoris divini, quæ adhuc in monaſteriis delituerat, raro exemplo illuſtratum eſſe à *Catharina Fleſca*, à marito *Adornia*, matrona Genuenſi, in cujus Hiſtoria hæc fere ſingularia ſunt. Converſio repentina per raptum ad amorem Numinis, ſine contritione prævia; odium naturæ propriæ & imperioſa ac immanis affectuum oppreſſio; Averſatio peccati major quam à cruciatibus inferni; Annihilatio facultatum corporis & animi naturalium, ut nihil quam amor purus ſupereſſet; Duratio complurium dierum abſque cibo & potu, viſu, auditu, Rurſus ingeſtio alimentorum immodica & digerendi facultas enormis; Cruciatus corporis & anxietas maxima in extaſibus. De cultu imaginum, invocatione ſanctorum nihil. Liquidiſſima perfectio & conſumptio omnis materiæ peccati in corpore & animo & ex illis Deificatio, ſive unio cum Deo mirifica per participationem, Quæ aliaque plura forte ſupra ſacrarum literarum exempla, hiſtoricè *in ejus vitâ* demonſtrantur.

5. Haud abſurde ad res etiam Eccleſiaſticas referatur artis Typographicæ inventio, quam Divina providentia, ut ingens doctrinæ renaſcentis & reformandæ religionis inſtrumentum,

pau-

paulo ante renovatam Evangelii prædicationem eniti voluit, quo poſitis rudimentis, hæc ars in tempore deſtinato operi parata atque exculta foret. Prima ejus notitia refertur ad annum 1440. auctore *Laurentio Janſenio* Harlemenſi Batavo, Sed deinde magis exaſciata eſt è *Johanne Cutembergio* Moguntino, incertum an rudimento à Laurentio, ut quidam volunt, petito. Nam hic alio modo, fere ut Sinenſes jam olim inſtitutum habuerunt, literas in tabulis contiguas exſculpebat, eaſque integras atramento inductas chartæ imprimebat, ut ſibi à Petro Scriverio, primi ſpeciminis Laurentiani exhibitione, demonſtratum ſcribit P. Bertius in *German. urbe Magunt.*

SECTIO III.

De rebus Imperatore Maximiliano I. geſtis ab anno 1493. *ad annum* 1519.

CAP. I.

De ſtatu Europæ univerſo & de Germania ſeorſim.

A Mille trecentis annis non fuerat major in orbe tranquillitas, quam in exitu ſuperioris initioque hujus intervalli. Germania nullis agitata turbamentis; Nihil inter Imperatores & Pontifices certaminis: Nec illi tam potentes, ut quietis inter ſe Principibus Imperii, metum facerent: Foris nemo, qui ferreum illud corpus unitum laceſſe-

ceſſere auderet. Nihil in Hungaria Poloniâve turbarum. Nec apud Danos quidem & Svecos, præſenti rerum ſtatu. In Italia bilancem inter Venetos cæteraſque poteſtates prudentiſſimè tenebat *Laurentius Medicæus*. In Gallia *Carolus*, qui in ſuam recens Tutelam venerat, nullam belli cauſam habebat. In Anglia *Henricus* VII. ex inſtituto; *Ferdinandus* & *Eliſabeth* ejectis Mauris, alta pace fruebantur, omnes prudentiæ laudatores. In Belgica Philippus Auſtriacus XVI. annosnatus æque tranquillus; Nec ipſe Bajazethes Turca, fratre pulſo, qui in Italia cuſtodiebatur, quicquam aliquandiu moverat: Ne quidem in Perſide reliquove Oriente motus ulli notabiles.

2. Cauſa præcipua tantæ malaciæ, virium æqualitas & mutuus metus. neque diu ceſſavit infeſta mortalibus erinnys. E Gallia primus erupit motus, ambitione quietiſque impatientia gentis; denique virium ſuarum, quæ nuper admodum creverant, fiducia; In Germaniam tamen nihil moverunt: etſi gravibus in gentem, maxime verò in Imperatorem injuriis, quarum aliquæ nobis occurrent, non abſtinuerint, quas rubro codici inſcriptas reſervabat Maximilianus; ſed quem aliquando cum Gallis reconciliatus eſſet, ab eo combuſtum refert Guiccardinus. Si quæ noſtro tempore Gallorum in Germaniæ Imperium commiſſæ ſunt injuriæ, libro inſcribendæ, ſint, cum veteribus nulla parte comparandæ qualem illum oporteat eſſe codicem, rubrum an at-

utrumve Gallorum non intereſt. Sed nos ordine conſueto res Germanicas primo perſtringemus.

3. Imperator MAXIMILIANUS Patri admodum diſſimilis fuit. Hic enim pacis tenax minimeque novus auctor haberi. Filius ingenii militaris & mutationum adſerendiqué obſoleta Imperii jura cupidus. Pater avarus; filius non tam liberalis quam profuſus, & pecuniæ undique diffluens, ſemper egens. Pater tenaciſſimus propoſiti: Filius inſtabilis. Quia tamen inſignes virtutum ſpecies habebat, comitatem, liberalitatem, literarum, pietatis & juſtitiæ amorem rei que bellicæ notitiam, magna viribuſque majora conſilia præferens, initio magnam ſui expectationem domi foriſque nec parvam ſpem reſtituendi vetuſto ſplendori Imperialem Dignitatem excitaverat. Quomodo eam impleverit, in Italicis potiſſimum videbimus.

4. Quippe *Germania* nullam rerum novarum materiam, nunquam magis immota pace, præbuit, niſi quod Maximilianus Auſtriam, Hungaris poſt obitum Matthiæ Regis inter ſe commiſſis, facile recuperavit: Exceptis etiam Bavaricis rebus, quæ turbatæ ſunt è teſtamento *Georgii* Bavariæ Ducis, *Divitis* dicti. Habebat is unicam filiam *Eliſabethen Ruperto* Comiti Palatino nuptam, quam ipſius Bavariæ Ducatus heredem inſtituerat. Sed *Albertus* Bavarus Maximiliani adfinis jure gentilitio feudali Ducatum ſibi vindicabat. Philippus Elector Palatinus fi-

lio Ruperto aderat; Alberto Imperator aliique Principes Domui Palatinæ invidentes, vel ſucceſſionem perverti nolentes. Exitus fuit pro Alberto, unde & jus ſtare credebatur; mortuis ex animi mœrore *Ruperto* ac *Eliſabethe*, extremis Maximiliani *temporibus*. Ipſe Lintzii in Auſtria ventris profluvio extinctus eſt, initio anni 1519.

CAP. II.

De regnis Daniæ & Svetiæ.

JOhannes Daniæ Rex à Svecis pridem electus, & prætextu pactorum fundamentalium è regni poſſeſſione, opera potiſſimum *Stenonis Sturii* diu prohibitus, Svetiam inde ab anno 1487. obtinuit, eoque rem poſtea deduxit, ut filius ejus *Chriſtianus* II. qui & *Chriſtiernus*, ſucceſſor & Rex ibidem declaratus ſit *anno* 1599.

2. Sed brevi poſtea Dithmarſi populus inter Sleſwycum & Holſatiam, agrum incolens fertilem, etſi nullis urbibus, ſpiſſe tamen habitatum, antiquæ & acerrimæ libertatis ingenti clade circumventos oppreſſere Danos. Cujus tanta famæ contagio fuit, ut in Suetiam & Norwegiam uſque, gentibus illis ad rebellionem concitatis, pertigerit. Sed Norwegi à *Chriſtierno* Johannis filio ad officium vi reducti ſunt, à quo tempore Daniæ Reges ſe ut hereditarios Norwegiæ, cum in Dania jus electivum eſſet, geſſere. Sveci libertatem ſub prædicto *Stenone Sturio*

rio ut adminiſtratore uſurpatam retinuerunt, etiam poſt mortem ipſius *Johannis*, quæ accidit anno Chr. 1512. regni 32. laude Principis ſtrenui, prudentis & benigni relictâ.

3. Succeſſit è continenti in Daniæ regno ex Ordinum voluntate, in Norwegia jure jam hereditario CHRISTERNUS, qui bello ſtrenuus, ingenio validus habebatur, Nobilitati iniquus, apud plebem ambitioſus. At cum Svecis, à quibus pridem Rex erat receptus, *Stenonis Sturii* junioris, qui patris locum ceperat, ductu uſque ad annum 1519. bellum habuit, quo tandem *Stenone* cæſo, impunitatem generalem & ſalva gentis jura pollicitus *Stokholmiæ* Rex inauguratus eſt.

4. Magna opus erat prudentia ad gentem liberam, ferocem, Danis æmulam, toties rebellem in officio continendam. Auctoritatis ei ſatis eſſe poterat, ſi recte conſuluiſſet, plebemque & Proceres civiliter habuiſſet vel inter ſe commiſiſſet; adfinitate foris magnifica ſublevatus; ductâ in uxorem *Eliſabethe* Caroli Cæſaris V. ſorore. Sed hoc decus corrupit, nimis manifeſto concubinatu *Divicæ* virginis Batavæ & deformi erga hanc & matrem puellæ obſequio, delectatus, ut videtur, ingenio gentis, è quâ multos in Daniam excivit, qui agriculturam ſui moris ibi & linguam ac poſteritatem reliquerunt. Quo pacto in animo tam molli & feminis obnoxio latuerit effera crudelitas, & quomodo Svedicis primo, nec multo poſt Danicis rebus evolutus ſit, in *ſe-*

quenti ſectione referemus. Cranz. *lib.* 7. *&* 8. *&* *Pontan. Dan. Puffend. Hiſt. Sved.*

CAP. III.

De Poloniæ rebus.

IN POLONIA Rex *Johannes Albertus*, qui Caſimiro Patri ſucceſſerat *anno* 1492. militari quidem ſed tumultuario fuit ingenio, variis contra Tartaros & Turcas expeditionibus infelix, clade præſertim à Walachis, perfidè, cum per eorum fines, bona cum venia, Turcas invaderet, accepta; quam immanis irruptio Tartarorum in Poloniam ſequuta eſt, quarum rerum tædio in morbum delapſus exceſſit è vita anno 1502.

2. Frater ejus & ſucceſſor electus *Alexander* Muſcovitas Smolenskum obſidentes profligavit, cum Turcis pacem, cum Tartaris induciasfecit, Walachos compeſcuit, & poſt ſexennium mortuus habuit ſucceſſorem; (adeo Caſimirus abundaverat filiis) *Sigiſmundum* fratrem, cui bellum fuit cum Gabriele Baſilio, Ruſſo Muſcoviæ Duce, impulſo à Michaele Glinskio, qui ſub Alexandro res egregias geſſerat, & deinde Lithuaniæ Ducatum, ut ferebatur, in ſe vertere ſtuduerat, Sed ad Baſilium detectus an ejectus confugerat.

3. Tum is Lithuaniam, ubi ingenti Glinskius favore credebatur, bello petiit. At cum indigenas videret omnes facere cum Polonis, non auſus prælio decertare, fecit inducias, à Sigiſmun-

mundo libentius admiſſas, quo Valachos, *Bogdano* Duce Poloniam vaſtantes coërceret, quod per Palatinum Camineckium egregie executus, pacem ſuis legibus illis impoſuit.

10. Alia parte per *Oſtrorogium* Lithuaniæ Præfectum, Tartaros profligavit ad Viſnoveciam. Sed interim Muſcovitæ ruptis induciis per Glinskium Smolensko potiti ſunt, quod cum Poloni, prælio licet victores, tamen non ſatis bene uſi victoria, recuperare non poſſent, inducias acceperunt. Sigiſmundus longè ultra ſectionis hujus terminos imperium produxit. *Cromer. rer. Polon.* 30. *&c.*

CAP. IV.

De rebus Hungariæ.

Matthiæ Regis terror & Hungarorum ab ejus morte recens & vigens in armis ferocia, Bajazethis ſenectus & Selymi deinde motus in Orientem atque in Ægyptum, Hungariæ ab illa parte quietem hoc intervallo præſtiterunt. Sed otium mater luxus & diſcordiarum, Hungariæ populos à bello deſuetos, & Proceres utriuſque ordinis faſtu, ambitione mutuiſque æmulationum ſtudiis implevit, maliſque futuris præparavit, augeſcentibus illis vitiis *Uladiſlai* Regis imbellia & auctoritatis defectu.

2. Erat enim is ab armis rebuſque gerendis alienior, Hungaricæ linguæ morumque imperitus & Vir optimus. Sed quanquam præter Hungariam latiſſimæ tum dominationis, Bohemiæ

quoque Rex juxta Sileſiam & Moraviam eſſet, pecuniæ tamen egens, Proceribus obnoxius vixit, quorum multi opibus & ſuperbia Regem ſuperare gaudebant. Toto viginti quatuor annorum ſpatio, quibus *Uladiſlaus* regnum tenuit, hæc conſtitutio inveterata, magis adhuc aucta eſt; ſub regno filii ipſius *Ludovici* pueri decennis, qui anno 1516. Patri morbo extincto ſucceſſit.

3. Natus hic erat anno 1506. ex *Anna de Candale*, quam ex Galliâ, Beatricis loco repudiatæ, duxerat in uxorem Uladiſlaus; Uxorem Pater ei deſponderat *Mariam* Philippi Auſtriaci ſororem, & Maximiliani Cæſaris neptem. Suam vero filiam *Annam* dedit in uxorem *Ferdinando* ejuſdem Mariæ & Caroli V. fratri. Conſopitis ita gentium domuumque veteribus inimicitiis, renovatiſque pactis olim initis, nunquam ſervatis, *ut deficiente Regum Hungaricorum ſtirpe, Regnum Hungaricum ad Auſtriacos pertineret.* Quæ res ne ſic quidem ſine magnis malis, ut deinde videbimus, effectum habere potuit.

CAP. V.

De rebus Italiæ, tempore Caroli VIII.

RES novæ in Italiâ præcipuum hujus ſectionis corpus efficient, quas ideo diligentius exequemur, & compendium librorum Hiſtoriæ Italicæ *Franciſci Guicciardini*, Auctoris prudentiſſimi & qui tales facit Lectores ſuos, repræſentabimus.

2. Pax

2. Pax Italiæ res ſuas habentis à reliqua ſeorſim Europa, nitebatur fœdere triplici *defenſivo* contra Venetos, quorum potentia omnibus erat gravis, inito inter Regem Neapolitanum, Ducem Mediolanenſem, qui Genuam quoque tenebat à Ludovico XI. Galliæ Rege ceſſam Franciſco *Sfortiæ*, & Florentinam Rempubl. quæ media inter Regem & Ducem viribus pares mutuoque ſuſpectos vinculum concordiæ tenebat. Sed *Laurentio* de Medicis ſublato è vivis, *Petrus* ejus filius non æquè in prudentiam ac in potentiam Patris ſucceſſerat. A cujus inſtitutis deflexit, in hoc nominatim, quod ſe multo addictiorem Ferdinando Regi Neapolitano, quam Ludovico Sfortiæ, Mediolanum tenenti, oſtendere cœpit, occultis quidem & parvi rebus momenti; Sed è quibus Ludovico indubitatum erat, ſi bellum ſibi cum Neapolitanis habendum eſſet, fore ut Florentinæ Reipubl. vires æque haberet adverſas.

3. Dictum eſt antea, Ludovicum curatorio nomine poſſediſſe Ducatum Mediolanenſem, qui pertinebat ad *Johannem Galeatium* fratris ſui filium. Cum huic adduceretur uxor *Iſabella Arragonia*, pulchritudine ejus perculſus Ludovicus eam ſibi uxorem à patre avoque enixe flagitabat, operam dans artibus & incantationibus magicis, ne interim adoleſcens aliquot menſibus uxorem inire poſſet. Cum repulſam tuliſſet, ducta in uxorem *Herculis Eſtenſis* Ferrariæ ducis filia liberiſque inde ſuſceptis, ſtatuit in hos transferre Du-

catum. In quem finem, cum Mediolanum eſſet feudum Imperii, ab Imperatore Maximiliano, qui parum ex dignitate ſua *Blancam*, Johannis Galeatii ſororem, cum ingenti dote pecuniariâ in matrimonium ab illo acceperat, impetravit inveſtituram, à *Franciſco Sfortia* Patre & ejus filio priore neglectam.

4. Reſtabat igitur Ludovico mors *Johannis Galeatii*, ut votô potiretur: Sed quia puer ex illo & Iſabella jam natus erat, tranſlationem Ducatus, niſi ope fretus eſſet externa, tutò fieri non poſſe videbat, Alphonſo & Ferdinando Arragoniis ſe oppoſituris. Quare nihil potius exiſtimavit, quam Galliæ Regem *Carolum* VIII. excitare ad invadendum *Neapoleos* regnum, cujus jus ab Andegavenſibus profectum & ſæpius antea memoratum in ipſum erat tranſlatum, ſucceſſione Renati & Caroli Andegavenſium, à quibus *Provinciam* acceperat: ſperante Ludovico, ſub umbra Gallici exercitus ſibi addicti, ſe facile tranſlationem illam perpetraturum, & deinde Gallos, impedimentis quæ tantæ molis expeditioni occurrerent, trans Alpes eſſe remiſſurum. Nihil enim minus, quam ut Gallos tanto in Italia regno potiri pateretur, cogitabat.

5. Sed *Carolus* juvenili magis levitate maloque Italiæ fato, quam matura prudentia impulſus, contra ſententiam plerorumque Procerum ſuorum expeditionem poſt multas dubitandi vices ſuſcepit: amicitia prius cum vicinis ſtabilita, quam ab Hiſpano *Ferdinando* non gratis com-

comparavit, reddito gratis Comitatu *Ruſſillonenſi* ſub pyrenæis montibus, olim ab Hiſpanis in antichreſin dato: ſcilicet jacturâ certâ ſpem redimens incertam. Sed ipſam expeditionem *Carolus* ſuſcepit adeò parum ſtabili judicio, ut Lugduni paratus ad ſcandendos Alpes, ſurgentibus animo confertim rationibus bellò adverſis & periculi magnitudine præſenti ſpecie oblata; pecuniâ quoque inde à principio deficiente, ſubſtiterit, & valuiſſet conſilium retrocedendi, niſi Cardinalis *S. Petri ad Vincula*, qui poſtea fuit *Julius Papa* II. acerrimis hortamentis ad pergendum excitatus fuiſſet. Perrexit igitur & cum in Ducatum Mediolanenſem veniſſet, data eſt opera, ut *Johannes Galeatius* moreretur; Cujus uxor *Iſabella* Regi virum ægrotantem propinquum ſuum viſitanti ad genua accidens magna cum miſeratione audita quidem eſt, Sed Ludovicus nihilo ſecus deſtinata perfecit, haud ſine indignatione Gallorum, quod Regis ſui præſidio ad tantum ſcelus audendum abuteretur.

6. *Ferdinandus* ſenior jam ante Caroli in Italiam adventum deceſſerat, junior autem *Ferdinandus* Alphonſi filius, magnæ ſpei Princeps, cum exercitu, *Lombardiæ*, ut Ludovicum infeſtaret, appropinquaverat, dum interea *Fridericus* Alphonſi frater cum claſſe copiiſque militaribus, Genuam, exſulum ope, tentaret. Sed cum hic conatus abortiiſſet, Ferdinandus hoſtium copiis impar, & à Patre, jam rebellionis initiis in reg-

nó ſe prodentibus, retro vocatus, ſe Romam verſus receperat.

7. Ideo *Carolus* Florentiam, quæ *Petri de Medicis* auctoritati obſecuta Arragoniis apertè adhæſerat, perrexit: Primum belli facinus fuit, captum vi armata *Fivizanum* Florentinæ Reip. caſtellum, in quo armati omnes interfecti, ſummo totius Italiæ terrore, quæ à longo tempore non adſueverat bellis cruentis, ſed pompaticis; Idcirco Gallorum furor tantum injecit terrorem populis & militibus, ut nullæ amplius urbes, arces aut exercitus illis reſiſterent, adeò ut Machiavellus ſcribat, tantam fuiſſe in exercitibus ejus temporis vecordiam, ut vel ſolus equus caudam movendo victoriæ aut cladi ſatis eſſet, *lib. VIII. Hiſtor. Florent.*

8. Eodem terrore perculſus *Petrus De Medicis*, Arragoniis regreſſis, ſe ſuamque Remp. bello videns expoſitam, etſi cum Carolo Neapolin feſtinante conditionibus æquis facilè paciſci potuiſſet, inani timore percitus, primo auditu iniquiſſima Gallorum poſtulata concedens, omnia fere Reipubl. munimenta in manus Caroli tradidit. Quo tempore *Ludovicus*, cui tanta Gallorum proſperitas, inexſpectata & ingrata erat, in caſtra Gallica poſt nepotis mortem & occupatum Mediolani regnum, reverſus, Petro, qui alia via obviam ei progreſſus excuſabat ſe, quod ob hunc errorem illum non ſalutaſſet; *Certe*, inquit, *alter noſtrum à via aberravit, Sed eumte fuiſſe crediderim.* Nec tamen ipſe deinde à graviore errore

rore

rore ſibi cavit. Petrus inde Florentiam profectus, civitatem ejus temeritate reperit adeo commotam, ut Proceres ei Curiæ ingreſſu prohibito exilium indixerint civitatemque in libertatem democraticam vindicaverint anno 1594. Petrus poſt irritos plures in patriam redeundi conatus Gallicum aliquot annis poſtea ſequens exercitum, in bello Neapolitano, fugiens in cymba quadam ſubmerſus periit.

9. Carolus Florentiam ut victor cum exercitu ingreſſus, præter immenſam pecuniæ ſummam paulo minus quam ſummum in Rempubl. imperium poſtulabat: Et cum de conditionibus diu litigaretur, Galli poſtremo duriſſimas Leges, tanquam peremptorias è ſcripto prælegebant, quibus, ſi Florentini non auſcultarent, jure belli uterentur. Commotus è delegatis civium unus, *Petrus Capponius*, qui Legatus in Gallia fuerat, ſcriptum de manu ſcribæ rapiens, illud Rege coram diſcerpſit; & *Quando aliter non placet*, inquit, *vos tubis veſtris, nos campanis ſonabimus*, & cum dicto abiit: diditus autem erat rumor, ad ſonitum majoris campanæ non pauca militum civium & ruſticorum millia in armis eſſe futura; Galli autem in urbe erant incompoſiti. Credentes Galli, hominem cordatum non ſine cauſa tam ferociter eſſe locutum, revocato illo, in æquiora convenerunt; Mediocrem pecuniæ ſummam ſtipulati civitatem liberam reliquerunt, & munimenta à Petro tradita finito bello, reſtituere promiſerunt. Ita unius homi-

minis cônſtantia victorioſæ prævaluit inſolentiæ.

10. Cum Carolus Piſas, civitatem olim liberam & florentem, nunc Florentinis ſubjectam tranſiret, Piſani Libertatem ab illo petierant, iſque ſatis inconſulto dederat reſque ſequuta eſt, defectione de Florentinis incontinenti perpetrata: Etſi Cardinalis *San-Petri ad Vincula* graviſſimis dictis Piſanos hortatus erat, viderent quid peterent; *eſſe rem verè pretioſam libertatem*, *Sed quæ illos in ſtatu belli conſtitueret*, *cui ſuſtinendo immenſi ſumptus longè ſuprà illorum vires requirerentur*: Sed odium in Florentinos & gloriæ veteris memoria illos excæcaverat. Carolus hanc quoque civitatem ſe Florentinis, Neapoli recuperata, redditurum ſpopondit.

11. Florentiâ Rex *Sienam* contendit & occupavit, ac inde *Romam* profectus eſt, ubi Pontifex Arragoniis fœdere junctus cum defendere ſe non poſſet, recipere tamen Carolum horrebat. Erat is Alexander VI. quem his verbis deſcribit Guiccardinus; *In Alexandro VI.* inquit, *erat ſagacitas & ſolertia ſingularis*, *conſilium excellens*, *facultas perſuadendi mirifica*, *atque in omnibus negotiis accuratio & dexteritas incredibilis*. *Sed hæ virtutes*, pergit, *à vitiis longo intervallo ſuperabuntur*; mores *obſcœniſſimi*, *nulla ſynceritas*, *nullus pudor*, *nulla veritas*, *nulla religio*, *inſatiabilis avaritia*, *fides nulla*, *ambitio immoderata*, *crudelitas plus quam barbarica*, *& ardentiſſima cupiditas extollendi filios ſuos*, quos habebat multos,

tos, & quos primus Pontificum, qui ad velandum dedecus, illos vocare ſolebant nepotes, id quod erant, filios appellavit. Pontificatum auro & officiis lucroſis mercatus erat, & metuebat, ne Galli, cum ſua ſponte Gallicanæ Eccleſiæ ingenio, tum Cardinalis *San-Petri* hoſtis ſui perſonalis hortatu Eccleſiam reformare vellent, cujus initium ipſius remotio futurum fuiſſet. At Carolo tam alta non ſedebat mens, neque plus quam ad expeditionem opus erat à Pontifice exigebat: Ideo Romam, Papâ cum aliter non poſſet, conſentiente, cum exercitu intravit eodem tempore, quo *Ferdinandus* Arragonius alia porta cum ſuo exercitu exibat. Conventione deinde facta Carolus Pontificem oſculo pedum & pelvi lavandis manibus adhibita veneratus, inde Neapolim perrexit, abducto ſecum *Geminio* Ottomano, Bajazethis fratre, quem ad expeditionem Turcicam adhibere cupiebat. Ebrius enim blandiente fortuna, nihil minus quam Coſtantinoplitani ſedem Imperii animo conceperat. Sed *Geminus* ab Alexandro ſic erat dimiſſus, ut brevi extingueretur; expeditio autem Caroli Turcica ex impetu potius indocili quam ullo conſilio propoſita, videlicet evanuit.

12. Alphonſus tot hoſtium ſucceſſibus & conſcientia ſcelerum odiique popularis, accedente, ut ajunt, apparitione ac inſinuatione Patris mortui *Appiano* ejus chirurgo, facta & ter repetitâ conſternatus, nondum inte-

integro imperii anno expleto, jam regnum tranſtulerat in *Ferdinandum*, ſeque in Siciliam contulerat. Ferdinandus utcunque gratioſus apud ſummos infimoſque non potuit tamen ſiſtere vim tantam fortunæ ruentis, adeò ut omnibus ſe Carolo dedentibus ipſe in *Iſchiam* inſulam, cujus caſtellum invito ejus præfecto ſolùs ferociter extorſit, ſe receperit, initio anni 1594. quo *Carolus* Neapolim triumphans ingreſſus, reliquas ampliſſimi regni urbes & arces, occupavit; duabus vel tribus in extrema Calabria & Apulia exceptis, cui dein aliæ paucæ, quas Galli fortunam nauſeantes recipere vel adire gravatæ erant, acceſſerunt.

13. Interim Florentiæ graves de forma Reipubl. Ariſtroratica an Democratica eſſet futura, contentiones fuere, donec auctoritate *Hieronymi Savanarolæ* Dominicani, quem ut Prophetam colebant; Democratica prævaluit; in qua ſumma poteſtas eſſet penes concilium univerſale populi (excluſa tamen ſordida plebe,) penes quod eſſet electio Magiſtratuum, ſub uno ſupremo, qui, *Signifer* appellaretur, primo bimeſtri, deinde perpetuo, & confirmatio Legum atque Tributorum, quæ in Senatu prius decernerentur, ut penes Senatum in illis eſſet auctoritas, penes populum poteſtas. Dein non ſine magna difficultate, noviſque largitionibus urbes ſuas Carolo traditas, ut fit, receperunt; Piſas vero ſæpe promiſſas, ſæpe novis pecuniis redemptas, ne juſſionibus quidem regiis impetrare potuerunt,

mi-

mirifico in Aula Caroli favore Piſanorum, tanquam hominum ſtrenuorum & libertate digniſſimorum, nec minus inſigni regiæ auctoritatis imminutæ argumento.

14. Sed interim enormis victoria Caroli, quem regno Neapolitano haud fore contentum, cum ex ambitione gentis & omnium *Conquæſtorum*, tum etiam exinde patebat, quod loca Florentinorum munita occupaverat, quod Sienæ pluribuſque Papæ locis præſidia impoſuerat, ea res cæteris Italiæ poteſtatibus juſtiſſimum metum incutiebat. Duo tantum, qui aliquid poſſent, ſupererant, Veneti, qui adhuc perfectè *Neutrales* ſe geſſerant & Dux ipſe Mediolanenſis ſuaſor expeditionis *Ludovicus*. Nam Florentini & Pontifex ſatis erant in poteſtate Gallorum. Ludovicus auctor omnis mali, ſuum ſcopum adſecutus, in hoc erat, ut Gallos iterum ex Italia depelleret; Nec enim aliud voluerat, quam ut ſibi ſubſervirent, non ut ipſi pedem in Italia tenerent, quod nulli magis quam ſibi noxium putaret, tantumque ſibi de ſuo ingenio promittebat, ut Gallis tanquam inſtrumentis ſuis uti ac eoſdem officio functos abjicere poſſet; idque prima inſtantia feliciter & ex voto ſuo perfecit.

15. Nam Venetis communi formidine tactis facile perſuaſit, ut contra Gallos Italia pellendos fœdus inirent, cui nomina ſua dederunt etiam *Maximilianus* Imp. & *Ferdinandus* ac *Iſabella* Reges Hiſpaniæ; Vires illi priores ſoli contu-

lo-

lerunt, & exercitum 40. millium collegerunt, quo Carolum Neapoli reducem ſeptem duntaxat millibus ſtipatum aggreſſi ſunt apud *forum novum*, quod eſt ad *Tarum* fluvium haud procul Parma, prælio brevi ſed acerrimo, & ancipiti exitu. Galli id agebant, ut in Patriam reverti poſſent, ideoque agmine incedebant, Rege in medio corpore: præcipuo robore copiarum in primo agente; Sed in conflictu ita uſu venit, ut primum impetum Rex ſuſtineret, deſertus aliquandiu à ſuis & ſola equi ſui, (*Sabaudo* nomen erat unoculo) ferociâ, captivitati exemptus. Sed à Gallis ita pugnatum eſt, ut hoſtibus fuſis plena potiri potuiſſent victoria, niſi tranſitu, de quo certamen erat, confecto, in itinere ſuſcepto pergere ſatius duxiſſent. Paulo ante Ludovicus dux Aureliani, qui ab aviâ *Valentina* Johannis Galeatii Ducis Mediolanenſis filia, cauſam juris in hunc ducatum habebat, ex Aſte civitate ſua occupaverat Novaram; & ſi uſus eſſet occaſione conſternationis, in quâ tunc erat *Ludovicus Sfortia*, parum aberat à toto Ducatu occupando. Sed cunctatus ignoratione tam raræ opportunitatis, dein obſeſſus & ad ultimam famem redactus, pace generali inita, res in priorem ſtatum redierunt, eodem anno 1495.

16. Si Carolus VIII. & Galli tum temporis ita fuiſſent animati, ſicut eſt *Ludovicus* XIV. & ejus conſilium, cujus inſtituta rationeſque fere ſunt mathematicæ, actum fuiſſet de Italia, cu-

cujus nulla amplius erat vis militaris. Sed ut Galli hanc expeditionem impetu magis quam conſilio, fati non prudentiæ ductu ſuſceperant & executi erant, ita mirum non eſt, idem fatum, deficiente conſtantia, illos deſtituiſſe. Quippe Neapolitani quanto cum gaudio Gallos acceperant, tanto mox odio levitatem & ſuperbiam illorum proſecuti ſunt, ipſi levitate ſuperbiaque Gallis nihil cedentes. Acceſſit illorum negligentia & ſocordia incredibilis, quæ genti ab omni ævo naturalis, hoc temporeplurimum aucta erat, eo quod Rex nihil ad animum revocaret & reliqui Italos mirifice contemnerent; Imprudentiæ Caroli ſpecimen ſit, quod commeatus in caſtellis Neapolitanis, quorum inopiâ dein perierunt, abundantes, aulicis quibuſdam rogantibus; omnes enim præmia volebant; donaverit, & quod Dux Mompenſerius ex optimis, quos habebat, ſummo cum imperio præpoſitus regno, ad meridiem uſque dormiebat, reliquis hominibus curiſque longe deterius compoſitis.

17. Ergo Ferdinandus, digreſſo Carolo, è Sicilia Rhegium trajiciens, urbem eam cepit ſex millium collecto exercitu, è Siculis & Hiſpanis, quibus præerat *Conſalvus Ernandes* Hiſpanus, dictus à ſuis *magnus Capitaneus*, quaſi diceres, ſummus vel *generalis*; quod nomen ei deinceps per excellentiam, ob rerum geſtarum magnitudinem, hæſit. Sed collectitiæ copiæ à vetere Gallorum milite profligatæ ſunt apud *Seminaram*, Conſalvo & Ferdinando ægrè fuga

ſervatis, & hic quidem fidelitate armigeri ſui *Johannis Capuani*, Ducis Terminalis fratris, qui ex equo ſuo deſiliens ei Ferdinandum, cujus equus perierat, impoſuit, ipſe incontinenti obtruncatus.

18. Non abſterritus hac clade *Ferdinandus* à Neapolitanis vocatus, cum claſſe malè inſtructâ ſe fruſtra apud portum oſtentavit, etſi Gallos cum ſua claſſe, quâ facile hoſtilem profligare poterant, prodire non auſi fuerint. Sed oppidanis ſe non moventibus, ut Ferdinandus ſperaverat, eo quod Galli cuncta diligenter cuſtodirent, in Iſchiam receſſit; mox à Neapolitanis rogatus, ut rediret & quaſdam copias in terram exponeret, cum id inſtituiſſet, Galli cum omnibus fere ſuis imprudenter, ut illos opprimerent, exierunt Quod urbani expectantes, reſonantibus incontinenti campanis ad arma proclamarunt, Galliſque excluſis Ferdinandum receperunt, poſtridè prælii ad *Tarum* depugnati. Arces ſe brevi inedia coactæ reddiderunt. Et Carolus omnibus amiſſis, pace facta ingratiis tot victoriarum, victi magis quam victoris inſtar, rediit in Gallias. Sed Ferdinandus intra vertentem annum ſine liberis morbo extinctus eſt; cui *Fridericus* Patruus ſucceſſit. Qui ſupererant in Neapolitano regno Galli cum Duce ſuo Mônpenſerio cladibus & morbis brevi ſunt conſumpti.

19. Hactenus fortuna luculenter adſpiraverat conſiliis *Ludovici Sfortiæ*, cujus laudes ubique celebrabantur, quod tanta fuiſſet

ſoler-

ſolertia, ut potentiſſimum Regem ſuæ utilitatis gratia in Italiam excire, eundemque invita fortuna, ſuis conſiliis & ſuæ utilitatis cauſa inde profligare potuiſſet. Eaque laus ad poſteritatem quoque admirabilis fuiſſet, ſi ab hoc tempore nervos ingenii ſui in id intendiſſet, ut Gallos in poſterum quoque ab Italia excluderet. Quod facultatem habebat, ſi *Laurentii* de Medicis exemplo, æqualitati inter Poteſtates Italiæ ſtabiliendæ, & ſuum cuique tribuendo ſedulam operam navaſſet. Inter quæ primum erat, ut Piſæ Florentinis reſtituerentur, hique eo modo à Gallis abſtraherentur.

2. Sed præſtringente judicium nimia fortuna & ambitione, cum Veneti primo Piſas in ſe vertere ſatagerent, ille horum conatus cum aliis viis, tum exciendo Maximilianum Cæſarem ſuo ſtipendio in Italiam & Piſas ſatis præter Cæſaream dignitatem ablegando pervertit. Qua re cum non modo Florentinos, ſed etiam Venetos graviter offendiſſet; hinc accidit, ut Carolo Rege mortuo Amboſiæ, anno 1498. ſolus ejus ſucceſſori Ludovico XII. Ducatum Mediolanenſem eo jure quo diximus, repetenti expoſitus fuerit. *Guiccard. lib.* 1. *&* 2.

H 2 C A P.

CAP. VI.

De rebus Italiæ, tempore Ludovici XII.

NEc tantum ſolus fuit relictus *Sfortia Ludovicus*, ſed Veneti uſque adeo per iram rationis obliti ſunt, ut Ducatum illum à potentiſſimo Rege Galliarum, quam ab æmulo ſuo verum ſibi viribus impari, Ludovico poſſideri maluerint; dummodo ipſi partem ſibi proximam, quæ eſt *cis Addam* fluvium, ut fœdere cum Gallis inito comprehenſum fuit, acquirerent.

2. Secundum hanc conventionem ſimul ac Galli & Veneti invaſere Ducatum, rebellio populorum, quos Ludovicus exactionibus ſuis ita alienaverat, ut Edicto in ipſo diſcrimine rerum de minuendis tributis publicato, nihil ageret, defectio ducum & intimorum *Ludovi* amicorum ita undique erupit, ut quindecim dierum ſpatio tota ditio Mediolanenſis ceſſerit Gallis, Genua ſe his etiam ſubmittente, præter eam partem, quæ Venetis ab his æque facile occupata, debebatur, Ludovico ſe cum liberis & pecuniis ad Cæſarem Maximilianum recipiente, anno 1499.

3. Sed ut mores Gallici ab Italorum ingeniis valde abhorrent, etſi victor Rex tributa minuerat & multa nobilibus nova jura ac emolumenta conceſſerat, Mediolanenſes tamen, qui non ſecus ac Neapolitani majores immunitates &

& beneficia expectaverant, brevi ad veterem Ducem reſpexere, qui cum XII. millibus Helvetiorum & 1500. Burgundis in Lombardiam reverſus, omnia Ducatus loca, Caſtello Mediolani excepto, recepit, Johanne *Jacobo Trivultio*, qui Regis nomine præfuerat & multis exoſus pars cauſæ fuerat cladis, ex urbe fugato.

4. Sed Ludovicus *Tremoullius* cum novo Gallorum exercitu accedens, per ſuos Helvetios cum illis, qui Ludovico militabant, clam pactus, Novaræ illum obſedit, urbemque ab Helvetiis Ludovicum penes ſe habentibus accepit; dum is fruſtra lacrymis & promiſſis argenteoque inſtrumento ſuo (ſolutionis enim defectum prætexebant) oblato, tantam perfidiam deprecabatur. Nec aliud à proditoribus impetrare potuit, quam ut Helvetici militis habitu cum illis egrederetur, ſed monſtratus ab ipſis, miſerrime captus eſt Princeps ingenio & facundia primus in Europa: Ne quidem ut Regem Lugduni agentem implacabiliter iratum videre liceret, obtinere potuit: Sed in mediam Galliam abductus, turre Lochienſi arctiſſimè cuſtoditus, per decennium vitam à Deo & hominibus deſtitutus toleravit.

SCENA CÆSARIS BORGIÆ.

5. Rex *Ludovicus*, antequam in Italiam tranſiret, fœdere cum *Alexandro* Pontifice inito, promiſerat, ſe filium ejus *Cæſarem Borgiam* adjuturum in ſubigendis minoribus Italiæ dominis, qui feuda ſedis Romanæ poſſidebant. Hunc *Cæ-*

ſarem corruptis teſtibus, probatum eſſe filium alterius legitimum, primo Cardinalem fecerat, ne filio ſuo majori natu, Candiæ duci obſtaret. Verum Cæſar illum Romæ noctu, dum mulo inſidens domum rediret, interfecit, & Patris etſi primo mire turbati favorem in ſe omni genere vitiorum ſcelerumque ſibi ſimilis vertit; augendi ſui nactus hanc occaſionem. Evenerat à duobus ſeculis; ut Pontificum potentiâ crebris ſchiſmatibus fractâ Gubernatores urbium in *Romania* ſive Exarchatu, Sedi Romanæ olim à Carolo M. donato, jus ſupremum uſurparent, primo quidem ſub lege tributi, ſed deinde ſine omni dependentia. Sic *Riarii* tenebant adhuc Imolam & Forum Livii. Pandolphus *Malateſta* Ariminum, Aſtor *Manfredus* Faventiam, Johannes *Sforza* Peſarum, *Bentivolii* Bononiam & *Baglionus* Peruſiam; Ceſenâ morte dominorum ad ſedem Papalem reverſâ; Sed *Ravennam & Cerviam* Veneti *Polentinis* ademptam poſſidebant. Venetos ſua potentia, Bentivoglios favor Regis tuebatur, Reliqui Borgiæ in prædam ceſſerunt.

6. Poſtquam enim hic, depoſito Cardinalatu, uxorem è Gallia, domo Foiſſæâ regis propinquam, cum titulo Ducatus *Valentini* & auxilia Gallica adeptus eſſet, ad hoc ſe comparavit, ut paternis opibus auxiliiſque gallicis Principatum notabilem, poſt obitum Patris duraturum, compararet. Igitur *Ariminum* & *Peſarum* dominis aufugientibus occupavit, à *Faventia* inſigni

ci-

civium virtute repulſus eſt anno 1499. & ſequenti vere denuo illos aggreſſus non ſine ingenti difficultate ad deditionem coëgit, fidem illis datam exactè ſervans: ita enim expedire ſibi, populos novo principatui addictos reddere, judicabat. Sed *Aſtorem Manfredum* loci dominum octodecim annorum & miræ pulchritudinis adoleſcentem, fide pactionis ſpreta, miſit ad Patrem Papam, qui prius à ſe conſtupratum vitâ privavit; quo tempore filiam ille ſuam *Lucretiam*, tribus diverſis magnatibus antea deſponſatam, & marito ſuo Principe Biſeilio, Cæſaris fratris parricidio viduatam, ac ut vulgo creditum eſt, tam à patre quam à fratre corruptam, dedit in uxorem *Alphonſo* Ateſtino, Herculis Ferrariæ Ducis filio primogenito, cum dedecore illius familiæ illuſtriſſimis conſuetæ adfinitatibus, Sed auctoritas Galliæ Regis & magnitudo dotis pecuniariæ prævaluit.

7. Poſt hæc Borgia Cæſar pleraque Plombini territorii loca, pulſo domino, præſidiis ſuis occupavit; & deinde redux ab expeditione Neapolitanâ, cum ab *Urbini* duce *Guidolaldo*, quicum Pater ejus recenti tranſactione amicitiam ſtabiliverat, tormenta bellica militumque auxilia fraudulenter elicuiſſet, eum ſubito invadens expulit territorio ſuo, idque ſibi vindicavit. Inde *Camerino* per inſidias occupato, *Julium Varanum* ejus dominum cum duobus filiis captos ſtrangulavit. Quibus rebus territi Principes Itali minores, Bentivolii, Urſini, Balioni, Petruc-

cius Sienenſis, Liverotus Fermenſis, aliique fœdere contra Borgiam inito illum oppugnare cœperunt, imparatum, eo maxime, quod ex fœderatis plerique ſua & Patris ſui ſtipendia facientes copias ſuas, à ſe more temporis illius, dependentes abduxerant. Hac re turbatus, omnem dedit operam, ut auctoritate Regis & ſuis maximè blanditiis ac artibus amicitiam & ſtipendia cum illis renovaret, conciliante imprimis *Urſino* Cardinali, hac inter alias lege; ne aliter quam ſinguli in ipſius caſtris adeſſe cogerentur.

8. Paulo poſtea quatuor ex fœderatis præcipui, *Paulus*, *Dux Gravinæ*, *Vitelloſſius*, Urſini omnes & *Liverottus*, cum Sinigaliam pro Borgia cepiſſent, hic illis ſignificavit, ſe poſtridiè Sinigaliæ futurum, Proinde milites ſuos educerent; Quo facto, Duci ſuo obviam profecti, eoque ad portas deducto, cum diſcedere vellent, rogati ut ſecum intrarent, eſſe quod illos vellet, animadverterunt, ſe undique cinctos eſſe militibus Borgiæ, ſuis in ſuburbana dimiſſis. Ergo præſagis mali inſtantis animis ingreſſi, mox ab illo capti & duo ſtatim ſtrangulati *Vitelloſſius* & *Liverottus*, ultimo die *anni* 1502. reliqui duo paucis diebus poſtea extincti ſunt, cum Pater Papa Cardinalem *Urſinum* etiam captum veneno ſuſtuliſſet; Filium quoque ſuum defendens hac ratione, quod fœderati prius à pactis receſſiſſent, quia ſtipulati, ut ſinguli tantum ad Borgiam accederent, quatuor ſimul accurriſſent, quibus adeo nec ipſe fidem ſervare obligatus

tus fuiſſet. Vitellozius impleverat domus ſuæ fatum, quatenus omnes ejus fratres morte violenta ſublati erant, noviſſime Paulus *ſtipendio* Florentinæ Reip. re primo egregie, deinde male ad Piſas geſta, præcipiti juſtitiâ capite mulctatus erat. Liverottus ſolvit debitas pœnas manibus *Johannis Fraugiani* avunculi ſui pluriumque Fermenſium procerum, quos domi ſuæ nuper ad prandium invitatos nefariè obtruncaverat, ut ſolus urbe potiretur; Non poterat ei melius quam ſimili proditione ſatisfieri. Dein Borgia cum patre Papa ditiones copiaſque mortuorum, perfidiæ præmium occupavere: Peruſiam quoque, *Johanne Paulo Balione* æquè homine conſceleraro, qui Borgiæ diffidens Sinigaliam venire noluerat, fuga ſibi conſulente. Ceri quoque oppidum vetus in rupe ſitum, quod olim Româ à Gallis & dein à Gothis aliiſque barbaris captâ, manſerat intactum, Urſinis eripuit.

9. Conſilium illis erat dominium Piſanæ civitatis ſibi oblatum acceptare, Sienam Pandolpho Petruccio, qui jam ſemel ab illis ejectus erat, & Bononiam Bentivogliis eripere, totamque deinceps Hetruriam & conſequenter omnem Italiam occupare, nullâ rè fortunæ & perfidiæ illorum amplius reſiſtente. Sed cum ad hos conatus immenſa opus eſſet pecunia, quam non modo è reditibus rei Papalis & ditionum occupatarum, ſed etiam è mortibus amicorum & inimicorum feſtinatis corradebant, accidit, ut *Cæſar* filius & Papa pater cœnam condicerent

Adriano Corneto Cardinali prædiviti, in vineâ ipſius propria, quo venenatum vinum, quod hoſpiti ſuo propinarent, deferri curaverant. Miniſter huic ſceleri præpoſitus antequam convivæ adeſſent, digreſſus, famulo rei ignaro illud vinum demandaverat, cum præcepto, ne cuiquam inde quicquam præberet. Interim Pontifex ante tempus accedens æſtu diei ſitiens, bibere poſtulabat, quod famulus rudis, credens vinum illud ob præſtantiam ſibi tam rigide eſſe commendatum, de venenato ipſi præbuit; unde filius Cæſar eadem inſtantia cum aliis adfluens etiam bibit. Pater incontinenti collapſus & mortuus eſt; Filius, qui minus & gelida temperatum hauſerat, in promptu habens antidota mortem evaſit, non gravem morbum: Quo correptus acerbe dolebat, ſe diligenter omnia, quæ moriente patre ſibi evenire poſſent, ſingulorumque remedia præſumpſiſſe. Id unum ſe feſelliſſe, quod eodem tempore ſibi tam graviter eſſet ægrotandum. Accidit hoc d. XVIII. Auguſti 1503.

10. Hac cauſa factum eſt, ut principes ab illo pulſi omnes, qui ſupererant, ad ſua redirent, ſolis Exarchatus ſive Romaniæ civitatibus in ejus fide manentibus, quas ſingulari induſtria ſibi conciliaverat; donec copiis ipſius, quas Urſini juſtiſſima ſiti ſanguinis ejus accenſi continuo vexabant, dilapſis, illæ etiam ad veteres dominos redierunt; parte tamen Romaniæ à Venetis, qui toti inhiabant, occupatâ paucisque

que locis munitiſſimis & quibuſdam equitum peditumque copiis pro Borgia perſeverantibus, donec & hæ perierunt ultimo ejus peccato, quando præſtringente judicium vi calamitatis, Cardinalem *S. Petri ad Vincula*, Patris ſui acerrimum hoſtem, paſſus eſt Pontificem creari, quod impedire potuiſſet, ut præceptor ejus Machiavellus ſcribit, cum haberet XI. Cardinales ſibi addictos, qui tertiam electorum partem ſuperabant, cum duabus in eligendo Pontifice partibus opus eſſe conſtet. Ab hoc Pontifice datus in cuſtodiam, & deinde Neapolim miſſus, cum à magno Capitaneo liberaliter exceptus, Hiſpanorum ope ſe omnia recuperaturum ſperaret, veſperi quodam ab illo amiciſſimis amplexibus & ampliſſimis oneratus promiſſis ſpe plenus exiiſſet ad iter Piſanum, vix ab oculis ejus digreſſus ejuſdem juſſu captus & in Hiſpaniam tranſmiſſus eſt, ubi è cuſtodiâ elapſus aliquandiu poſtea in obſidione caſtelli cujuſdam obſcuri in Navarra periit, anno 1516. Huic hiſtoriæ, quod Borgia ſit Machiavellici principis ſpecimen, aliquanto diutius immorati ſumus.

11. Hactenus res *Borgiæ Cæſaris*, qui favore Ludovici XII. Gallorum Regis ſubnixus pleraque ſcelera & acquiſitiones commiſerat. Unde non immerito Galli ipſi obſervant, res Ludovico minus proſperè in Italia ceſſiſſe. Mediolano occupato, de Neapoli Rex cogitabat & ſuis viribus potiri potuiſſet. Verum nimio ſecuritatis

tis ſtudio in evidentiſſimum periculum ſe conjecit; Fœdere inito cum *Ferdinando* Hiſpaniæ Rege cum illo partitus eſt regnum, ut Hiſpanus haberet Apuliam & Calabriam, Galli reliquum urbemque Neapolim; non quod non præviderent, hanc communionem fore matrem diſcordiæ; Sed quod viribus ſuis fiderent Galli, fore ut Hiſpanos poſtea facile opprimerent; quæ fiducia ut hodie haberet facultatem, ita tum fefellit.

12. Poſtquam enim miſerum *Fridericum*, qui ſpem omnem in Ferdinando, à quo ſub amicitiæ ſpecie turpiſſime deceptus eſt, collocaverat, facile junctis viribus exuerant, anno 1502. Quæſtione de finibus regundis brevi inter victores ortâ, Galli primo quidem longe prævaluerunt, Conſalvo Ferdinandi duce in extremam Apuliam redacto. Sed Gallis cum ſua negligentia, tum pace Lutetiæ Pariſiorum inter Regem & *Philippum* Auſtriacum Belgarum Principem, nomine Ferdinandi ſoceri, contracta, remiſſius agentibus, Hiſpani paulatim amiſſa recuperarunt. Quippe *Philippo* pacem factam illis inſinuanti parere noluerant & Ferdinandus interim intellecto, ſuos duplici victoriâ potitos apud *Seminaram* & *Cerinio!am*, totum occupaſſe regnum, pacem ratam habere noluerat, idque *anno* 1503. geſtum; quo tempore primum inſtitutum eſt cuniculis ſubterraneis ſuffodere muros urbium, eoſque pulvere nitrato ſpecubus abdito (*Minas* appellant) evertere, cujus inven-

ventionis auctor extitit *Petrus Navarra* ſic à patria ſua dictus. Gallorum reliquiæ paucis urbibus imprimis Cajeta, uſque dum novus à Ludovico Rege veniret exercitus, ſederunt; qui cum acceſſiſſet, proſperis uſus initiis à *Conſalvo* Hiſpano mora & arte confectus & diſſolutus ad flumen *Garilianum*, hoſtibus regnum & *Conſalvo* magni Capitanei titulum reliquit. Nec Gallia poſt Anglicas clades majorem acceperat doloris & injuriæ ſenſum, omnibus pene familiis luctu & deteſtatione Italici belli repletis. Viribuſque Regis adeò diminutis, ut ſi *Conſalvus* in promptu habuiſſet, exercitum ſuum educere è regno noviter acquiſito, Gallos æquè facile è Lombardia expellere potuiſſet.

13. Poſt hæc Papa JULIUS II. prodiit in ſcenam, qui olim Cardinalis *San-Petri ad Vincula*, apud Gallos contra Alexandrum VI. aſylum habuerat; Sed grati animi loco odium in illos infandum collegerat, idque pro beneficiis rependit. Primo Rex melius de illo ſperans in ejus gratiam Bentivoglios auxilio deſtitutos coëgit cedere Bononia, quam Pontifex ut Exarchatus partem ſibi vindicavit; prorſus enim habebat in animo, quæ unquam ad ſedem Romanam pertinuerant, ea rurſus armis belli in poteſtatem redigere; Deinceps exteros, inprimis Gallos ex Italiâ depellere. Periculum fecit in *Genua* urbe, quæ cum ipſius inſtinctu à Gallis defeciſſet, Ludovicus Rex, qui poſt cladem Neapolitanam conſtituerat, ſuo ductu bella gerere, in Italiam pro-

profectus illos brevi reduxit ad obſequium, mulctatos pecunia & juribus ſuis, quæ olim pacti fuerant, etſi mox eadem non *ut conventiones*, ſicut olim fuerant, ſed ut *Privilegia* ab ipſo liberaliter indulta reſtituit, anno 1507.

14. Offenſus erat Venetis idem Rex varias ob cauſas, qui pariter Imperatorem Maximilianum, Pontificem & Regem Hiſpaniæ reſpectu Neapolitani regni graviſſime irritaverant, cum loca ſingulis adempta retinebant: & *Ludovicus* eam Lombardiæ partem, quam ex fœdere cum ipſo pridem inito de Mediolanenſi ducatu decerpſerant, recuperare geſtiebat, Veneti omnia retinere volebant. Utrique Galli & Veneti ingentis imprudentiæ reos ſe fecerunt. Nam Gallis ratio magis fuit, Venetis aliquid indulgere, quam ſe infeſtiſſimis inimicis ſuis contra eos conjungere: Veneti vero aliquot ſaltem hoſtes, reddendo partem eorum quæ illis ademerant, placare debuerunt. Sed aliter uſu venit. Galli fœdus *Camerati* cum Pontifice, Imperatore, & Ferdinando in necem Venetorum fecerunt *anno* 1508. & ſequenti, Rex ipſe cum exercitu XL. millium progreſſus in Italiam, illorum exercitum 36. millium peditum equitumque fudit in *Giaradadda*, apud Arcidellum vicum, capto è ducibus altero *Alviano*, qui ſine conſenſu collegæ Comitis *Petiliani* jam prægreſſi, cum parte copiarum conflixerat. Qua una clade mirum eſt, quantopere Veneti perculſi fuerint, multò magis quam olim Spartani clade Leuctrica. Nam

è

è veſtigio toto Imperio, quod habebant in terra continenti, cedere & inſulis ſuis ſe includere decreverunt.

15. Rex & Pontifex, qui juxta excommunicationem, cum exercitu XII. millium in Romaniam irrupit, ſua, quæ petebant, breviſſimo temporis ſpatio occupaverunt: etiam Ferdinandus loca maritima in Neapolitano regno à Venetis occupata, omnes ſine moleſtia, per ſolam victoriæ Gallicæ reputationem. Ad Maximilianum ipſi Veneti Legatos miſere, qui verè miſerabili oratione per *Antonium Juſtiniani* Legatum ſuum pronuntiata, quæ ſempiterno Venetorum dedecore legitur in *lib. VIII. Guiccardini*, pacem ab illo, ſub Lege tradendi omnia, quæ olim Auſtriacis adempta fuerant, addendique omnia, quæ in terra continente poſſidebant, petierunt. Neque tamen ita quidem auditi ſunt, Maximiliano ſine ſociis nihil cum illis agere volente. Tam deformis Venetorum ſubmiſſio & Maximiliani negligens ac inſtabilis natura fecit, ut ille ſuam partem, qua ultro ceſſerant Veneti, juſtis præſidiis non occupaverit: Interjecto autem tempore, Veneti à conſternatione ſua paulatim ſe recipientes, cum *Treviſanos* viderent impune Maximiliani militem excludere vexillumque *S. Marci* attollere, animadverterunt, ſe nimis celeriter induiſſe deſperationem. Ideo Patavium præcipuam ſuæ ditionis urbem, Rege Galliæ ex Italia digreſſo, prius deſertam rurſus occupare auſi, mox ingentem Maximiliani exerci-

ci-

citum ibi ſuſtinuerunt, eumque brevi obſidionem ſolvere compulerunt.

16. Hactenus Papa *Julius* cum Gallis ſe aperte non commiſerat; ab hoc tempore cœpit, idque à pace Venetis conceſſa, quos cum Maximiliano enixè conciliare ſtuduit, quo illum adverſus *Ludovicum* concitaret, ut fecerat de Henrico VIII. Angliæ Rege & Helvetiis, qui Gallis ob negatum penſionis ad xx. florenorum millia augmentum & verba quædam Ludovici contemptim de ipſis prolata, mirificè erant infeſti: quin & Mediolani ducatum aggreſſi ſunt, unde à *Calcimontio* præfecto repulſi & tum quidem ad ſua redire coacti ſunt anno 1510. Julius ipſe Ferraram, cujus ſupremum dominium ad Eccleſiam pertinebat, *Herculi Atestino* adempturus *Mirandam*, ipſe præſens, inaudito de Papis exemplo, media bruma ad deditionem coëgit. Sed anno ſequente, Calcimontio mortuo, Joh. Jacobus *Trivultius* Mediolano præfectus Papam expulit Bononia, quæ dejectis ejus inſignibus, Bentivoglios iterum recepit, quod cum ſummo animi dolore Ravennæ intelligeret, aliis tribus nuntiis moleſtiſſimis aures ejus verberatæ ſunt. Primo, exercitum ejus eſſe diſſipatum, II: Ducem Urbinatem ſuum nepotem, manu ſua obtruncaſſe in platea Ravennenſi Cardinalem Pavienſem ex amicis ſuis intimum. III. Inſinuatum eſt illi Concilium à novem Cardinalibus ſub auctoritate *Maximiliani* Cæſaris & Galliæ Regis convocandum *Piſas*; quam civitatem

tatem Florentini, poſt tredecenne bellum ipſis damnoſiſſimum & incredibilem Piſanorum pertinaciam, ſibi deditam anno 1508. in huncuſum commodaverant. Si Rex cum Pontifice ſemper implacabili & malis ſuis intonante rigidius egiſſet, facillime eum hoc rerum concurſu opprimere potuiſſet; Defectu hujus vigoris Pontificem inflavit, ſe ipſum in arctum redegit.

17. Nam *Julius* fœdere inito cum Ferdinando Hiſpano, Henrico Anglo & Helvetiis anno 1511. ultro illum invaſit, obſeſſâ cum numeroſo fœderatorum exercitu Bononiâ Duce Remundo Cardonenſi Pro-Rege Neapolitano. Sed *Gaſto Fuiſſæus* Regis è ſorore nepos, juvenis acerrimus, Mediolano præfectus, dum ſpiſſam plueret nivem, ignaris obſeſſoribus urbem ingreſſus ei ſuccurrit. Inde Breſſam à Venetis captam properans, partem exercitus Veneti ſub duce *Baillone* profligavit. Mox ab itinere è caſtello Breſſæ, quod Galli adhuc tenebant, urbem invaſit & cæſis octo millibus hoſtium, recuperavit, omnia quindecim dierum ſpatio. Quam celeritatem pari cum prudentia & audacia conjunctam omnes exemplo carere, & incomparabilem eſſe fatebantur. Quibus animatus Rex prævidens ſe brevi undique invaſum iri, præcepit Gaſtoni, ut cum primum poſſet, ſummam rei prælio committeret. Quò ut fœderatos compelleret, Ravennam obſeſſum ivit, eamque liberaturi hoſtes ante urbem cum eo conflixerunt, acerrima pugnâ. Fœderati munito foſſa

cius Sienenſis, Liverotus Fermenſis, aliique fœdere contra Borgiam inito illum oppugnare cœperunt, imparatum, eo maxime, quod ex fœderatis plerique ſua & Patris ſui ſtipendia facientes copias ſuas, à ſe more temporis illius, dependentes abduxerant. Hac re turbatus, omnem dedit operam, ut auctoritate Regis & ſuis maximè blanditiis ac artibus amicitiam & ſtipendia cum illis renovaret, conciliante imprimis *Urſino* Cardinali, hac inter alias lege; ne aliter quam ſinguli in ipſius caſtris adeſſe cogerentur.

8. Paulo poſtea quatuor ex fœderatis præcipui, *Paulus*, *Dux Gravinæ*, *Vitelloſſius*, Urſini omnes & *Liverottus*, cum Sinigaliam pro Borgia cepiſſent, hic illis ſignificavit, ſe poſtridiè Sinigaliæ futurum, Proinde milites ſuos educerent; Quo facto, Duci ſuo obviam profecti, eoque ad portas deducto, cum diſcedere vellent, rogati ut ſecum intrarent, eſſe quod illos vellet, animadverterunt, ſe undique cinctos eſſe militibus Borgiæ, ſuis in ſuburbana dimiſſis. Ergo præſagis mali inſtantis animis ingreſſi, mox ab illo capti & duo ſtatim ſtrangulati *Vitelloſſius & Liverottus*, ultimo die *anni* 1502. reliqui duo paucis diebus poſtea extincti ſunt, cum Pater Papa Cardinalem *Urſinum* etiam captum veneno ſuſtuliſſet; Filium quoque ſuum defendens hac ratione, quod fœderati prius à pactis receſſiſſent, quia ſtipulati, ut ſinguli tantum ad Borgiam accederent, quatuor ſimul accurriſſent, quibus adeo nec ipſe fidem ſervare obligatus

tus fuiſſet. Vitellozius impleverat domus ſuæ fatum, quatenus omnes ejus fratres morte violenta ſublati erant, noviſſime Paulus *ſtipendio* Florentinæ Reip. re primo egregie, deinde male ad Piſas geſta, præcipiti juſtitiâ capite mulctatus erat. Liverottus ſolvit debitas pœnas manibus *Johannis Fraugiani* avunculi ſui pluriumque Fermenſium procerum, quos domi ſuæ nuper ad prandium invitatos nefariè obtruncaverat, ut ſolus urbe potiretur; Non poterat ei melius quam ſimili proditione ſatisfieri. Dein Borgia cum patre Papa ditiones copiaſque mortuorum, perfidiæ præmium occupavere: Peruſiam quoque, *Johanne Paulo Balione* æquè homine conſcelerato, qui Borgiæ diffidens Sinigaliam venire noluerat, fuga ſibi conſulente. Ceri quoque oppidum vetus in rupe ſitum, quod olim Româ à Gallis & dein à Gothis aliiſque barbaris captâ, manſerat intactum, Urſinis eripuit.

9. Conſilium illis erat dominium Piſanæ civitatis ſibi oblatum acceptare, Sienam Pandolpho Petruccio, qui jam ſemel ab illis ejectus erat, & Bononiam Bentivogliis eripere, totamque deinceps Hetruriam & conſequenter omnem Italiam occupare, nullâ rê fortunæ & perfidiæ illorum amplius reſiſtente. Sed cum ad hos conatus immenſa opus eſſet pecunia, quam non modo è reditibus rei Papalis & ditionum occupatarum, ſed etiam è mortibus amicorum & inimicorum feſtinatis corradebant, accidit, ut *Cæſar* filius & Papa pater cœnam condicerent

que locis munitiſſimis & quibuſdam equitum peditumque copiis pro Borgia perſeverantibus, donec & hæ perierunt ultimo ejus peccato, quando præſtringente judicium vi calamitatis, Cardinalem *S. Petri ad Vincula*, Patris ſui acerrimum hoſtem, paſſus eſt Pontificem creari, quod impedire potuiſſet, ut præceptor ejus Machiavellus ſcribit, cum haberet XI. Cardinales ſibi addictos, qui tertiam electorum partem ſuperabant, cum duabus in eligendo Pontifice partibus opus eſſe conſtet. Ab hoc Pontifice datus in cuſtodiam, & deinde Neapolim miſſus, cum à magno Capitaneo liberaliter exceptus, Hiſpanorum ope ſe omnia recuperaturum ſperaret, veſperi quodam ab illo amiciſſimis amplexibus & ampliſſimis oneratus promiſſis ſpe plenus exiiſſet ad iter Piſanum, vix ab oculis ejus digreſſus ejuſdem juſſu captus & in Hiſpaniam tranſmiſſus eſt, ubi è cuſtodiâ clapſus aliquandiu poſtea in obſidione caſtelli cujuſdam obſcuri in Navarra periit, anno 1516. Huic hiſtoriæ, quod Borgia ſit Machiavellici principis ſpecimen, aliquanto diutius immorati ſumus.

11. Hactenus res *Borgiæ Cæſaris*, qui favore Ludovici XII. Gallorum Regis ſubnixus pleraque ſcelera & acquiſitiones commiſerat. Unde non immerito Galli ipſi obſervant, res Ludovico minus proſperè in Italia ceſſiſſe. Mediolano occupato, de Neapoli Rex cogitabat & ſuis viribus potiri potuiſſet. Verum nimio ſecurita-

tis

ris ſtudio in evidentiſſimum periculum ſe conjecit; Fœdere inito cum *Ferdinando* Hiſpaniæ Rege cum illo partitus eſt regnum, ut Hiſpanus haberet Apuliam & Calabriam, Galli reliquum urbemque Neapolim; non quod non prævidęrent, hanc communionem fore matrem diſcordiæ; Sed quod viribus ſuis fiderent Galli, fore ut Hiſpanos poſtea facile opprimerent; quæ fiducia ut hodie haberet facultatem, ita tum fefellit.

12. Poſtquam enim miſerum *Fridericum*, qui ſpem omnem in Ferdinando, à quo ſub amicitiæ ſpecie turpiſſime deceptus eſt, collocaverat, facile junctis viribus exuerant, anno 1502. Quæſtione de finibus regundis brevi inter victores ortâ, Galli primo quidem longe prævaluerunt, Conſalvo Ferdinandi duce in extremam Apuliam redacto. Sed Gallis cum ſua negligentia, tum pace Lutetiæ Pariſiorum inter Regem & *Philippum* Auſtriacum Belgarum Principem, nomine Ferdinandi ſoceri, contracta, remiſſius agentibus, Hiſpani paulatim amiſſa recuperarunt. Quippe *Philippo* pacem factam illis inſinuanti parere noluerant & Ferdinandus interim intellecto, ſuos duplici victoriâ potitos apud *Seminaram* & *Ceriniolam*, totum occupaſſe regnum, pacem ratam habere noluerat, idque *anno* 1503. geſtum; quo tempore primum inſtitutum eſt cuniculis ſubterraneis ſuffodere muros urbium, eoſque pulvere nitrato ſpecubus abdito (*Minas* appellant) evertere, cujus inven-

ventionis auctor extitit *Petrus Navarra* ſic à patria ſua dictus. Gallorum reliquiæ paucis urbibus imprimis Cajeta, uſque dum novus à Ludovico Rege veniret exercitus, ſederunt; qui cum acceſſiſſet, proſperis uſus initiis à *Conſalvo* Hiſpano mora & arte confectus & diſſolutus ad flumen *Garilianum*, hoſtibus regnum & *Conſalvo* magni Capitanei titulum reliquit. Nec Gallia poſt Anglicas clades majorem acceperat doloris & injuriæ ſenſum, omnibus pene familiis luctu & deteſtatione Italici belli repletis, Viribuſque Regis adeò diminutis, ut ſi *Conſalvus* in promptu habuiſſet, exercitum ſuum educere è regno noviter acquiſito, Gallos æquè facile è Lombardia expellere potuiſſet.

13. Poſt hæc Papa JULIUS II. prodiit in ſcenam, qui olim Cardinalis *San-Petri ad Vincula*, apud Gallos contra Alexandrum VI. aſylum habuerat; Sed grati animi loco odium in illos infandum collegerat, idque pro beneficiis rependit. Primo Rex melius de illo ſperans in ejus gratiam Bentivoglios auxilio deſtitutos coëgit cedere Bononia, quam Pontifex ut Exarchatus partem ſibi vindicavit; prorſus enim habebat in animo, quæ unquam ad ſedem Romanam pertinuerant, ea rurſus armis belli in poteſtatem redigere; Deinceps exteros, inprimis Gallos ex Italià depellere. Periculum fecit in *Genua* urbe, quæ cum ipſius inſtinctu à Gallis defeciſſet, Ludovicus Rex, qui poſt cladem Neapolitanam conſtituerat, ſuo ductu bella gerere, in Italiam pro-

profectus illos brevi reduxit ad obſequium, mulctatos pecunia & juribus ſuis, quæ olim pacti fuerant, etſi mox eadem non *ut conventiones*, ſicut olim fuerant, ſed ut *Privilegia* ab ipſo liberaliter indulta reſtituit, anno 1507.

14. Offenſus erat Venetis idem Rex varias ob cauſas, qui pariter Imperatorem Maximilianum, Pontificem & Regem Hiſpaniæ reſpectu Neapolitani regni graviſſime irritaverant, cum loca ſingulis adempta retinebant: & *Ludovicus* eam Lombardiæ partem, quam ex fœdere cum ipſo pridem inito de Mediolanenſi ducatu decerpſerant, recuperare geſtiebat, Veneti omnia retinere volebant. Utrique Galli & Veneti ingentis imprudentiæ reos ſe fecerunt. Nam Gallis ratio magis fuit, Venetis aliquid indulgere, quam ſe infeſtiſſimis inimicis ſuis contra eos conjungere: Veneti vero aliquot ſaltem hoſtes, reddendo partem eorum quæ illis ademerant, placare debuerunt. Sed aliter uſu venit. Galli fœdus *Cameraci* cum Pontifice, Imperatore, & Ferdinando in necem Venetorum fecerunt *anno* 1508. & ſequenti, Rex ipſe cum exercitu XL. millium progreſſus in Italiam, illorum exercitum 36. millium peditum equitumque fudit in *Giaradadda*, apud Arcidellum vicum, capto è ducibus altero *Alviano*, qui ſine conſenſu collegæ Comitis *Petiliani* jam prægreſſi, cum parte copiarum conflixerat. Qua una clade mirum eſt, quantopere Veneti perculſi fuerint, multò magis quam olim Spartani clade Leuctrica. Nam

è

è veſtigio toto Imperio, quod habebant in terra continenti, cedere & inſulis ſuis ſe includere decreverunt.

15. Rex & Pontifex, qui juxta excommunicationem, cum exercitu XII. millium in Romaniam irrupit, ſua, quæ petebant, breviſſimo temporis ſpatio occupaverunt: etiam Ferdinandus loca maritima in Neapolitano regno à Venetis occupata, omnes ſine moleſtia, per ſolam victoriæ Gallicæ reputationem. Ad Maximilianum ipſi Veneti Legatos miſere, qui verè miſerabili oratione per *Antonium Juſtiniani* Legatum ſuum pronuntiata, quæ ſempiterno Venetorum dedecore legitur in *lib. VIII. Guiccardini*, pacem ab illo, ſub Lege tradendi omnia, quæ olim Auſtriacis adempta fuerant, addendique omnia, quæ in terra continente poſſidebant, petierunt. Neque tamen ità quidem auditi ſunt, Maximiliano ſine ſociis nihil cum illis agere volente. Tam deformis Venetorum ſubmiſſio & Maximiliani negligens ac inſtabilis natura fecit, ut ille ſuam partem, qua ultro ceſſerant Veneti, juſtis præſidiis non occupaverit: Interjecto autem tempore, Veneti à conſternatione ſua paulatim ſe recipientes, cum *Treviſanos* viderent impune Maximiliani militem excludere, vexillumque *S. Marci* attollere, animadverterunt, ſe nimis celeriter induiſſe deſperationem. Ideo Patavium præcipuam ſuæ ditionis urbem, Rege Galliæ ex Italia digreſſo, prius deſertam rurſus occupare auſi, mox ingentem Maximiliani exerci-

citum ibi ſuſtinuerunt, eumque brevi obſidionem ſolvere compulerunt.

16. Hactenus Papa *Julius* cum Gallis ſe aperte non commiſerat; ab hoc tempore cœpit, idque à pace Venetis conceſſa, quos cum Maximiliano enixè conciliare ſtuduit, quo illum adverſus *Ludovicum* concitaret, ut fecerat de Henrico VIII. Angliæ Rege & Helvetiis, qui Gallis ob negatum penſionis ad xx. florenorum millia augmentum & verba quædam Ludovici contemptim de ipſis prolata, mirificè erant infeſti: quin & Mediolani ducatum aggreſſi ſunt, unde à *Calcimontio* præfecto repulſi & tum quidem ad ſua redire coacti ſunt anno 1510. Julius ipſe Ferraram, cujus ſupremum dominium ad Eccleſiam pertinebat, *Herculi Aeſtino* adempturus *Mirandam*, ipſe præſens, inaudito de Papis exemplo, media bruma ad deditionem coëgit. Sed anno ſequente, Calcimontio mortuo, Joh. Jacobus *Trivultius* Mediolano præfectus Papam expulit Bononia, quæ dejectis ejus inſignibus, Bentivoglios iterum recepit, quod cum ſummo animi dolore Ravennæ intelligeret, aliis tribus nuntiis moleſtiſſimis aures ejus verberatæ ſunt. Primo, exercitum ejus eſſe diſſipatum, II. Ducem Urbinatem ſuum nepotem, manu ſua obtruncaſſe in platea Ravennenſi Cardinalem Pavienſem ex amicis ſuis intimum. III. Inſinuatum eſt illi Concilium à novem Cardinalibus ſub auctoritate *Maximiliani* Cæſaris & Galliæ Regis convocandum *Piſas*; quam civitatem

tatem Florentini, poſt tredecenne bellum ipſis damnoſiſſimum & incredibilem Piſanorum pertinaciam, ſibi deditam anno 1508. in huncuſum commodaverant. Si Rex cum Pontifice ſemper implacabili & malis ſuis intonante rigidius egiſſet, facillime eum hoc rerum concurſu opprimere potuiſſet; Defectu hujus vigoris Pontificem inflavit, ſe ipſum in arctum redegit.

17. Nam *Julius* fœdere inito cum Ferdinando Hiſpano, Henrico Anglo & Helvetiis anno 1511. ultro illum invaſit, obſeſſa cum numeroſo fœderatorum exercitu Bononiâ Duce Remundo Cardonenſi Pro-Rege Neapolitano. Sed *Gaſto Fuiſſeus* Regis è ſorore nepos, juvenis acerrimus, Mediolano præfectus, dum ſpiſſam plueret nivem, ignaris obſeſſoribus urbem ingreſſus ei ſuccurrit. Inde Breſſam à Venetis captam properans, partem exercitus Veneti ſub duce *Baillone* profligavit. Mox ab itinere è caſtello Breſſæ, quod Galli adhuc tenebant, urbem invaſit & cæſis octo millibus hoſtium, recuperavit, omnia quindecim dierum ſpatio. Quam celeritatem pari cum prudentia & audacia conjunctam omnes exemplo carere, & incomparabilem eſſe fatebantur. Quibus animatus Rex prævidens ſe brevi undique invaſum iri, præcepit Gaſtoni, ut cum primum poſſet, ſummam rei prælio committeret. Quò ut fœderatos compelleret, Ravennam obſeſſum ivit, eamque liberaturi hoſtes ante urbem cum eo confligerunt, acerrima pugnâ. Fœderati munito foſſa

I loco

loco ſe continebant; Unde Ferrarienſis opera Ducis, vi tormentorum exacti æquo Marte cum Gallis pugnaverunt, quibus *Foiſſæo* duce nihil inſuperabile videbatur; Poſt cruentam commiſſionem fœderati plane ſunt fuſi & cæſi, exceptis Hiſpanis, qui integris ordinibus recedebant. Hoc Foiſſæus ferre non poterat. Collectis aliquot equitum turmis ipſe eos invaſit, infeliciter, ictus haſta & cæſus. Si fuiſſet ſuperſtes Romam & Italiam prædæ, regnum Neapolitanum pro ſeſe ab avunculo Rege donum habuiſſet. Pugnatum eſt ipſo die Paſchatis 11. *Aprilis anno* 1512.

18. Mors *Foiſſæi* victorem exercitum non parum quoque Viris & viribus imminutum quaſi inaminatum reliquit, ſub *Paliceo* Duce, qui intellecto Helvetios imminere Ducatui Mediolanenſi, illuc ſe recepit. Cum autem illi cunctarentur, *Intendentes* quos vocant rei pecuniariæ, milites Italos dimiſerunt. Cum mox adeſſent Helvetii, qui per *Bellinzonum* in Alpibus oppidum, pridem ab ipſis occupatum, ſemper aditum habebant in agrum Mediolanenſem, pedites Germani, omnes fere ex hereditariis Maximiliani ditionibus, ſubito à Principe ſuo, qui adhuc arcto fœdere cum Gallo conjunctus fuerat, revocati ſunt. Ita Galli ad tria vel quatuor millia redacti, omni Ducatu Mediolanenſi ceſſerunt, cui juxta pactum inter Pontificem, Maximilianum, Ferdinandum & Helvetios Ducis titulo præpoſitus eſt *Maximilianus Sfortia*, Lu-

Ludovici filius. Atque eodem tempore Genuenſis civitas, creato duce *Jano Fregoſa*, à Gallis defecit. Tantâ ruinâ res eorum obrutæ ſunt in Italia, anno 1512.

19. Tunc Julius Pontifex, cui jam omnia proſperè cedebant, non modo Concilium Piſanum, ſed etiam Galliæ regem devovit, eique & omni regno ejus ſacris interdixit; Rex *Angliæ* bellum eidem indixit; *Maximilianus* Imperator ſe hoſtibus ejus adjunxit; denique Julius idem Papa novo decreto illum ipſo regno ſpoliavit, idque in Henricum Anglum cum titulo *Chriſtianiſſimi* tranſtulerat; Sed ante publicationem ejus decreti in fata conceſſit, homo turbulentiſſimus.

20. Poſtea Ludovicus, domeſticis bellis defunctus, renovato fœdere cum Venetis, quos paulo ante fere deſtruxerat, ut ſunt res hominum, repetiit Mediolanum, cujus amore præcipuo tenebatur, miſſo duce *Trimolio* cum exercitu, qui omnia Ducatus loca, duobus exceptis, Novarâ & Como, in poteſtatem redegit; Novaræ Ducem Sfortiam cum VIII. millibus peditum Helvetiorum (V. millia habet *Mezeræus*) obſedit; qui duce *Motino*, non expectantes ingens popularium ſuorum auxilium brevi adfuturum (Mezeræus ait, hoc illis junctum fuiſſe) noctu eruptione facta, ſine tormentis bellicis, caſtra Gallica, ingenti tormentorum numero prætexta, immani contemptu mortis aggreſſi ſunt & cum jactura mille quingentorum è ſuis, per hoſtium bombardas proſtratorum, Gallos caſtris ſuis

 ejece-

ejecerunt, omnemque fere peditatum conciderunt; inſeſti maxime Germanis *nigri ordinis* qui dicebantur, quos Galli in Helvetiorum locum, ad probandum ſe illis carere poſſe, frequentes conduxerant. Hoc facinus belli ut unum ex memorabilibus toto orbe geſtis merito celebratur. *Adornii*, qui *Fregoſis* ejectis *Genuam* recuperaverant, hac intellecta revolutione, ſponte ceſſerunt.

20. Ludovicus ita rurſus Mediolani ſpe recuperandi dejectus majore domi tempeſtate exceptus eſt, quam in Gallicis videbimus: Sed inita cum Anglis pace & adfinitate eam conſopivit; At cum denuo ſe ad expeditionem Mediolanenſem compararet, novas cum Angli ſorore nuptias morte proſecutus hanc curam ſucceſſori *Franciſco* tranſmiſit. Ita exiit annus 1514.

CAP. VII.

De rebus Italiæ tempore Franciſci I. uſque ad obitum Cæſaris Maximiliani.

SEquela victoriæ, qua fœderati Gallos Italiâ expulerant, fuit ſubverſio Bentivogliorum Bononiæ & reductio omnis *Romaniæ* ad ſedem Apoſtolicam, ſolo Ferrariæ Duce ægre ſervato; denique libertatis Florentinæ. In exercitu fœderato erat *Johannes de Medicis* Cardinalis, Petri de Medicis bello Neapolitano ſubmerſi frater & mox Pontifex, qui reſtitutionem familiæ ſuæ hac occaſione flagitabat; eo quod Floren-

tini Gallorum partes ſemper ſequuti fuerant. Horum res præſertim militaris, ut in populari & diſcordi imperio, negligenter agebatur, *Petro Soderino* Signifero & principe Magiſtratu minus callido temporum obſervatore. Mediocri pecuniæ ſumma Maximiliano Cæſari & Proregi Neapolitano datâ, periculum profligari poterat. Ea cum non præſtaretur, venit in illorum fines exercitus, ſed abſque rebus ad obſidiones neceſſariis: Ideoque in hoc erant, ut Florentinis pacem darent, ea lege, ut Medicæi tanquam privati reverterentur & bona ſua reciperent, modicaque pecuniæ ſumma indigenti daretur Proregi, eoque fine Legatio à magno populi concilio ad illum decreta fuerat. Sed dum Signifer præpoſtera & fatali aſtutia, quod ei non placerent conditiones, Legatorum iter uno die moratur, Hiſpani *Pratum* oppidum modicè percuſſum, incredibili militum Florentinorum vecordiâ manu armata ceperunt, omnibuſque captivitatis malis adflixere. Cujus rei fama ingenti terrore Florentiam perlata, cum populus Signiferi ſui culpam ægerrime ferret, juvenes aliquot nobiles Medicæis addicti, ex *Albiziis*, *Vettoriis*, *Valoriis* aliique ſeditione mota, cum libertatis Patroni Signifero irati quieſcerent, illum vi minisque inopem conſilii atque amicorum, è palatio eductum in exilium miſerunt. Medicæi reſtituti, ſed tantum in bona ſua, non contenti illo beneficio & æqui juris impatientes, gnari etiam ſe tuto in civitate graviſſimè offenſa, ut privatos degere

 non

non poſſe, cum Proregis conſenſu, militibus clam in urbem conductis & factione ſua in armis apparente, capto repente Palatio, coëgerunt novum Signiferum & reliquos ſenatores libertatis adhuc tenaces, ut populum ſonitu magnæ campanæ convocarent; ubi lex per vim, concione armatis cincta, lata eſt, qua Viris quinquaginta, quos Medicæi nominaverant, poteſtas daretur (*Baliam* vocant) ut quod illi ſtatuerent, perinde ac ſi totus populus ſtatuiſſet, haberetur. Ab his reducta eſt eadem Reipubl. quæ fuerat ſub Laurentio de Medicis, forma, ſed violentior & armis ſubnixa præſentibus; hæc jam acciderant anno 1512.

2. Sed *Franciſcus* Galliæ rex, adſumpto Mediolani Ducis titulo, contra expectationem communem, primo regni ſui anno cum ingente exercitu Lombardiam invaſit, etſi aditus ejus ab Helvetiis cuſtodiebantur. Sed Galli incredibili labore per montes adhuc inacceſſos non modo peditum & equitum copias traduxere, Sed etiam tormenta bellica brachiis hominum tranſportarunt; adeo præter omnium opinionem, ut Proſper *Columna* vetus militiæ & præcipuus fœderatorum Dux in oppido Villa-franca prandens captus fit. Inde cuncta Ducatus loca Mediolanum uſque in poteſtatem Gallorum venerunt, eratque in hoc *Franciſcus*, ut cum Helvetiis pecunia tranſigeret, niſi Cardinalis *Sedunenſis* fax & tuba gentis illos ardenti oratione *Motini* & octo millium Novarienſium exemplo concitaſſet

taſſet ad pugnam, cui ſe commiſerunt *die* 13. *Octobris* hora quarta veſpertina, ad *Marignanum* haud procul Mediolano, continuato per quatuor horas poſt Solis occaſum prælio, incredibili utrimque ferociâ; Nocte tandem ſeparati primo máne (Rex vehiculum tormenti bellici pro lecto habuerat) renovato certamine, cum Galli tormentis ſuis melius collocatis ingentem illorum ſtragem ederent, tandem Helvetii receſſere potius quam profligati ſunt; ut tamen brevi exinde digreſſi ſint in Patriam, relicto in arce Mediolanenſi cum præſidio quod ſatis eſſet duce *Maximiliano*, qui ſe Regi anno ſequenti dedidit, pactus ſibi ſuiſque reditus ad vitam in Gallia luculentos; Cæterum, moribus & ingenio cuilibet illuſtri loco habitus impar & indignus.

3. Galli exinde fœdus cum octo Helvetiorum pagis antiquum inſtaurarunt, ſolutis aureorum millibus ſexcentis & certis annuis penſionibus, ſub lege militandi ipſi adverſus omnes, excepto Papa, Imperio & Imperatore. Maximilianus Imperator, qui adhuc erat in armis contra Gallos & Venetos & qui toties unica expeditione Mediolanenſe regnum viderat mutare Dominos, fortunam & ipſe experiri voluit; aliquanto meliori quam Galli jure, cum eſſet Imperii feudum, illud occupaturus. Habuit ex Helvetiis, illis qui nondum in gratiam cum Gallo redierant xx. millia peditum, Decem millia Germanorum, & quatuor aut quinque millia

equitum, quantum alias nunquam exercitum. Si cum his copiis rectà Mediolanum tetendiſſet, non eſt dubium, quin Galli ſe ultra montes recepiſſent. Mutabilitas ejus & tarditas ſpatium dedit *Carolo Borbonio Conſtabili* Galliæ; qui Mediolano præerat, rebus ſuis proſpiciendi, & Maximilianus eâdem mora temporis ad argenti inopiam redactus in Germaniam ſe recepit. Deinde cum Venetis inducias, cum Gallis pacem fecit, ſuaſque in Italia acquiſitiones bona fide deſtituit. Hæc anno 1516.

4. Quo etiam geſtum eſt bellum inter Franciſcum Mariam Ducem Urbinatem à Leone Pontifice ditionibus ſuis exutum, in gratiam *Laurentii* de Medicis, & eundem Laurentium atque Pontificem. Dux Urbinas, ſtabilita pace per Italiam, cohortes veteranas Hiſpanorum aliorumque ſpe prædæ ſine ſtipendio ſibi conciliaverat & per octo menſes moleſtiſſimum & ſumptuoſiſſimum pontifici ejuſque nepoti omnibus abundanti rebus, ipſe omnibus egens bellum fecit, donec in arctum redactus & ſuorum fidei diffiſus *Mantuam* ſe recepit; Ducatum poſt Laurentii & Leonis mortem recuperavit. Sed hic prius adhuc multorum cauſa malorum fuit, de quibus in *ſectione ſequenti*. Ad cujus terminum uſque pax in Italia continuata eſt. *Franciſc. Guiccard. à 2. ad 13. libr. rer. Italicar.*

CAP.

CAP. VIII.

De rebus Gallorum.

RES Gallicæ hoc intervallo ſeparatæ à bellis Italicis breviter abſolvi poſſunt. Carolus VIII. novam in Italiam expeditionem meditans, ſed autoritate ad eam exequendam inter ſuos idonea deſtitutus mortem prius obiit, apoplexia correptus, dum è feneſtra ludentes in foſſâ arcis Amboſianæ videret aulicos *anno regni* 15. *ætatis* 28. *Chr.* 1498. poſtquam orbem terrarum majore ſtrepitu quam virtute aliquandiu turbaverat, corpore animoque parvus & deformis, neque par fortunæ, quæ ipſi intonuit; bonus alioqui & humanus, tam vitiis quam virtutibus patri diſſimillimus. Ultima ejus verba bonæ indolis ſigna refert *Comminæus*, cum nihil minus quam de morte cogitaret; Sperare ſe fore ut poſthac omnibus peccatis abſtineret; etiam venialibus; quod aliter quam cogitabat, adſecutus eſt.

2. Superſtes fuit tribus filiis ex *Anna* Britannica, quæ ſimiliter ejus Succeſſori duos peperit filios æque in infantiâ mortuos. Is fuit LUDOVICUS Aurelianorum Dux, qui nepos erat Ludovici, à Johanne Burgundo Lutetiæ interfecti, fratris *Caroli VI.* cujus pronepos erat rex *Carolus VIII.* Ad hunc Ludovicum à morte Caroli ſtatim plerique aulici, relicto Rege mortuo, vili culcitræ, quam fors obtulerat, in-

jecto, ſe contulerunt; etſi nonnulli muſſitabant, eum quod olim adverſus Regnum arma tuliſſet, regni incapacem videri. Sed hoc brevi murmure tranſiit & prævaluit Lex, quæ ſucceſſioni admotum omni crimine liberat.

3. Habebat Ludovicus uxorem *Johannam* Ludovici XI. filiam, deformem ſcilicet. à quâ divortium Pontificis conſenſu fecit, ut duceret *Annam Britannicam* Caroli VIII. viduam, non minus veteres ſuos amores quam utilitatem regni ſequutus, cujus intererat maximè, Britanniæ Ducatum à Galliæ regno non ſeparari, quod, ſi *Anna* alibi nupſiſſet aut vidua manſiſſet, eventurum erat. Nam etiam nupta Ludovico, cum is aliquando deſperatè ægrotaret, rebus convaſatis in Britanniam ſe recipiebat, ut quod ſui vehementiſſime cupiebant, gentem ſibi denuo ſeorſum vindicaret; quod ſi Ludovico ſuperſtes vixiſſet, hauddubie in effectum datura fuerat, ut erat ſui mulier ingenii, quin & Viri potens, ſed obnoxia ſuperſtitioni. Qua mariti rebus multum nocuit, dum ſcrupulis conſcientiæ & importunitate ſua illum identidem, quominus Julium Papam, quod ſæpe potuit, opprimeret, impediret. Non eſt etiam de nihilo, quod diximus *antea*, res Ludovici improſperas in Italiâ, acceptas ferri potuiſſe fœderi & favori erga hoſtem illum humani generis, perfidiæ & crudelitatis exemplum *Cæſarem Borgiam*, ejuſque patrem Alexandrum VI. Papam.

4. Exitus expeditionum in Italiam quis fuerit

rit, vidimus: ut *Nihil* poſt immenſam ſanguinis aurique vim exhauſtam obtineret Ludovicus, denique proprium Galliæ regnum in ſummum adduceret periculum. Cum enim poſtremo ab Helvetiis Mediolano omnique Italia dejecti eſſent Galli, Angliæ Rex & Maximilianus cum Germanis ſuis & Belgis Picardiam ingreſſi Terovanam urbem obſederunt, cui ſuppetias Galli ferentes ad *Guinegatam*, ubi & olim à Maximiliano victi an victores fuerant, indocili clade protriti ſunt prælio, cui à fuga Gallorum præcipiti nomen à calcaribus datum eſt. Angli deinde Tornacum occupaverunt, Terouanam vero, dejectis vallis & muris, incenderunt. Ab altera parte Helvetii ingenti cum exercitu Burgundiam invadentes urbem Divionum obſidebant, qua capta Lutetiam uſque Pariſiorum iter habituri fuiſſent apertum. Trimolius Dux urbem teneri non poſſe videns, & arte viros tractans, illos pace facta domum remiſit, ea lege, ut Rex iis daret DC Millia ſcutatorum & juri ſuo in Ducatum Mediolanenſem renuntiaret; quas conditiones cum Ludovicus ratas non haberet, parum abfuit, quin obſides, quos ſecum abduxerant, ſummo ſupplicio adfeciſſent. Placati ſunt ſpe pecuniarum, quas magis quam ſanguinem ſitiunt.

5. *Anna* Britannica poſt mortem *Julii* Papæ Regi uſque adeo moleſta fuerat, ut miſſo concilio Piſano cum Pontifice gratiam reconciliaret; quo facto, Regina in fata conceſſit, cujus

ja-

jacturam Ludovicus etſi non tralatitio mœrore proſecutus eſt, tamen cupiditate filii heredis & pacis, hanc cum Anglo pepigit, relicto ei Tornaco & ſolutis ſcutatorum ſexcentis millibus: Aliter enim Galli cum Anglis ea tempeſtate pacificari non poterant. Vinculum pacis erat matrimonium Regis cum *Maria* Henrici Angli ſorore, adoleſcente pulcherrima, quam deperibat Suffolcius dux, Henrici apud Gallum legatus, & Franciſcus Ludovici gener: hic flammam ſuam metu opprimere coactus, alter eam poſtea Ludovici Regis viduam duxit in uxorem. Nam Rex ſine ætatis reſpectu novæ nuptæ dans operam, eâ nondum impletâ, febrim ac inde mortem contraxit *anno ætatis* 51. *regni* 18. *Chr.* 1515.

6. Princeps ingenio quidem non maximus, ſed optimus, ideoque *Pater populi* dictus, bonorum Regum ultimus; quando Succeſſores ſi qui excelluerint, magni potius quam boni, nec tam Patres quam Domini eſſe voluerunt. In majoris momenti rebus ſequi ſolebat conſilium *Georgii Amboſiani* Cardinalis, primi ſui Miniſtri, quem ejus generis ſolum fuiſſe volunt vacuum avaritia atque ſuperbiâ, qualitatibus alioquin à *Favoritis* quos vocant, inſeparabilibus. Illo ante quinquennium ſummo omnium ordinum luctu mortuo; Rex qui per ſe magnis impar erat negotiis, aliquanto deteriori conditione res ſuas adminiſtravit: Sed ea res non minuit *Patris populi* titulum, cui per ſe ſufficiebat;

bat; etſi bellis occupatus erat adſiduis & graviſſimis, tributa tamen erant modica; militiam vero ſuam tali diſciplinâ continebat, ut civitates & populi gratiæ loco illarum contubernia peterent. Quod ad hæc uſque tempora vix eſt, ut de ullius gentis militari diſciplina, præter Belgas fœderatos prædicari poſſit. Inſtitutum hoc pudendum militiæ noſtri temporis vexandi & opprimendi amicos populos hoc tempore cœptum eſt ab Hiſpanis, qui cum à Regibus ſuis æris egentibus ſtipendia non acciperent, ab iis, quos defendebant adverſus hoſtem, plus quam ſtipendia per vim extorſerunt. Hoc exemplum in noſtra tempora durat, & plagam belli duplo graviorem quam fuit olim, humano generi effecit.

7. FRANCISCO ejus conſobrini filio & Succeſſori, alia morum via fuit, ut in progreſſu videbimus. Dicitur hoc præſagiiſſe *Ludovicus*, perſpecto Franciſci ingenio; *Quid agimus*, inquit, occupati in ſublevandis populis; ille *craſſus adoleſcens omnem induſtriam eludet noſtram.* Hic bellum Italicum à Ludovico deſtinatum præparatumque ſine mora perſecutus eſt, ut vidimus, etſi primum annum ſtabiliendis novi regni fundamentis exiturum plerique putaverant. Sed nihil opus erat Franciſco tali cautione. Jus ſucceſſionis indubitatum, favor nobilitatis & amor populi propter magnas corporis animique dotes in eo relucentes domi ſecurum reddebant. Foris pax cum Anglo promptè continua-

ta,

ta; cum Archiduce Carolo, cujus populi à bello Gallico abhorrebant, ſtatim inita, matrimonio Renatæ Ludovici Regis filiæ ſecundo genitæ; (Claudiam primogenitam *Franciſcus* habebat) & Caroli firmata; in Italia fœdus cum Venetis habebat. Sed Maximilianus Imperator, Ferdinandus Hiſpanus & Helvetii cum Duce Maximiliano ſe Franciſco junctis viribus opponebant; quorum cum nullum flectere poſſet, frangere inſtituit & fregit, ut vidimus; Helvetiis poſt acerrimam contentionem ſibi reconciliatis, mortuo ſcilicet, cui maximè infenſi fuerant, *Ludovico*; expertis etiam aurum Galli melius eſſe quam ferrum, neque ab hoc tempore ullum foris bellum ſuis auſpiciis geſſere, contenti ut tela ſubſervire Gallis; donec eos penitus, ut videmus, habuere mancipatos. & facile tenebunt.

8. Ferdinando deinde mortuo, Franciſcus Neapolin occupare geſtiebat; quominus occuparet primo fecit expeditio memorata Maximiliani in Lombardiam & oppoſitio Pontificis reliquarumque in Italia poteſtatum, Dein mors Imperatoris ejuſdem *Maximiliani*, quæ Franciſcum & Carolum Auguſtæ Dignitatis Candidatos alio certaminis genere commiſit, quâ de re *ſectione* ſequenti agendum. Ante cujus finem nova inter Gallum & Anglum conventio placuit, ut Maria Henrici filia nuberet Delphino Franciæ nondum anniculo, illa quadrima; Tornacum Gallis redderetur pro 260. millibus ſcutatorum

pa-

paratis & trecentis millibus intra duodecim annos ſolvendis, cum acceptilatione paris ſummæ pro dote filiæ Anglicanæ. Ita Galli nunquam, ut res tum ferebant, ad hanc uſque diem Anglorum amicitiam auro mercari deſierunt; uſquedum nactis Regem Anglis auro ſuperiorem, his diebus *finem* venalis amicitiæ fecere *Galli* ingratiis.

CAP. IX.

De rebus Hiſpaniæ.

FErdinandus & Iſabella conjuges, Hiſpaniæ Reges, prudentiſſimi Hiſpanicæ magnitudinis fundatores, habuere filium unicum *Johannem*, cui dederant uxorem *Margaretam* Auſtriacam Maximiliani Imperatoris ex Maria Burgundica filiam, ejuſque filio *Philippo* Archiduci & Belgarum Principi ſuam primogenitam *Johannam* collocaverant; Filia ſecundo genita *Catharina* erat in Anglia Henrici Regis uxor, ſiniſtris auſpiciis, ut deinde videbimus.

2. Quanquam autem Conjuges illi Hiſpaniam omnem, excepta Luſitaniâ & exiguo Navarræ regno, tenebant; non fuere tamen pecunioſi, necdum introductis in Hiſpaniâ extorquendæ à civibus pecuniæ modis alibi excogitatis. Ideoque res eorum in Italia geſtæ famâ potius & induſtriâ, cui perfidiam religionis prætextu nunquam adjungere cunctati ſunt, confectæ fuere, quam vi copiarum; militibus eorum ſine ſtipendio ſumptibus populorum amico-

corum & inimicorum ſuſtentatis. Artes ſuas nullibi magis quam in negotiationibus & tractatibus exercuerunt; atque ab illis habet originem inſtitutum mittendi retinendique Legatos in aulis externis perpetuos, *Reſidentes*; veteribus incognitos, ab hoc tempore neceſſarios in Europa factos.

3. *Iſabella* Regina morbo deceſſit anno regni XVII. Chriſti 1504. virtute animique magnitudine & ingenio Princeps excellentiſſima. Succeſſio Caſtiliæ & Legionis cum dependentibus inde regnis ad filiam ejus *Johannam* ex Ferdinando quidem natam, ſed Philippo Auſtriaco Belgarum Principi nuptam pertinebat; Adminiſtrationem autem regnorum uſufructuariam *Iſabella* teſtamento ſuo reliquerat *Ferdinando:* Quæ voluntas ex Legibus Caſtiliæ majorem quam commendandi vim habere non poterat. Ideoque Proceres, qui juvenem Regem, jure ſuum, præ ſene imperioſo & Arragonio mallent, Philippum impellebant, ut regnum adiret: Nec in illo erat mora; Sed metu Gallorum, quos Ferdinandus ſibi in hoc rerum articulo conciliaverat ac ipſius Ferdinandi, ne ſibi aditum obſtrueret, ſuis artibus eum aggreſſus eſt: Antequam è Belgio decederet certis conditionibus cum ſocero tranſegit; Quas in Hiſpaniam appulſus ipſe & Ordines Caſtiliæ pro nullis habuerunt & denuo pacti ſunt, ut *Ferdinandus* haberet Indias & Neapolitanum regnum; quod Caſtiliani ſuis opibus acquiſitum ad ſe perti-

tinere contendebant, reliquis autem cederet. Hac inita conventione Ferdinandus in Arragoniam atque inde in Neapolitanum regnum tranſiit; Unde magnum Capitaneum, qui regnum illud ſibi arrogare velle viſus erat, abduxit; cum Rege Gallo, cujus cognatam, *Germanam Foiſſeam*, in uxorem duxerat, in reditu collocutus, amicitiâque in ſpeciem validâ cum illo conſtitutâ, rediit in Caſtiliam.

4. Quippe *Philippus* Auſtriacus intra biennium morbo, quod more patrio viveret in alio ſolo & cœlo, extinctus eſt; jure regni ad *Johannam* quidem pertinente, Sed cum hæc imminutæ mentis eſſet, Ferdinando rurſus oportuit adminiſtrationem deferri, quam ad mortem uſque tenuit. Deinde quemadmodum ſemper ei pendebat hamus, cum Philippo mortuo, Galli amicitia amplius non indigeret, hujus rebus à Papa Julio in arctum redactis, non tantum Italico fœderi contra illum conflato acceſſit, verum etiam cum Anglo genero ſuo pactus eſt, ut exercitum in Hiſpaniam mitteret, quo junctis viribus Galliam à parte Fontarabienſi invaderet. Cum Angli hac gratia adeſſent, ipſe Navarræ regnum, quod tenebat *Johannes Albretanus*, ſubito invaſit *anno* 1512. & occupavit totum; Rege ſe in Bearnenſem regionem, quæ pars ejus eſt ultra Pyrenæos, fuga ſubducente nec quidem ſe defendere conato. Diu Ferdinandus huic regno inhiaverat, ac prætextu ſaltem & occaſione opus erat, quæ ſe nunc obtulerat,

eo quod Julius Papa Regi Ludovico cum ſociis, quos inter *Johannes* Navarræus, ſacris interdixerat, eorumque bona publicaverat. Opportunitas ſitus & difficultas belli mediis Pyrenæis gerendi fecit, ut hæc acquiſitio, injuſta licet & jure Navarræ pridem ad Galliæ reges tranſmiſſo, manſerit tamen Hiſpanis; quanquam Galli hanc injuſtitiam illis centuplo compenſaverint. Hiſpani verò Navarram adeò ſibi neceſſariam arbitrantur, ut Cardinalis *Mazarinius* tempore tractatus Pyrenaici auſus ſit illis remittere conditiones decuplo meliores, *ſi Navarram reſtituerent*, quod ſciret, ut ipſe ſcribit, eos Navarra nullo modo carere poſſe, quando ſi Rex Gallus haberet *Pampelonam*, præcipuum ejus regni munimentum, Hiſpaniæ Regi incontinenti Madrito emigrandum eſſet.

5. Sed Ferdinandus tam facile Navarra potitus, de bello Gallis una cum Anglis inferendo, gnarus bella Pyrenaica ſemper in irritum cedere, nihil amplius cogitavit & Anglos re infectâ domum remiſit, ſumma cum Regis populique Anglicani indignatione; cujus furorem Legatus Hiſpaniæ Londini ægre evitavit: Rex autem Anglus ab eo tempore Gallis multo placabilior fuit. Porro Ferdinandus anno 1516. ex hac vitâ deceſſit, hydrope contracta ex amatorio poculo, quod uxor Foiſſæa, prolis ex eo cupida, ſeni propinaverat. Princeps ſapientiſſimus, ſed tamen duobus vitiis obnoxius creditus, avaritiæ & perfidiæ. Prioris illum mors ab-

abſolvit, quando poſt 40. annorum imperium nullos reliquit theſauros, quos apud cives ſuos verè divina moderatione collocavit. A fidei contemptu datæ, nihil eum excuſat, niſi mos pervulgatus Regum, qui hoc fine dictum Cæſaris probant; *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt*; Ille vero ita ſuas rationes inſtituit, ut fere ſemper dicere poſſet; *Religionis cauſa.*

6. Jus quidem ſucceſſionis ad Johannam filiam pertinebat, ſed erat mente capta: Quare Proceres *CAROLUM* ejus primogenitum regnis fœmineæ ſucceſſionis admoverunt, ut tamen nomen *Johannæ* juxta Carolinum uſurparetur. In Arragoniâ, quæ lineali ſucceſſione maſculina, qualis apud Francos, nitebatur, major fuit difficultas: quando regiæ familiæ mares, etſi gradu remotiores non deerant. Sed Ferdinandus in Comitiis regni jam pridem impetraverat ab ordinibus interpretationem juris antiqui vel Legem potius novam hujus ſententiæ; *Legem, qua fœminæ à ſucceſſione Coronæ Aragonicæ excluderentur, non præjudicare maribus è fœmina natis, ſi modo in linea maſculina non extarent fratres, patrui, vel nepotes è fratribus Regis defuncti, aut ejus qui eſſet ultimo defuncto Regi propior quam natus ex fæmina, de quo ageretur; vel pari ſaltem gradu. Conſequenter ſucceſſionem in præſentiarum ad Carolum Ferdinandi ex filia primogenitâ nepotem pertinere.* Quæ deciſio nec ſine exemplo erat; quandoquidem Ferdinandus hujus

Ferdinandi avus ex filiâ Petri Arragoniæ Regis Eleonorâ natus poſt obitum avunculi *Martini* Regis ſine filiis, ex ſententiâ Judicum ad eam cauſam ab Ordinibus delegatorum prælatus erat Comiti Urgellano cæteriſque Martini agnatis gradu remotioribus. Neque tamen deerant, qui dicerent Ferdinandi veteris arma, Secundi potentiam, regnandi veterem, illam interpretationem extorſiſſe potius quam juris rationem, quæ non permitteret, ut in ſucceſſione lineali fœminis excluſis, mares ex illis nati, jus haberent; nec Ordines habuiſſe poteſtatem jus Agnatis regiis quæſitum nova lege tollendi. Præter quod Arragonii vehementer Regem peculiarem deſiderabant. Sed neceſſe fuit ut ratio, quemadmodum alias, imbecillioris, potentiæ majori cederet, ut Carolus in Arragonia quoque admitteretur ad ſucceſſionem. Potuiſſet Ferdinandus majore cum populorum ſuorum prolubio *Ferdinandum* Caroli fratrem æquè ſuum nepotem; apud ſeſe educatum, quem tenerrime amabat, Arragoniæ regno admovere; ſicut olim *Ferdinandus* avus ejus, domi ſuæ junior, fratre Caſtiliæ Rege, in Arragonia receptus fuerat: Sed *Ferdinandus* Catholicus inde jam in animo habebat *Monarchiam*, Idcirco & ipſi Maximiliano, paterno nepotum ſuorum avo ſuaſerat, ut Germanicas ditiones omnes in *Carolum* tranſmitteret, etſi hunc à facie non noſſet, nec etiam extremo tempore ſibi valde obſequentem expertus eſſet. Magnitudo tamen domus omnia

ſupe-

ſuperabat; etſi Maximilianus illi conſilio non paruit.

7. In *Luſitania* ſive *Portugallia*, Johannes II. filium habebat *Alphonſum*, cui junxerat uxorem *Iſabellam* Ferdinandi Catholici filiam. Sed hic in ipſo nuptiarum apparatu ex equo lapſus interiit. Ideoque ſucceſſorem nactus eſt anno 1495. EMANUELEM agnatum; qui ut regnum, ita ſponſam agnati Alphonſi Iſabellam accepit in uxorem. Magni Princeps animi, à quo gloria & potentia gentis, expeditionibus Indicis, plurimum auctæ & illuſtratæ ſunt, ut mox indicabimus.

8. Sub finem hujus Sectionis novum in Africa regnum Hiſpaniæ proximum à familia *Cheriffiorum* eſt conditum. *Mahometes Benhemetes* ortum ſe de ſanguine Mahometis Pſeudoprophetæ jactitans, hac opinione cum magna ſanctitatis fama in populis ſparſa, non difficulter eos adverſus Principes Mauros quaſi Chriſtianorum fautores & quorum culpa Mauri ex Hiſpania nuper eradicati eſſent, excitavit. Collectâ igitur ingenti manu & armis, quæ Turcarum ſanctis non maleſedent, egregie, filiis ducibus, utens, regna *Feſſæ*, *Maroccæ*, & *Tremiſanum* occupavit atque ad poſteros tranſmiſit.

9. Porrò memorabile eſt hoc intervallum navigationibus Luſitanorum & Caſtilianorum in Orientem & Occidentem, quibus terrarum orbis duabus partibus amplius, quam Veteribus erat cognitus, Europæis patefactus, & merca-

turæ penitus commutata eſt ratio: maxime reſpectu mercium Indicarum; quæ olim ex rubro mari per Iſthmum Ægyptiacum & mare mediterraneum Venetias potiſſimum ac inde per reliquam Europam diſtribuebantur. Sed Luſitani circumnavigato Africæ extremo promontorio, quod *bonæ ſpei* vocarunt, hisque in Indias penetrarunt, ac inde minore ſumptu & majore copiâ merces orientales avexerunt in Europam. Quo factum eſt, ut Sultanis Ægypti vectigalia, Venetis immenſa lucra deceſſerint. Primus ab Emanuele Rege miſſus fuit *Vaſcus de Gamma*, qui primo lectis Mozambiquæ & orientalis Africæ littoribus Calecuti regnum aromatibus auroque abundans adiit, ſed incolarum injuriis iterum deſerere coactus eſt. Secundo itinere cum XII. navibus Quiloæ Regem vicit, Cochinenſem arctius ſibi devinxit, & divite reditu Luſitanos animavit, ut deinde *Alphonſum Albukerkium* novâ cum claſſe miſerint, qui Cochini Regem à Calecutenſi pene oppreſſum liberavit, & deinde *Malaccam*, *Goam*, *Ormuzium* occupavit, cum Franciſcus *Almeida* Campzonis Gauri Mameluccorum Sultani claſſem, ut Luſitanos ex India pelleret miſſam, profligaſſet aut deſtruxiſſet. Mamaluccis à Selymo Turca deletis, Luſitani nec à Turcis quicquam paſſi nec adverſus eos quicquam tentarunt, verum in Indiis pro libitu dominati ſunt, Sede regiminis ſui apud Goam collocatâ, opeſque immenſas, etſi crebris vexati naufragiis, ex illo commercio ac-

accumularunt. Denique à Pontifice maximo dominium omnium ultra lineam æquinoctialem verſus Orientem ſibi donationis titulo addici curavere. Quod hæretici deinde Belgæ & Angli non nimis magni fecerunt, ut in loco videbimus. Quod idem Emanuel viam per Septentrionalem Americam quæſivit per *Gaſparem Cortereelem*, in Indias, non habuit ſucceſſum: Sed & tempore fuit poſterius.

10. De novi orbis inventione ſuprà aliquid attigimus. Chriſtophorus *Columbus* Ligur, Iſabellæ Catholicæ, mulieri ad excelſa natæ, perſuaſerat ſuis rationibus longâ imaginatione & experientiâ firmatis, eſſe probabile, terras alias Occidentem verſus eſſe ſitas. Quibus inquirendis tres ei naves ducentis viris inſtructas Regina commodavit, cum quibus ille devorato ingenti navigationis tædio, deſperantibus ſociis & jam reverſuris primum obvias habuit volucres: unde terras facile conjiciens propinquas, appulit Gadalapam primo, dein Hiſpaniolam, ubi arcem à nomine Heroidis ſuæ *Iſabellam* ſtruxit. Repetitis itineribus *Cubam*, *Jamaicam*, *Cannibales* detexit & occupavit. Poſtmodum *Americus Veſputius* Florentinus ejuſdem Ferdinandi & Iſabellæ auſpiciis reliquam continentem adiit, ubi regna *Peruvianum*, *Mexicanum*, aliaque in poteſtatem redegerunt, unde magni reditus in tempore:. Sed avaritia & crudelitate Hiſpani omnia corruperunt. Verum hæc res latius patet, quam ut heic eam proſequi liceat, *Script. Hiſp. tom. poſter. Mariana. Thuanus lib.* 1.

CAP. IX.

De rebus Anglicanis.

FAta vices habent, nec eandem ſemper gentem eadem premit vis. Italia quæ *hoc & ſequenti intervallo* ſurſum deorſum fluctuat, aliquando profunda quiete gentium aliarum labores adſpiciet. Germania nunc quieta brevi turbabitur. Anglia turbis atrociſſimis defuncta, per centum quinquaginta annos intra ſe bellum non ſentiet. Henricus VII, utrâque Roſa, domus Eboracenſis & Lancaſtriæ inſignibus, junctis, pacis & duraturi Status auctor fuit. Ipſe per annos fere XXIV. multa cum prudentiæ laude præfuit regno; Pacis tamen cupidior quam par fuit, cujus ſtudio paſſus eſt Galliæ Regem Britanniâ Armoricâ potiri, ingenti ſuo & reliquæ Europæ in futurum præjudicio.

2. Civibus ſuis egregius magiſter fuit diſcendi obſequium, neque ſe rebus miſcendi publicis, parendi gloria contentis, quam viam filius imperioſe proſecutus ad ſummum faſtigium perduxit, & ad liberos ſuos tranſmiſit; E Scotia ſucceſſores illam deinceps amiſerunt, ut ſuo loco videbimus. Henricus VII. per 24. annos in univerſum præfuit, collecto ingenti pecuniarum theſauro, mortuus è phtiſi *anno* 1508. *ætatis* 53. Liberos habuit adultos quattuor, filios & filias binos: *Arthur* primogenitus prærnaturi puer ingenii anno ætatis XV. jam majorem

Scriptorum Latinorum partem perlegerat, ut prædicant Angli: Duxerat in uxorem *Catharinam* Ferdinandi & Iſabellæ Catholicorum filiam, triennio ſe majorem, ſed quinque menſibus poſtea deceſſit, virginitate uxoris adhuc ſalva, ut ipſa quidem adfirmabat. Quæ ratio & adfinitatis opportunitas & dotis quantitas Patri cauſa fuit hoc agendi, ut filius ſuperſtes HENRICUS viduam fratris, ſe quinquennio majorem, in uxorem duceret, non bonis avibus, ut deinde res tulit. Filias habuit duas, Margaritam Jacobo IV. Scotorum Regi nuptam, & *Mariam* Ludovico XII. Galliarum Regi poſtea collocatam, ſed ad breve, dein Suffolciæ Duci nuptam.

3. Cum Patri ſuccederet *Henricus* VIII. erat XVI. annorum, corporis animique dotibus egregiis, pace bonus, bello multa promittens. Cujus occaſio non tam nata quam data eſt à *Julio* II. Pontifice, qui cum in hoc eſſet, ut Regem Ludovicum Italiâ expelleret, non modo fœdus in Italia adverſus eum contraxit, ſed etiam foris ei negotium faceſſere voluit, juxta Helvetios excitans *Henricum* ad gloriam gentis adverſus Gallos renovandam, gnarus nihil æquè ab his, ut tum res erant, timeri, nihil importunius illis futurum. Miſit Legatos, miſit navem ingentem Eccleſiæ vexilla ſplendide præferentem, onuſtam vinis pretioſiſſimis & obſoniis exoticis ad inſtruendas collationes commeſſatorias, quæ inter Proceres diſtributa homines

otio & luxu abundantes, nec ſuetos Papalia videre inſignia, mirifico Pontificiæ gratiæ ſenſu extollebant.. Bellum igitur inſtruxere, pecuniis ex hereditate Henrici VII. adfluentibus, ad ſumptus immanes, quos facere neceſſe fuit, eo quod inſtrumenta belli pleraque nova, ratione belli plurimum immutatâ; comparanda fuerunt. Succeſſum ejus belli vidimus *in Gallicis*.

4. Sed cum Galli Scotorum Regem, cum quâ gente amicitiam, ut Anglos averterent, inde jam olim diligenter coluerant, etſi adfinitate recenti Henrico junctum, concitaſſent, ut bellum in Angliam inferret, is eam temeritatem exitio luit: Congreſſus enim ad *Flodonem* amnem contra Procerum ſuorum ſententiam cum Anglis, ipſe Rex *Jacobus* IV. cum filio notho multaque nobilitate, flebilis occubuit, Princeps in omni virtute excellens: Cadaver ejus nuſpiam repertum dedit occaſionem fabellis. Filium ex Margarita *Henrici* ſorore bimulum reliquit *Jacobum* V. Angli exinde pacem ad exitum *hujus ſectionis* continuarunt, expreſſè cum Gallis, tacitè cum Scotis. Quum enim *Margarita* petiiſſet, ut ſui liberorumque ſuorum ætatis memor abſtineret bello *Henricus*, hic animo regio reſpondit: *Sibi cum Scotis pacatis pacem, cum bellantibus bellum fore. Polydor. Virg. Baker. Buchanan. rer. Scot.*

CAP.

CAP. X.

De rebus Belgicis.

BElgicæ res poſt *Maximiliani* diſceſſum in Germaniam, ſub *Philippo* ejus filio & *Carolo* nepote, hoc intervallo ſatis tranquille ſunt adminiſtratæ, nationeſque omnium rerum abundantiâ ſub leni regimine florebant. Unum fuit turbamentum à Gelris, qui *Carolo* Egmundano *Adolphi* ducis filio revocato, à domo Burgundica deſciverunt: quæ res per omnem Belgicam multorum cauſa malorum, cùm hoc, tum ſequenti imprimis extitit intervallo.

2. Sed hujus *ſectionis* tempore *Friſiæ* tumultus intonuerunt; quos etſi ad ſummam Hiſtoriæ univerſalis minus forte ſpectantes, heic tamen nobis, vel rerum vel patriæ cauſa, præterire non licet. Quatuor hoc nomine Gentes hodie cognoſcuntur. Prima vocatur *Occidentalis*, quæ nunc eſt pars Hollandiæ, borealis, Friſiæ tamen nomine etiam ab Hollandiâ diſtincta. *Orientalis* Friſia trans Amaſin ſita nomen aliud ab *Embda* civitate gerit. Tertia inter Amaſin & Lavicam ſita *Groningæ* civitatis appellatione diſtinguitur; Ultima quæ eſt inter Lavicam & Flevum, *Friſia* ſimpliciter dicta, hujus loci memoriam occupat.

3. Hæc à temporibus Caroli M. ab annis DCC & amplius nulli, nequidem domeſtico Principi, nec Magiſtratui, vel Senatui vim coercendi ha-

habenti ſubjecta fuerat; niſi quod aliquando *Poteſtates* voce Italicâ, quæ ex Caroli M. inſtituto illis hæſit, modica poteſtate ad tempus eligebant. Hæc nimia & ſoluta libertas ferox & ſatis concors adverſus exteros, plerumque eos inter ſe commiſit; hoc ſeculo imprimis factionibus antea demonſtratis ſciſſi, bellis civilibus & inhumanis finem nullum faciebant, ut verè exemplum ſtatus naturalis Hobbeſiàni, gentem nullo Imperii vinculo unitam, exhibuerit.

4. Hac tempeſtate præerat Hollandiæ & vicinis civitatibus, nomine Maximiliani Cæſaris, filii ſui Curatoris, *Albertus* Saxo Miſniæ Dux, Cæſaris conſobrinus, Vir pace belloque memorabilis, & Hectoris Teutonici cognomen meritus, patrimonio quoque in Miſnia & Thuringiâ loculentæ poſſeſſionis præditus. Huic ſtipendiorum impenſarumque nomine debebatur ingens pecunia, quam videns ſe difficulter recuperaturum & tamen adminiſtratione provinciæ, *Philippo* majore declarato, cedendum fore, in ſolutionem accepit ceſſionem *Friſiæ*; quam domus Burgundica jure Comitatus Hollandiæ ad ſe pertinere judicabat: Cumque pars Imperii Germanici reputaretur, Imperator ei conceſſit inveſtituram ſub titulo *Gubernatoris hereditarii*, altiorem titulum poſtea facile conſecuturo; nunc ille placebat, ne genti libertate gaudenti, nomine dominationis gravior eſſet. Sic jure Burgundico & auctoritate Imperii concurrentibus non dubitabat, quin facile à Friſiis, maxi-

me

me diſcordibus reciperetur; animatus exemplo *Ulrici* Sirxena dynaſtæ Gretani, qui ſine magna difficultate Friſiam Orientalem olim æquè liberam in ſuam, ut ſupra diximus, poteſtatem redegerat. Hæc Albertus *anno* 1497.

5. Sed Friſii, qui jus Hollandicum ſemper atrocibus bellis refutaverant, nec ſe unquam à Cæſaribus in alium quenquam alienari tulerant, Maximiliani diploma literaſque Alberti rejecerunt, & coactis apud pagum *Droxriip* Comitiis, quo etiam Tranſlavicani, ad quos diploma Cæſaris æquè pertinebat, acceſſerant, induciis inter ſe factis, adverſus exteros ſe conjunxerunt: Sed dictis magis quam animis, qui nimis exulcerati erant, quam ut tam facile ſanari poſſent. Albertus igitur ex vicina Hollandia invigilans & arte agendum ratus, cum exſulibus aliquot primariis egit, ut mille quingentis ſtipati militibus, ordinis tum valde terribilis à *longis Virgis* dicti, inrumperent in Friſiam, qui partes occidentales, Bolſvardia capta, omni genere cladis vaſtabant. Diſcordia fecit, dum alii aliis non ſuccurrebant, ut tam parva manus gentem, quæ olim maximos exercitus ſuſtinuerat, impediret; nec aliam illos ſubmovendi rationem viderent, quam ab auctoritate *Alberti*, qui promptum illis remedium oſtentabat; ad quem proinde *Schiringii*, quod uni factioni erat nomen, ſe contulerunt, ejuſque imperio, ſalvis legibus, ſe ſubmiſerunt, & brevi victis prælio Sylveſtribus, captaque Leovardia, ubi ar-

cem

cem ſtruxit, ab Ordinibus Friſiæ receptus eſt, qui fidem ei, ut Hereditario Gubernatori, cum jure *ſuperioritatis* quam vocant, ſolenniter dederunt, *anno* 1599.

6. Conſtituto, ut poterat, novo Principatu, & reditibus valdè modicis, ſi hæc tempora compares, ei conceſſis (domaniis in gente principatus ignara nullis extantibus) filium ſuum *Henricum* genti præpoſuit; Majorem natu quidam tradunt; malè, nam Henricus ſuperſtes Georgio fratri in ditiones à Patre poſſeſſas & familiæ præcipuas ſucceſſit; quod Georgium arguit majorem, ut tum Henrico juniori Pater hanc ditionem deſtinaverit, quo frater integrum vetus patrimonium haberet. Albertus dehinc in Miſniam ſeceſſit, *Henrico* Franekeræ in arce Siardæa, olim in ſpem Principatus condita, domicilium habituro. Sed cum hic tributa imponere non conceſſa & more Germanico imperare vellet, brevi ingens adverſus eum factio conſpirans Franekeram obſidione cinxit. Quam cum fideli Franekeranorum operâ ab Alberto deinde præmio adfectâ luculento, ſuſtinuiſſet, Pater mox reverſus adverſariis aliquot cladibus fractis, totam provinciam pacavit. Sed cum Groninga, ſine qua Friſia difficulter teneri poteſt, illum recipere nollet, eò ſe cum exercitû contulit urbemque obſedit, inrito ſucceſſu: Quin ipſe vulneratus & Embdam digreſſus ibi ſupremum diem clauſit, in exitu anni 1500.

7. Exinde *Henricus* ejus filius adſiduis Friſio-

ſiorum turbis agitatus, cum reditus inde provenientes nullo modo ſumptibus faciendis reſponderent, nec ipſe de ſuo bellum ſuſtinere poſſet, pertæſus tam ingrati Principatus & convitio ingenti Friſiam proſecutus, abiit Bruxellas ac inde in Germaniam. Attamen Frater ejus *Georgius*, vir gravis, ſtrenuus & facundus, ſpem Friſiæ potiundæ adhuc amittere non poterat. Videbat eſſe luculentam Terræ portionem, quæ in ordinem redacta fructum ferre poſſet, inde à Flevo ad Amaſin uſque: Nec eſſe pœnitendam ipſi genti conditionem, ſi hoc modo Germanici corporis Imperii pars facta fuiſſet, quod ſe arte & Marte conſecuturum non deſperabat. Ideo ceſſionem fraterni juris & inveſtituram Cæſaris cum arcibus & omni regiminis facultate recepit *anno* 1501.

8. Ipſe tamen *Georgius* non venit in Friſiam ante annum 1503. menſe Majo, & primo in Pago *Doniumenſi* prope Franekeram ab Ordinibus fidem accepit, dein Comitiis *Franekeram* indictis, id egit, ut formam principatui ſuo Germanicam circumdaret. In gente ab omni vetuſtate libera; nulla erant *feuda*, quæ in Germania & omni Europa, quo Germani penetrarunt, vincula Principatuum eſſe creduntur. Petebat Georgius, ut Nobiles ſuas poſſeſſiones hereditarias ſibi deferrent; atque à ſe rurſus ut vaſalli in feudum acciperent. Quod illi jam ſubacti ut parerent, nondum ut *ſervirent*, ſubmiſſè & tamen conſtanter recuſarunt, in eoque res poſt

acer-

acerrimam diſceptationem in arce Frenakerana habitam deſiit, ut remiſſo feudi onere Friſii in agros ſuos reciperent cenſum, Principi nomine *Florenorum*, certis penſionibus ab Ordinibus identidem petendis, ſolvendum; indictione pro valore agrorum aut facilitate dominorum varia-ta, quæ ut fit, ad hæc tempora uſque durat in genere ſuo, verum aucta in centuplum. Ad augenda ſua domania terras alluvionis maritimæ Biltanas ſibi vindicavit, eaſque detergendas muniendas & *meliorandas* Batavis locavit *Wyngardeniis*, qui, ut fere accidit novis ejuſmodi auctoribus, ſe ipſos ſumptibus exhauſerunt, Provinciæ commoda in uſum poſteritatis luculenter auxerunt.

7. Exinde Georgius Curiam Supremam rebus judicandis Leovardiæ ſtabilivit, cum poteſtate ſatis libera, per omne provinciæ corpus ſine exceptione diffuſa, cum mero Imperio, *privativè*, hoc eſt, ita ut nulli alii collegio vel Magiſtratui competeret; exercenda juriſdictione ſecundum jus Romanum; quia leges antiquæ bellis civilibus erant detritæ, paucis duntaxat conſuetudinibus, quæ retentæ ſunt, exceptis: ut ſatis conſtet, nuſquam in Europa jus Rom. liquidius quam in hac Curia obſervari, quod ſuperiorum temporum ἀναρχίᾳ adſcribendum. Præter Curiam aliud collegium ſex Virorum, trium è Saxonia, totidem Friſiorum, ad regimen Politicum conſtituit, binos è ſingulis ditionibus, in quas tum Friſia erat diſtin-

ſtincta. His rebus ordinatis & durantibus adhuc induciis cum Groninganis, abiit in Germaniam; prius Embdæ pauliſper commoratus, ubi cum Comite *Edſardo* pactus eſt, ut is, finitis induciis, bellum adverſus Groninganos adminiſtraret.

8. Hoc ille, finitis induciis, anno 1505. ſuſcepit, urbem non tam oppugnavit, quam è longinquo obſedit, munita Averdenſi cataractâ & Punterenſi ponte, Dammonâ oppido pridem capto; quibus rebus factum eſt, ut Groningenſes brevi ad ſummam omnium rerum inopiam redacti ſe ducibus Saxonicis, à quibus Edſardus jam diſceſſerat, dedere conſtituerent. Sed populo ob eam rem in forum coacto, cives duo, vir & uxor à Saxonicis capti, præciſis auribus & naſis reverſi tantam indignationem moverunt, ut conſilium mutarent: Urgente tamen fame clam cum *Edſardo* convenerunt, ut huic ſe dederent eumque principem protectorem agnoſcerent, qui mox ad eos ingreſſus obſidionem ſolvit & arce impoſitâ, ſibi mancipavit: eâque re Saxonum res ita perturbavit, ut ſi occaſione fuiſſet uſus, illos ex omni Friſia mutationis avidâ, pellere potuiſſet. Sed Georgius Dux cum eo tranſegit, ut tanquam Legatus ſuus Groningam & Omlandiam teneret, at Dux ſolutis xxx millibus florenorum urbem agrumque recipere poſſet. Verum utrimque res ſimulate acta, Comes urbem tenuit, vi Principis, incerto jure; monetâ hac inſcriptione cuſâ, *Edſardus Comes & Senator Groningenſis.* Ducis Legati in Friſiâ nihilo

ſecus ut hoſtem illum caverunt; atque ita per aliquot annos in pace ſubdolâ continuatum eſt.

9. Illo tempore Dux Georgius in *Friſiâ* Collegio ſex Virorum abolito, quod æmulatione cum Supremâ Curiâ Principatus vim diſſolvebat, utramque judiciariam & politicam adminiſtrationem commiſit *Henrico* Comiti *Stolburgio* & Præſidi ac Senatoribus Curiæ Supremæ, à quâ anno 1512. duo Nobiles, *Tarquinius Mockema* & Gemma Dominus *Juuſma*, propter conſilia cum *Edſardo* Comite communicata, tormentis ſubjecti & juſſu Ducis publicè capite mulctati ſunt. Quæ res animos à Georgio non parum alienavit, ut tandem ex omni Friſiâ poſt ſumptus graviſſimos ſit evolutus. Cum enim à Comite Groningam nullis conditionibus recipere poſſet, nec ille Cæſari, ne *Banno* quidem Imperiali auſcultaret, aliis rebus quam charta, ad eripiendam ſibi Groningam opus eſſe dictitans, ipſe Dux anno 1537. in Friſiam reverſus cum exercitu decem millium, *Edſardi* trans Amaſin ditiones infeſtavit & Groningam ſimul obſedit. A Friſiæ Ordinibus ipſe gravi & copioſa, ut erat Vir facundus, oratione, quâ Edſardi injurias demonſtrabat, ſeptem aſſes in ſingulos agrorum florenos in ſubſidium hujus belli petebat. Sed nihil quam milites quingentos pro duobus menſibus ſumptu Ordinum exhibendos impetravit. Cum hoc bellum aliquandiu crudeliter eſſet geſtum, Groningani *Georgio* deditionem obtulere, ſi arcem ab Edſardo illis impoſitam dirui pateretur. Quâ conditione ab

ab illo recuſata, Groningani Edſardo, qui amplius illos tueri non poterat, conſentiente, *Carolum* Gelriæ ducem, iiſdem, quas Georgio obtulerant, conditionibus, Principatum detulerunt.

10. Hic nihil cunctatus, è continenti miſſis quatuor millibus militum & fide ab illis accepta, mox arcem diruit brevique, Friſiam prætextu illius antiquæ libertati reſtituendæ invaſit, quæ ſtatim in duas ſciſſa partes æquas, externi ſimul ac inteſtini belli malis pluribus annis obnoxia fuit. Quibus tandem fractus *Georgius* cum ſe ipſum omneſque amicos pecuniis exhauſiſſet, nec â Friſiâ quicquam amplius perciperet, nullum alium videns exitum, jus ſuum tranſtulit in *Carolum* Auſtriacum Burgundicæ domus heredem & Belgicæ Principem, pro centum millibus florenorum, quibus dux militibus ſuis ſatisfaceret, idque transactum anno 1515. Ac ita receſſit in Germaniam, nulla re ex Friſiâ quam dirâ memoriâ laborum, tædii & damnorum ſine fine modoque reportata. Friſiis odium externæ dominationis in præſens non permiſit animadvertere, quantum boni Saxonicum regimen illis contuliſſet; Republicâ, quæ prius erat effrenis & diſſoluta, extinctis factionibus, ad unionem redactâ, Curiâ ſaluberrimi inſtituti, Legibus egregiis, quibus etiamnum gens utitur, conſtitutis. *Georgius* deinceps in Germaniâ fuit ille memorabilis Lutheri & ejuſdem ſectæ Principum Antagoniſta. Mortuo poſtea ſine liberis anno 1539. ſucceſſit *Henricus* frater ille *ſuprà* dictus, qui

filios reliquit *Mauritium* & Auguſtum, ambos Electores factos: E Mauritio fuit nepos ex filia *Mauritius* Naſſovius Belgarum Dux ſalutaris, infra memorandus: ut etiam hac ratione Duces illi Saxones à fortunâ Belgicæ Friſiæque tantum oſtenſi, dein quaſi poſtliminio ſymbolam ſuam ad res Belgicas contulerint.

11. Conventionem inter Carolum Auſtriacum & Ducem Georgium Ordines Friſiæ partium Saxonicarum hactenus approbarunt, ut ſe Caroli Imperio ſubjecerint, his inter alias legibus, ne tributa nova, (quæ tunc erant, non excedebant XIV. millia florenorum) imponeret, *ſi quid inter Principem & Ordines oriretur controverſia, tertius arbiter eligeretur*, quod fuit magnæ ἀνθωρέστως. Sed bellum hac ceſſione non fuit ſopitum; Gelri ſuam Friſiæ partem non minus armis ſuis, quam factionum contumaciâ adhuc pluribus annis tenuerunt, Burgundiacos (ita jam erat nomen,) terra marique vexantes, Hollandis tum bello maritimo nihil audentibus: ut adeo *Pierius Longus*, Kimſwertenſis, Milo Friſicus ob robur immane corporis dictus, adſiduis prædationibus illos immenſis damnis adfecerit, Hornam quoque urbem ceperit & ſpoliaverit, ſanguinis non minus quam prædæ cupidus. Sed cum lapſu temporum viderent, Gelros non tam Friſicæ libertati, quam ſuæ dominationi ſtudere, quod ab initio facile exiſtimare potuiſſent, partes eorum paulatim detritæ ſunt ac ipſe *Pierius* Gelricorum ardentiſſimus cum bello tandem &

præ-

prædis abſtinuiſſet, mortem obiit Snecæ anno 1520.

CAP. XI.

De Imperio Turcarum & Perſarum.

B*Ajazethes* Turcarum Imperator poſt annum 1493. non admodum bellis inclaruit. Sed in Perſia contigit notabilis mutatio in *Iſmaële Sopho* Perſâ, pronepote *Sophi* illius, qui ab *Hali*, Mahometis ſummi Prophetæ patrueli & Alcorani Interprete ortus, primo inter Perſas ejuſdem Halis doctrinam propagavit, eâque re ſingularem ſanctitatis opinionem adeptus eſt; cumque Halis interpretatio diſcreparet à ſententiis Homaris, quem Alcorani Interpretem Turcæ ſequuntur, eo ipſo populi à Turcis ſenſim alienabantur. In hoc inſtituto perſeveravit *Guines* Sophi filius & hujus iterum filius Sicaidares *Harduellis*, gener Uſumcaſſanis, de quo *ſuprà*, quem Ruſtanus Perſarum Rex interfecit. Sed hujus filius *Iſmaël*, armorum terrorem, ut Sancti apud Turcas amant facere, ſanctitati majorum adjunxit, ac ita hoc duplici præſidio munitus eò potentiæ pervenit, ut occiſo Rege, Perſidis imperium, quod ab anno 1042. penes Turcas fuerat, in ſe & indigenas tranſtulerit, anno 1499. A quo tempore in eadem familiâ in hanc uſque diem perſeverat.

2. Porro *Bajazethes* ſenectute pedumque valetudine ineptus ad res bellicas à militibus con-

temnebatur, quando *Zelymus* junior filius, ut fratribus Achmeti & Corcuti ſucceſſionem præriperet, adverſus eum inſurrexit, verum prælio inter Adrianopolin & Conſtantinopolin victus aufugit *Caphiam* in Cherſoneſum Scythicam. Unde brevi à Prætorianis revocatus Patrem imperio vitâque, juxta fratres, vi vel fraude captos exuit anno 1513. cum Achmetes illum prius per tonſorem rei ignarum pilâ ſaponis veneno infectâ tollere conatus eſſet.

3. Erat bellator & præferox SELYMI animus, quem prius adverſus Iſmaëlem Sophum pridem inviſum & qui Achmetis filium contra ipſum foverat, explere ſtatuit: Exercitum CCC. millium collegit; Sophus non habuit ultra 70 vel 80 millia; Verum agris longe lateque in medio vaſtatis Turcam ſubmovere conatus eſt; Cum is nihilominus prope ad urbem Regiam penetraſſet, in campis *Caſuitziis* cruentâ pugnâ, nec ſine ſummo ipſius Zelymi periculo certatum eſt, cum equitatus Perſarum victor in eas partes, ubi Zelymus agebat, magna cum ſtrage penetraſſet. Sed cum altero cornu Perſæ bombardarum imprimis impetu pulſi eſſent, qui Zelymo inſtabant, à tergo circumventi cedere coacti ſunt, xx fere millibus cæſis, Iſmaële fugâ vix elapſo. Qui tamen ſibi ipſi non defuit, adverſis infractus; ſed recollectis & refectis copiis ſuis, carpendo Turcas & commeatus intercludendo, quod in ejus proprio regno erat opportunum, brevi Selymum eò redegit, ut deſiderato longe majore nu-

numero, tanquam victus Euphratem & ſua repetere coactus ſit, anno 1514.

4. Biennio poſtea refectis viribus, cum novam in Perſas expeditionem præferret, repente ſe convertit in *Mamaluchos* Syriæ & Ægypti dominos; Qui olim fuerant milites *mercenarii* (vox mamaluchorum id ſonat) Caliphæ *Meleſchalis*, qui ultimus è poſteritate magni Saladini Saracenis imperavit; quo ab his Mamaluchis interfecto, illi imperium ſibi vindicarunt inde ab annis 1243. Atque ab eo tempore, militiæ ſuæ ordine continuato & *Sultano* inde ſuffragiis electo, Syriam & Ægyptum ſub abſoluto rigidoque Imperio tenuerunt, equites omnes, nec XVIII M. numerum excedentes. Fiebant ex infantibus Chriſtiânis fere è Circaſſiis, qui vicini ſunt Iberis ſive Georgianis, unde *Circaſſii* non minus quam Mamaluchi appellati ſunt. Sultanus illorum erat hoc tempore *Campſor Gaurus* Vir fortis at ſenex; qui fœdere nuper cum Iſmaële Perſa inito contra vim Selymi ſe munire conatus erat. Verum ille corrupto *Cajerbejo* Alepi Præfecto, qui in ipſa acie decertatâ in campis *Calderanis* haud procul *Alepo*, cum ſuis ad Selymum tranſiit, Mamaluchos prælio vicit, occiſo Campſore Syriamque totam in poteſtatem redegit.

5. Mamaluchi fugâ in Ægyptum ſe receperant aditu difficilem, in quâ ſe muniverunt, electo in Sultanum *Tomumbejo* maris Præfecto; qui ſuis erat auctor pacem à Selymo ſub lege tributi quam offerebat, accipiendi; Sed prævalente

lente in illis pertinaciâ vel diffidentia de Turcis, refutata ſub ea lege pace belloque renovato, Selymus incredibili felicitate per deſerta Arabiæ, pluviis ibi rariſſimis à ſiti recreatus, in Ægyptum pervaſit occupatiſque limitaneis locis in ipſa urbe Cairo peremptoriâ clade Mamaluchos proſtravit & delevit, Tomumbejus ipſe captus in paludibus & diu tortus, ut theſauros indicaret, tandem vili jumento inſidens per urbem ductus ab unco ferreo ſuſpenſus eſt, idibus Aprilis 1617.

6. Poſt hæc *Selimus* miſſis Perſis & cæteris orientalibus, toto animo ſe ad bellum in Chriſtianos comparabat, cujus metu Leo Papa X, miſſis legatis fœdus inter omnes Europæos conciliare ſtudebat, & conſultationes inſtituit ſerias, quo pacto Turcæ ex Europâ facillime depelli poſſent. Sed hæc conſilia morte Selymi inexpectata evanuerunt. Ex ulcere cancroſo renum extinctus eſt, expletis VII. *imperii, ætatis* 46. *annis*. *Chr.* 1520. Solimannus ejus filius quàm ab omnibus pacis ſtudioſior credebatur, tam poſtea militaris & ferox repertus eſt. *Vid.* Auctores excerptos à Beſoldo *in Turcic.* Paulum Jovium de Vir. Illuſtr. in Selym. & Iſmaël. Hiſtor. *Lib.* 14. 17. 18.

CAP.

CAP. XII.

De reformatione Eccleſiæ.

DEformitas Eccleſiæ multis ſeculis collecta nullâ re magis quam manifeſtâ Pontificum improbitate in oculos hominum incurrebat, de quâ juvat audire verba graviſſima Franciſci Guicciardini Clementis VII. Pontificis miniſtri, *Hiſtor. Ital. lib.* 4. *His*, inquit, *mediis & fundamentis exaltati Pontifices, depoſita paulatim memoriâ ſalutis animarum & præceptorum Dei, omnibus ſuis cogitationibus ad magnitudinem hujus mundi converſis nec utendo amplius auctoritate ſpirituali,, niſi ut inſtrumento & miniſterio temporalium rerum, curas ſuas omnes unumque negotium eſſe crediderunt, non ſanctitatem vitæ, non augmentum religionis neque zelum aut charitatem proximi, ſed exercitus, ſed bellum adverſus Chriſtianos, conſiliis manibuſque cruentis ſacra facientes, cum accumulatione theſaurorum, novarum Legum, artium, inſidiarum ad colligendos omni ex parte nummos: Utendo in eum finem armis ſpiritualibus omniaque ſacra in hunc finem ſine pudore vendendo. Divitias in ipſos omnemque aulam diffuſas ſequebantur luxus, pompa, moreſque inhoneſti, voluptates & libidines ſine ulla curâ ſucceſſorum aut Majeſtatis Pontificiæ, ſed ejus loco deſiderium ambitioſum & peſtiferum, evehendi filios & nepotes ſuos ad divitias immodicas, imo ad Principatus & regna; non diſtribuendo amplius honores & emolumenta in bene*

meritos & virtute præſtantes, verum ſemper fere in maximum offerentes pretium aut in homines ambitioni, avaritiæ vel libidinibus ſuis pudendis opportunos. Quibus operibus reverentia Pontificalis in animis hominum diſtracta ſuſtinetur adhuc ex parte per auctoritatem & Majeſtatem nunquam inanem Religionis & per facultatem gratificandi Principibus &c.

2. Auctum erat hoc tempore dedecus Eccleſiæ duobus præſertim Pontificibus nullam ſpeciem Chriſtianiſmi habentibus. Quorum *Alexander VI.* omnibus flagitiis & ſceleribus coopertus fuit, ut ex iis quæ *ſuperius* dicta ſunt, cognoſci potuit. Julius II. bellator aſperrimus omne ſui tempus imperii armis & humano ſanguine fundendo tranſegit, *ſimilior Turcico Sultano* quam Paſtori gregis Chriſti, ut *Mezeræus* ſcriptor Catholicus loquitur in *Ludov.* XII.

3. Res plane maturuerat ad Reformationem, quam multi homines clari ſic inſtitutam voluiſſent, ut, eodem corpore manente Eccleſiæ, mores & doctrina emendarentur. Talis fuit *Hieronymus Savanorola* Monachus Florentinus, Prophetæ dignationem apud ſuos adeptus, eò quod Italiâ in alta pace quieſcente, cum nemini in mentem veniret, unde turbarum initium expectari poſſet, ea quæ deinceps evenere, prædixiſſet. Is Carolum VIII. cujus in manu erat, tum Romam occuparet, ejuſmodi reformationem inſtituere, ad eam impulerat, ſub pœnâ ultionis divinæ, niſi pareret; quam interminationem, Carolo nihil minus quam eâ de re cogitante, brevi ſe-

ſequuta eſt mors Delphini, Regis unicæ prolis & ipſius repentina deinceps. Sed hic Monachus, urgente Alexandro Pontifice, Florentiæ combuſtus eſt anno 1498, confeſſus, ea, quæ prædixerat, non fuiſſe profecta è revelatione divinâ, quam antea præ ſe tulerat, verum ex attentâ collatione rerum præſentium & præteritarum, cum obſervatione viarum Domini è ſacris literis, ut ſcribit Guichardinus in *fin. lib.* 3. *de bell, Ital.*

4. Contra Julium II. Ludovicus XII. Galliarum Rex approbante Maximiliano Imperatore, conjunctis novem Cardinalibus, inſtitutum aliquod Reformationis urgere viſus eſt aliquandiu, convocato in eum finem Concilio antipapali Piſas, quod dein Mediolani, poſtremò Lugduni habitum eſt, cum hoc prætextu, *reformandi Eccleſiam in capite atque in membris ſuis*; quo tempore nummos ferunt à Ludovico Rege cuſos, hac inſcriptione, *Perdam Babylonis nomen.* Sed non erat vel Principibus vel Cardinalibus in ſcopo gloria Dei, verum ambitio & contentio. Quibus factum, ut novo Concilio, licet Julium à Papatu ſuſpendiſſent eique populos Chriſtianos obtemperare vetuiſſent, nulla conſtaret auctoritas, pleriſque Concilio Lateranenſi, quod Julius ad refutandum Piſanum convocaverat, adhærentibus. Atque ita ille conatus fuit evanidus, Deo non à manu carneâ, ſed imbecilla nec opinâ, ſuo more, moliente Reformationem.

5. Quin Pontificis tam potentia quam luxus & omnis corruptio, abundantiæ comes, exinde

plu-

plurimum aucta eſt, maximè poſtquam Leo Papa X. Franciſco Galliæ Regi perſuaſit, ut *Pragmaticam* conſtitutionem, qua prohibitum erat, ne quid auri argentique è Galliis Romam deferretur cæteriſque Aulæ Romanæ extorſionibus occurſum erat, abrogaret, ſibique in compenſationem tanti mali, ſtipularetur nominationem ad Epiſcopatus omniaque Eccleſiæ per omnes Gallias beneficia, quod *Concordatum*, ut vocant, hodieque manet; cujuſmodi jus olim à Germaniæ Imperatoribus atrociſſimis bellis per aliquot ſecula continuatis, extorſerant Pontifices, id nunc ſui lucri causâ Galliæ Regibus permiſerunt.

6. Idem Leo volvebat conſilia belli adverſus Turcas, eâque gratiâ, vel potius, ut anhelantem pecuniæ inopiam ex immenſo luxu ſublevaret, Indulgentias per orbem Chriſtianum publicaverat. Quas tam ſpecioſo colore prætextas ipſe nuntiique ejus deformi ratione populis venditabant. Sed partem redituum ex indulgentiis Germaniæ ſorori ſuæ *Magdalenæ* donaverat, quæ exigendis illis præpoſuerat *Arramboldum* epiſcopum, adeo turpi miniſterio, ut ait Guichardinus, digniſſimum. Univerſi autem inſtituti per Germaniam Præfectura pertinebat ad *Albertum* Moguntinum Archiepiſcopum. Tanta autem harum exactionum fuit infamia, ut Imperator Maximilianus *Johannem Teccelium* ex impudentiſſimis nundinatoribus unum celebrem OEniponte ſacco incluſum & Oeno flumine merſum ſuffocare voluerit, niſi *Fridericus* Elector

Saxo-

Saxoniæ, tunc OEniponte agens, illum exoraſſet, ut auctor mihi eſt Johannes Petitus *tom.* 1. *Hiſtor. ad ann.* 1517.

7. Acceſſit aliud, ut Deus è parvis & ſæpe non optimis occaſionibus lucem educere novit, uti, cum Indulgentiarum prædicatio, ſecundum partitionem inter ordines mendicantium factam, ad Auguſtinianos pertineret, *Albertus* eam Jacobinis permiſerit. Quod cum illos male haberet, uſu venit, ut *Martinus* Lotter patrio cognomine dictus, vel *Luther*, ut deinde ſcripſit, quod *Purum* ſignificat, Islebienſis è Comitatu Manſfeldiæ monachus Auguſtinianus Vitebergæ, excitati Vir ingenii & vehementis facundiæ, vel iſta æmulatione productus, vel rei indignitate commotus, nundinationi Indulgentiarum ſe opponeret, voce ſcriptoque, theſibus in novâ Vitebergenſi Academiâ propoſitis. Cui ſe Tecelius aliique magnâ cóntentione opponentes & merita cauſæ, quibus Indulgentias Pontificii ſuffulciunt, excutientes, neceſſario ad varia fidei & Theologiæ capita diſputando delapſi ſunt: In quibus dum *Lutherus* pro ſua hypotheſi verſatus, multa ſecus atque vulgus Pontificiorum ſolet, explicaret, voluit Deus, ut ipſe quidem, cui nihil minus ab initio quam ut à Papa deficeret, propoſitum erat, totum iniquitatis myſterium detegeret, Adverſarii verò illum pervulgatâ Papalium viâ minaciter & contumelioſe tractarent. Quibus ille magis exacerbatus rem eo deduxit, quo breviſſimo temporis ſpatio eam orbis terrarum miratus

ratus fuit eſſe provectam. Quominus eum incontinenti opprimerent, ut Leo Pontifex omneſque Clerici operam dabant, impedimento fuit *Fridericus Saxo* Elector, Princeps cum ſui loci, tum morum & ſapientiæ causâ magnæ apud Germanos auctoritatis, cui etiam cum *Alberto* Moguntino erat ſimultas, & cui luxus atque ſuperbia clericorum, imprimis etiam hæc auri argentique è populis ſuis impudentiſſima exactio, pridem graves fuerant. De *Luthero* etiam ejuſque doctrinâ, ut ſummo ſtatim omnium ordinum applauſu excepta fuerat, bene exiſtimabat. Præſumendum eſt aliquid de hoc inſtituto, quod ad ſequentia uſum habere queat præparatorium.

8. Ingenio Lutherus, ac eruditione, pro illis temporibus, fuit luculentâ, liberiore & affectuum impotente naturâ. A quibus characteribus ſi quid ejus reformationi ſimile impreſſum videatur, non eſt mirandum. Nam in *doctrina* ſacrarum rerum & linguarum Reformatores exinde primas tenuerunt, ejuſque præſidio veritates Dei mirificè excoluerunt & quod dicere fas ſit, magis magiſque colunt & perficiunt. *Libertatis* ſtudium in omnibus fuit eximium & quaſi fundamentum Reformationis; tam Euangelicæ, quâ fideles cærimoniarum & ſuperſtitionum jugo exempti, *paucioribus praeceptis cœlum*, ut nonnemo dixit, *ſperare juberentur*, quam politicæ, maxime Eccleſiaſticæ, Hierarchiâ Papali convulſa. Cujus rei ſtudium etiam fuit effuſius his, qui deinde Reformati excellenter dici voluerunt;

Ea-

Eadem libertas & hierarchiæ abolitio fecit, ut operam dederint, quo diſcrepantia novæ Profeſſionis à Pontificiâ quam latiſſime in externis etiam ſe extenderet, ne populi, in quos externa valent, facilius ad Papatum relaberentur. Unde etiam monaſteria, quorum uſus primævo inſtituto fuit ſaluberrimus, disjicere quam reformare maluerunt; quo & Principes, qui bona illorum immenſa occupavere, ſibi in præſens perceptione, in futurum reddendi metu habeberent addictos.

9. Nec defuere, qui ſtupendam Euangelii προκοπὴν & cladem regni beſtialis videntes, hoc eſſe tempus credidere, quo Chriſtus in terris, abolito impiorum dominatu, verbo & ſpiritu regnaturus, nec opum aut potentiæ terrenæ indigus eſſet futurus; errore, qui funeſtos habuit effectus. Denique, motus & impotentia affectuum in Luthero & plerìſque Reformantium principibus viris, non minus contra ſe invicem quam adverſus Pontificios, cum reliqua licentia in vulgus diffuſa, palam fecit, *abnegationem & devotionem ſui in Chriſto*, quæ eſt omnis veræ ſanctitatis principium, non eſſe res, in quibus Reformatio præcelluerit. Etſi verum eſt, Deum illâ impotentiâ uſum eſſe, ut Reformatio, quæ aliàs in mollioribus oppreſſa fuerat, infractâ *Lutheri* vehementiâ perruperit & conſtiterit; quando ſine abrupto ſchiſmate doctrina veritatum, illuc, quo Dei gloriæ intererat ut perveniret, minime perducta fuiſſet;

verum

verum ſyncretiſmus, quem alii moderatiores certis legibus urgebant, ſynchyſis & mera fuiſſet confuſio, fuitque & erit ubicunque inſtituetur, proximus ad Papatum gradus.

10. Sed iisdem cauſis uſu venit, ut, *dum Spiritus Dei purâ verbi prædicatione pias & parvas occupat animas*, corpus novorum Confeſſorum, ſuperſtitione detersâ, in alia vitia & incommoda inciderit. Nam primo libertas, ingeniis ſemel emantipatis nec ullo qui coerceret, peperit aluitque ſectas infinitas & licentiam morum deformem, abolitis, quæ corporum vexationem adferrent, inſtitutis, quæ ad luxum & carnis πλησμονὴν pertinebant, haud æquè; adeò ut ſuperſtitionum abolitio veræ pietati ſalubris, in vulgo reformatorum, cui non hæſit ſemen Dei, ipſam quoque *devotionis* ſpeciem, à Pontificiis ſollicite elaboratam, deleverit. Huc accedit, quod opibus Eccleſiarum occupatis, nihil Eccleſiaſticis quam paupertas & vis nudæ veritatis, cum gladio verbi & ſimplicitate religionis, ſine ulla auctoritate vel ſplendore foris ſe exerente relictum ſit. Quæ ſimplicitas ut vi ſanctitatis & Spiritus ſola ſuſtineri poterât, ita his deſtituta deſiit in contemptum ſacri ordinis, cui pauci dignitate opibusque præcipui ſe dedere ſolent. Unde Politicorum in Eccleſiam ejuſque diſciplinam dominatio, quæ nonniſi factione potenti, qualem habet Papatus, vel conſtantiâ Ordinis numeroſi, non modò liquida veritate & pietate ſed & aliquâ dignitate ſuffulta, refutari poteſt.

11. Ex

11. Ex quibus aliiſque rebus forte aliquis non temere colligat, hujus temporis *Reformationem*, quæ multitudinem nihilo fecit ſanctiorem, melioris ſecuturæ eſſe præparationem, quâ defæcatis in anteceſſum veritatibus ſacris, vis major Spiritus Sancti animos rectè inſtitutos ſubeat ac impleat, quod Θεοπρεπὲς, & eorum qui tale quid ex vaticiniis Prophetarum demonſtrare gaudent, expectationi conſentaneum eſt; ad quam ſpem pertinet etiam novi orbis & Indiarum detectio, quibus de communicato Euangelio, quomodo adhuc eſt, nihil magnopere gratulari licet. Neque tamen pro magnitudine rei inexpectatâ majus aliquid auro & aromatibus inde expectare non licet.

12. Cæterum, eodem tempore, quo Lutherus in Saxonia res novavit, Ulricus *Swinglius* in Helvetiâ Papatus errores demonſtrare purumque Euangelium prædicare cœpit, cum quâdam à Luthero diſcrepantiâ. Unde brevi diſcordia inter ipſos Reformantes, quæ non parumper hoc inſtitutum turbavit & dehoneſtavit.

M S E.

SECTIO IV.

De temporibus Caroli V. Ab anno 1519. *ad annum* 1558.

CAP. I.

De rebus Germaniæ uſque ad bellum Religionis.

CÆſaream dignitatem poſt mortem Maximiliani I. duo imprimis ambiebant Candidati, *Franciſcus* Galliarum & *Carolus* Hiſpaniarum Rex & Princeps Belgarum, ſatis modeſta in ſpeciem æmulatione. Sed Carolus obtinuit, cum, quod Germanicæ ſtirpis & nationis eſſet, tum quod ejus potentia diffuſa & longinqua Germanorum libertati, minus quam Gallica, nocere poterat; Quâ electione ſublata eſt æqualitas virium & dignitatis inter Carolum & Franciſcum, nec ab eo tempore ceſſavit hic armis & fœderibus interpellare progreſſum Auſtriacæ domus.

2. Carolus ex Hiſpania venit in Germaniam & Aquisgrani inauguratus eſt anno 1520. Etſi enim peſtis in ea civitate hoc ipſo tempore vigebat, alibi tamen hac ceremonia ob memoriam & æmulationem *Caroli* Magni, cujus ibi fuit aula, ſedes olim & ſepulchrum, aureæque Bullæ religionem defungi noluit: Etſi nullus ſequentium Cæſarum illud vetuſtatis inſtitutum tanti fecit, ut Aquisgranum ideo digrediendum putave-

taverit. Prima tamen Comitia *Coloniam* indicta mox *Wormatiam* tranſlata ſunt. Ad quæ, commeatu accepto, venit etiam *Lutherus*, cujus ſententias multi Ordines Imperii jam pridem amplexi erant; non deterritus exemplo *Huſſi*, Conſtantiæ, ſalvo licet *conductu* Sigiſmundi Imperatoris accepto, combuſti, ut antea dictum. Sed haud quaquam neſciebat Lutherus, eſſe Wormatiæ, qui curare poſſent & vellent, ne more Huſſitico tractaretur. Ideo, ſeſe iturum teſtatus, etſi tot Diaboli eſſent Wormatiæ, quot tegulæ in tectis, ſtetit pervicax recti, comitante illum *Philippo Melanchtone*, tanquam Atén Lite, ut *Eraſmus* jocabatur; quod ille ferox & aſper, hic modeſtus & manſuetus eſſet.

3. Dimiſſus igitur Lutherus quidem, ſed pariter proſcriptus eſt à Cæſare. Cujus auctoritati ne *Fridericus* Elector nimis aperte refragaretur, per homines certos Lutherum ex itinere abripi & per aliquot menſes occultari juſſit in arce Alſtadienſi. Sed Martinus quietis impatiens, cum inſuper intellexiſſet, *Caroloſtadium* Witebergæ Reformationis negotium ultra terminos ab ipſo adhuc ſervatos provehere & ab ejus doctrinâ recedere, prævertendum ratus, non conſulto Electore, Witebergam properavit, Caroloſtadium ejecit ſuoque arbitratu res conſtituit; adeò non fractus animo, ut, cum ſcripta quædam ſua Romæ combuſta intellexiſſet, ipſe totum Jus Canonicum, Pontificum opus, pyra in foro Witembergæ ſtructa ac incenſa, flammis abſumpſerit.

 4. In

4. In his Comitiis Wormatienſibus apparuit diviſio Germaniæ in duas exitiales factiones, Catholicorum & Lutheranorum, qui mox in fœdera ſeceſſerunt, quibus antiquiſſima Germaniæ pax ita ſubruta fuit, ut bona quidem fide nunquam, niſi mutuo vel majore metu externo, conſopiri potuerit. Virium æqualitate factum, ut illa diviſio tardius in flammam eruperit, habitis antea magno numero Comitiis & Colloquiis, inrito quidem, ut ſemper uſu venit in religionum diſcrepantia, ſucceſſu; ſed dum inter Carolum & Franciſcum armis alibi certabatur, nihil potius erat, quod ageretur.

5. Interim Imperio in cauſa Religionis ſemel excuſſo, mentes hominum in diverſa & prava abierunt. Anno 1525 magnus per Germaniam motus ruſticæ plebis adverſus Principes extitit, auctore *Thomâ Muntzero*, hoc prætextu, quod libertas Euangelica non ferret dominationes, ut facile centum millia ruſticorum & amplius eo bello perierint. In urbibus, quò malum ſerpebat, ut Francofurti, Moguntiæ, Coloniæ, facilius eſt cohibitum. Tardius at funeſtius penetravit ille ſacer furor in Weſtphaliam, ubi anno 1534. regni Anabaptiſtici ſcena comico apparatu tragico exitu, in urbe Monaſterio tranſacta eſt, notiori & longiore hiſtoriâ, quam ut heic referenda fuerit.

6. Præludia belli inter Ordines Imperii fuerunt anno 1528, quo Saxoniæ Elector & Haſſiæ Landgravius, exercitum adverſus Catholicos fœdera-

deratos illis impares eduxerunt; Cumque Cæſar aliis bellis occupatus iis ſuccurrere non poſſet, Elector Moguntinus, Herbipolenſis & Bambergenſis epiſcopi, collatâ pecuniâ, quietem redemerunt. Anno ſequenti, pax Religionis in Comitiis Spirenſibus inter Ordines Imperii conſtituta eſt, uſque ad concilium œcumenicum; eamque Ferdinandus Caroli Cæſaris frater, ut auxilia contra Turcas, qui *hoc ipſo anno menſe Septembri* Viennam, fruſtra tamen, obſederunt, impetraret, compoſuerat.

7. Anno 1530. feſto Matthiæ, ſuo natali, Carolus, à Clemente Papa VII. magnâ cum pompa Bononiæ loco Romæ, inauguratus eſt, duplici coronâ, ferreâ pro regno Lombardico, & aureâ pro Imperio Romano; Tertiam, quæ eſt argentea, Germanici regni, pridem Aquisgrani acceperat. Enimvero ſequentes Cæſares hos ritus & triplicis inania coronæ ſpreverunt, Inauguratione contenti Germanica, quæ ſola vim & efficaciam habet. Eodem anno Carolus Auguſtæ Comitia celebravit, in quibus Lutheranorum fidei Confeſſio exhibita & prælecta eſt, Unde nomen *Auguſtanæ Confeſſionis*; ſed de concordiâ nihil effectum.

8. Idcirco Saxones, Haſſi & reliqui *Proteſtantes* (ita jam vocabantur qui à Papâ deſciverant) fœdus *Smalcaldiæ*, pro communi defenſione, cui paulatim plures, etiam Swingliani acceſſere, contraxerunt: qui tamen ſuis proteſtationibus efficere non potuerunt, quominus *Ferdinan-*

dinandus Archidux *Caroli* Cæſaris frater, Rex Romanorum eligeretur, ut declaratus eſt Coloniæ, initio anni 1531. Viſum enim eſt Carolo, domus ſuæ magnitudinem in duo partiri corpora; quod nimis longe diſtantia membra ſpiritus unius regimine contineri non poſſent. Idque bene conſultum durat in poſteritatem.

9. Sequens annus novâ in Hungariam expeditione *Solimanni* & ingenti Germaniæ motu, quæ nonaginta peditum, triginta equitum millia, Cæſare Duce, miſit in auxilium; memorabilis fuit, de quo in Hungaricis agemus.

10. Anno 1534. fuit bellum Wirtembergicum; *Ferdinandus* enim Ulrico veteri duce pulſo, ex auctoritate Cæſaris Wirtembergicam ditionem occupaverat. Sed Philippus Haſſiæ Lantgravius, Gallico fœdere fretus, Ferdinandum prælio victum, omnia reſtituere & Religionis concedere libertatem coëgit. Gallus admoto verſus Imperii limites exercitu, majores expectaverat motus, Sed Germani ſuos fines adſecuti conquieverunt, quod ille boni conſulere voluit & debuit. Sequentes aliquot anni pace vel bellis alibi geſtis transacti ſunt, in Germania Proteſtantes quietem & incrementa habuere: quo pertinuit *Georgii* Saxoniæ & Miſniæ Ducis, acerrimi Lutheranorum adverſarii mors; Cui ſucceſſit *Henricus* frater jam pridem Auguſtanæ Confeſſioni addictus. Item anno 1532. clades *Henrici Brunſvicenſis* Proteſtantibus adhuc infeſtioris, inclaruit; quem, Luthero adverſus eum canente claſſicum, *Phi-*

lippus

lippus Haſſus victum in poteſtatem redegit anno 1545. tenuitque dum mox inverſa partium fortunâ, reſtitutus eſt.

11. Quin etiam ſpes fuit, Archiepiſcopatum Colonienſem reformandi, quod inſtitutum *Hermannus* Elector, vocatis ad hanc operam Bucero & Melanchtone, ſyncero quidem ſtudio preſſit; etiam *Fridericus* Elector Palatinus, qui Cæſaris ex ſorore filiam *Chriſterno* Daniæ Rege natam uxorem habebat; ſed quominus apud Colonienſes plane, in Palatinatu tum temporis ea res ſucceſſum haberet, fecit mutata rerum facies clade Smalcaldicorum, de qua in *cap. ſequent.* Quam anteceſſit Martini *Lutheri* de ſtatu ſanitatis unâ nocte ex hac vitâ diſceſſus, Iſlebiæ in patriâ ſuâ, cum mentis bene compos, doctrinæ ſuæ fiduciâ, Papatus odio & ſpe ſalutis erectus idemque ſemper animi, præſentes conſolatus eſſet, anno ætatis 63. Chriſti 1546. Filios aliquos reliquit, ſed nauci homines.

CAP. II.

De bello Smalcaldico & quæ conſequuta ſunt.

C*Arolus* Cæſar cum religionis causâ, tum quod auctoritati ſuæ plerumque adverſabantur, oderat Proteſtantes; ſed antehac bello Turcico, Africano, Gallico, Anglico, Italico, Gelrico, aliiſque, de quibus adhuc agemus, implicitus vi cum illis agere non potuerat. Donec hoc anno 1546. rebus alibi compoſitis, Gallo

etiam ſpe Mediolanenſis Ducatus lactato, bellum illis facere conſtituit; quod cum Proteſtantes non lateret, hi illum prævenire conati ſunt, Cluſa & Fieſsâ in anguſtiis Alpium per *Schertelium* ducem, pro impediendis ex Italia & Hiſpania auxiliis, occupatis.

2. Cæſar adhuc imparatus erat Ratisponæ; Quò ſi Schertelius ſe contuliſſet, aut ſi Elector Saxo (is jam pridem erat *Johannes Fridericus*, Friderici filius) & Philippus Haſſiæ Lantgravius cum reliquis fœderatis, habentes 80 peditum & x equitum millia, cum 130 bombardis, Cæſarem ſine mora, ut poterant, invaſiſſent, tum quidem è Germania certo & facilè pulſus fuiſſet.

3. Nec ſatis inſtitere Saxo & Lantgravius reliquorum facilè principes, cum apud *Ingolſtadium* ſua caſtra Cæſareanis nondum omnibus in unum coactis, admoviſſent, ne quidem ſatis inter ſe conſpirantes, quod eſt inevitabile fœderatarum partium incommodum. Qua mora commiſſa, dein facultas defuit & res Smalcaldicæ retro ceſſerunt. Nam & Cæſar eos facile ſuſtinuit & Saxoni aliud transverſarium accidit. Quippe Mauritius Henrici Patris in Miſnia ſucceſſor, Electoris agnatus & Lantgravii gener, ipſe Lutheranus, ſed ambitioſus & acer in armis ſecreto fœdere Cæſari junctus, exercitu collecto, Electoris ditiones invaſit; agros populatus, occupans urbes, tanta vi, ut Elector ad ſua tutanda regredi coactus fuerit; accedente Ferdinando cum exercitu

è Bo-

è Bohæmiâ, reliquis æque dilabentibus. Quo tempore Lantgravius *Philippus* de ratione belli à ſociis conſultus, *optimum factu eſſe* dixit, *ut quæque vulpecula ſuam caudam tueretur*, certo deſperatæ cauſæ argumento.

4. Cæſar enim, inſtante licet hyeme anni, nihil cunctatus pleraſque civitates Sveviæ, Franconiæ ipſaſque Argentinam, Francofurtum & Noribergam in fidem & deditionem accepit; *Hermannum* Electorem Colonienſem, una cum Pontifice operâ, Archiepiſcopatu & Electoratu ſpoliat, *Adolpho* Schauvenburgico in utrumque ſubſtituto. Interea cum Saxo Elector Mauritio & Ferdinando gravis eſſet in Miſnia & Bohæmiâ, Cæſar primo Bohemica reſtituit, feſto Paſchatis *Ægræ* celebrato; exinde in Saxoniam movit, cui Saxo Elector viribus impar cedendum ratus, ad urbes ſuas munitas Gotham & Witebergam, ut bellum duceret, properabat. Albis erat medius inter ipſum & Cæſarem, nec credens hunc tam cito trajici poſſe, dabat operam concioni ſacræ, die dominico. Nec ipſi duces Cæſaris eâ die trajiciendum putabant, moram & prudentiam laudantes. Sed Carolus ſibi ipſe auctor, vado ab accolâ ruſtico monſtrato, denique, prout quiſque potuit, trajectum commiſit, & Saxones, qui re intellecta ſe recipiebant, adſecutus, eos facile fudit ipſumque *Johannem Fridericum* Electorem vivum cepit. Cum adductus ad eum eſſet captivus, & ſic inciperet fari; *Clementiſſime Cæſar*, Ille; *Nunc ergo*

tibi Cæſar ſum? inquit. Eo quod Saxo & Lantgravius immodica ſubtilitate vel arrogantia, dum bellum adverſus eum gererent, Cæſaris nomen ei tribuere noluerant, ſed inſolenter *Carolum* de Gandavo dixerant. Acta res eſt apud Mulbergam a. d. 8. *Kall. Maj.* 1547.

5. Saxo deinde brevi, à Cæſare lata ſententia, capitis eſt damnatus, ad terrorem ſcilicet & feſtinandam urbium, quas bene munitas & cuſtoditas tenebat, deditionem, quæ & veniam mortis datam conſequuta eſt, his inter alias legibus adjectis, ut *amitteret Electoratum & juxta urbes omne belli traderet inſtrumentum & apparatum*; atque ut in cuſtodia, Cæſaris arbitratu, maneret. Saxonem duro neceſſitatis telo ſubactum, ſcilicet, ſequutus eſt *Philippus* Haſſus, qui victori ſupplex factus eſt *Halæ*, ſeque præſcriptis à Cæſare conditionibus ſubmiſit, ſalvâ libertate, quam ſibi promiſſam, ſcripto quoque expreſſam fuiſſe, Mauritius Philippi gener aliique pararii adfirmabant. At cum Cæſari à Granvellano perſuaſum eſſet, ei minimè tutum fore, Principem animoſum & Proteſtantium Heroëm dictum relinquere in libertate ſervandi vel turbandi pacem, promiſſionem ille ſuam eludens, ſe non omnem ſed perpetuam remiſiſſe cuſtodiam; pro verbis ohne einige gefenknüſſe / ſcriptum vel ſcribendum fuiſſe ohne ewige &c. cavillatus eſt.

6. Poſthæc Comitiis à Carolo celebratis Auguſtæ, omnia victoris arbitratu, nemine contradicere auſo, ſequuta ſunt, Et plerique præſcri-

ſcriptum Religionis, quod *Interim* nominatum eſt, acceperunt, etſi fuerint qui recuſarent; ipſe vel maxime *Johannes Fridericus*: qui in iiſdem Comitiis Electoratum ſolenniter in Mauritium è cuſtodia ſua transferri vidit. Cum enim in theatro ad eam rem in foro Auguſtæ conſtructo Cæſar Electorali dignitate Mauritium inveſtiret, turbæ & equorum ſtrepitu commotus Ex-Elector, intentus lectioni ſacræ; cum pauliſper quod agebatur, ſpectaſſet; pauca prolocutus de exſultatione inimicorum ſuorum, ad Biblia ſua rediit, Vir gravitatis inconcuſſæ.

7. Si exercitum *Carolus* in terris Imperii, more Romano, perpetuum alere potuiſſet, forte jugum Germaniæ impoſitum manſiſſet. At hoc in facultate non habebat, quia pecuniæ pro magnitudine rerum ſuarum inopia ſemper laboravit, nec Germania uno prælio ita ſubacta erat, ut jam extrema linea ſerviret. Proinde, res ejus auctoritate magis victoriæ quàm potentia nitebantur, fundamento minus ſolido, quam ut ſeveritatem, qua invitis amicis inimiciſque in Johannem Fridericum & Philippum Haſſum utebatur, ſuſtinere poſſet. Accedebat odium Hiſpanici faſtus, qui nimis aperte Germanos contemnebant & Mauritii ingenium, Qui oppreſſor Patriæ & religionis ſuæ tantiſper dum Electoratu potiretur, audire non detrectaverat; Eum à Cæſare conſequutus Germaniæ liberatoris acquirere laudem in animum induxit & acquiſivit, hac via.

8. Mag-

8. Magdeburgenſem civitatem juſſu Cæſaris & Ordinum, imperia detrectantem, obſederat atque ad deditionem coëgerat. Cum autem copias inde deductas adhuc ad manum haberet, inito clam fœdere cum Rege Galliæ, vires ſuas cum vetere belli ſocio *Alberto* Brandenburgico & *Wilhelmo* Lantgravii filio, prætextu illum liberandi conjungit *menſe Martio* 1552. Progrediuntur & occupant omnia, cum in armis eſſet nemo, Auguſtam uſque veniunt, occupant, mox Ulmam vi cogunt; hæc Aprili menſe tranſacta.

9. Ab altera parte Galliæ Rex *Henricus* II. per Lotharingiam Germaniæ appropinquans, correcturus errorem Patris, qui Carolum Cæſarem paſſus erat opprimere Germanos, ipſe liberatoris Germaniæ titulum præ ſe ferens, librum præmittebat, in fronte præferentem ſignum pilei inter duos pugiones. Hoc prætextu tres liberas Imperii Civitates, *Metin*, *Tulum & Virodunum* à corpore ſuo abſtraxit ſibique in perpetuum mancipavit, & cum intellexiſſet, Mauritium agere de pace cum Ferdinando, qua Lantgravius liberaretur, Gallus ſuam mercedem auferens rediit ad ſua: poſtquam Argentoratenſes eadem ratione fruſtra tentaverat; cordatioribus tunc illis, quam illorum poſteri memoria noſtra fuerunt.

10. Sed Mauritius cum ſuis ſpe pacis non retardatus, Majo menſe petit Alpes, ubi Cæſar copias colligebat: feliciter cum Cæſareanis pugnat,

gnat, *Ereberg*[*u*]*m* in ipſis Alpibus occupat, Cæſaremque ita percellit, ut nocturno itinere magna cum trepidatione, deformi ſefuga in Italiam proripuerit, dimiſſo *Johanne Friderico*, qui tamen eum liber adhuc ſequebatur 17 *Maji*. Eodem impetu Concilii Tridentini Patres diſſipati ſunt. Verum poſthac inter Ferdinandum & Mauritium menſe Junio pacis cauſa conventus acti ſunt Paſſavii, ubi præter Lantgravii liberationem pax Imperii & Religionis ſtabilitur *menſe Junio*, quæ tamen nonniſi ante *d. prid. Kal. Aug*[*u*]*ſti* in caſtris ad Francofurtum ſancita; poſtmodum Legis atque Receſſus Imperii formam accepit.

11. Carolus Cæſar exercitu ingente collecto cum Germaniæ quidem Principibus amneſtiam conſtituit, adverſus Gallos adulto jam autumno profectus Metin recuperandam putavit eamque ſumma vi oppugnavit, ſed defendente fortiter *Guiſio* duce & hyeme ſæva, ſub exitum anni in Belgicam re infecta ſe recipere coactus eſt; fortuna ſenectutem ejus, ut videtur, deſtituente.

12. Sed *Albertus* Brandenburgicus Mauritio belli ſocius & amicitiæ vetus Paſſavienſem improbans tranſactionem, in bello continuabat, primo adverſus Moguntinum urbe capta, templis ſpoliatis. Idem Spiræ inſtituit, Inde Treviros occupat & ſpoliat, Luxemburgenſem agrum & Lotharingiam populatur, nemine adverſante, Gallo etiam fœderato; Sed cum hoc de ſtipendiis diſputans, interventu quorundam cum Cæſare, dum

dum is Metim obſidet, reconciliatus eſt ab eoque ſtipendia adeptus, cum impunitate præteritorum, bene contra Gallos pugnavit ad *Pontamuſſonum*. Inde reverſus in Germaniam, non potuit abſtinere populationibus & extorſionibus, imprimis adverſus Eccleſiaſticos, quibus mire infenſus erat, nominatim Bambergenſi epiſcopo nolenti pactis ſtare; quæ *Albertus* à Cæſare confirmata diceret: Adeo ut Camerale Judicium tanquam violatæ pacis publicæ reo bellum fieri imperaverit. Cujus præfecturam *Mauritius*, qui Albertum ſibi quoque iniquum ſciebat, ſuſcepit, eique bellum indixit; dum interim is Bambergam & Swinfurtum capit belloque Franconicam nobilitatem vexat. Indictione autem à Mauritio accepta, tranſiit in Saxoniam, Halberſtadium occupat, Erphordienſem & Brunsvicenſem agrum Mauritii amicorum vaſtat; donec Mauritius illi occurrens acerrimo prælio victoriâ potitur, ſed pretio ſanguinis ſui, tormento manuali trajectus ad ilia, biduo poſtea mortuus, in flore ætatis & rerum ſuarum. Auguſtus frater ei ſucceſſit menſe Julio 1559. Annam ejus filiam duxit deinceps *Wilhelmus* Arauſionenſis; unde natus ille *Mauritius Naſſovius*, avo nihilo minor. Albertus ab hac clade reſurgere non potuit in veterem ſui terrorem.

13. Sed Carolus Imperator annum agens eundem qui currebat ſeculi, tædio rerum & quietis amore, *Bruxellis* in celebri Conſeſſu regna ditioneſque ſuas hereditarias in Philippum filium

præ-

præſentem tranſtulit anno 1556. ſed Imperium nonniſi biennio poſtea in Ferdinandum fratrem, Rom. Regem, cui interim, ut filio quoque cederet, perſuadere conatum eſſe multi ſcribunt; mihi veroſimile non videtur, cum nec Carolum ſuæ prioris ſententiæ ſolidiſſimæ pœnituiſſe crediderim, nec ejusmodi tranſlatio in Imperio Electivo facultatem haberet, Electio autem nova, res minime illius temporis eſſet. Brevi poſt Imperii abdicationem *Carolus* in ſeceſſu Hiſpanienſi, fato functus eſt. Auguſta dignitas à tempore *Caroli Magni* parem magnitudine animi, virtutis, fortunæ ditionumque non habuerat Imperatorem. Unum illi per omne tempus Imperii defuit, Pecuniæ vis, cujus eliciendæ à populo rationes Auſtriaci minus calluerunt. Novi orbis fructus nondum erant maturi, & ſparſis toto orbe ditionibus, ſingularum reditus domeſticis uſibus atterebantur. Eo majorem verò Carolus Cæſar admirationem meretur, quod nervo belli deſtitutus bella tamen pleraque feliciſſimè geſſerit. Omnino *Magni* cognomen ei conveniebat præ aliis multis, quibus adſcribitur; ſed hoc præreptum erât à Carolo Pipini; nec tamen aliter uſu venit, quam ut *Caroli Quinti* auditum nomen nihilo minus impleat aures hominum, quàm ſi *Magnus* diceretur.

CAP.

CAP. III.

De regnis Daniæ & Suetiæ.

CHriſtiernus Daniæ Rex, in Svetia, poſt multas belli commiſſiones, eò rem tandem initio hujus intervalli adduxit, ut, conventione cum Ordinibus facta, cujus princeps articulus erat *amneſtia* univerſalis præteritorum, Rex etiam à Svecis reciperetur. Sed expertus inconſtantiam gentis & odium adverſus Danos, Imperium amore duraturum non ſperabat, & animum vindictæ cupidum in eos, qui tot tantaſque ſibi & Patri ſuo moleſtias creaverant, explere cupiebat. Ex aſperis remediis nullum potius, quam ut Proceres omnes è medio tolleret, eſſe autumabat, ingenio ad triſtiora factus & Nobilitati infeſtus, apud plebem ambitioſus, donec hujus quoque gratiam immanitate facinorum amiſit.

2. Cum igitur ad actum Inaugurationis omnis confluxiſſet Nobilitas, freta pactis & religione feſti, primo quidem triduo Rex illos abundantibus epulis omnique humanitate excepit. Tum mutatâ ſubito ſcena, ingentem numerum dedit in cuſtodiam, quaſi ad accuſationem Archiepiſcopi *Trollii*, cui Chriſtierni partes tuenti vis & damna pridem illata fuerant, adjectâ calumnia, quod Regi inſidiæ per ſuffuſum pulverem pyrium paratæ forent; Denique præcipuos è captivis *nonaginta quatuor* in foro Stokhol-

holmiæ capite truncavit, cadaveribus ante Regiam projectis & ſanguine per vicos profluente, aliaque plura crudelitatis efferatæ ſpecimina dedit, quibus patratis & relictis paſſim præſidiis, ſe in Daniam ſuam recepit, anno 1520.

3. Ingemuit pauliſper jugo tyrannidis oppreſſa magis quam ſubacta plebs, orba ducibus & vindicem libertatis expectans; qui extitit brevi, *Guſtavus Ericzonius*, cujus pater inter victimas Holmienſes fuerat, & ipſe aliquandiu mutatis ſæpe latebris, exitium evitaverat, Dalecarnienſes primò ad defectionem excitavit, dein Helſingiam, pluresque ſenſim provincias. Chriſtiernus, haud ſatis animi habens, ut perfectè malus eſſet, quo nihil difficilius, oſtendit, crudelitatem & vecordiam eſſe res adfines. Cum enim modicas ſuas copias è Daniâ in Svetiam auxilio ſubmiſſas *Guſtavus* aliquoties profligaſſet, reſque flagitaret, ut ipſe in armis adeſſet, Vir contra Viros, iram vertit in matronas Procerum Svecorum, quas habebat in cuſtodiâ, cogens ipſas conſuere ſaccos, in quibus demerſæ ſuffocarentur & demerſit, intercedente fruſtra uxore *Elizabethe* Auſtriacâ. Reliquos etiam Nobiles, ubicunque eos in poteſtatem redigere poſſet, interfici, jugulari juſſit, ut carnificinam potius quam bellum rebellioni opponeret; Dum *Ericzonius* ab Ordinibus Suetiæ electus Gubernator, notabiles progreſſus faciebat; etſi loca munita neceſſariarum inopia rerum tardius in poteſtatem redigebat.

4. Sed Dani interim perſpectâ Regis ſui immaN

 ma-

manitate ſpretâque jus ſuum non vindicantis vecordiâ, denique proſperis in Svetia defectorum initiis animati, exemplum illorum imitari inſtituerunt. Primus *Guthorum* ſive Jutlandiæ Prætor *Magnus Munchius*, re cum ſuis communicata, apud Chriſtiernum epulatus, chirothecam, cui libellum nomine Guthorum Regi obſequium renuntiantium inſeruerat, ſimulatâ negligentiâ reliquit; éque continenti *Fridericus* Holſatiæ dux Chriſtierni Patruus ab illis in Regem electus eſt. Quod tantum in omni Daniâ motum animorum fecit, ut quanquam valido præſidio Hafniam aliaque loca teneret, conſcientiâ vecors ſeipſe rex prius quam populus deſtituerit, cum uxore, liberiſque in naves ſe conjecerit; appulitque in Zeelandiam, Cæſarem adfinem auxilium, quod à ſe ipſe projecerat, rogaturus. Ad hanc revolutionem multum contulere momenti Lubecenſes, mari tunc illo præpotentes, qui & Guſtavo Sveco commeatus bellicos ſubvehebant & Danis auctores adjutoreſque ſe præbuerunt. *Hæc anno* 1523.

4. Chriſtiernus complures annos per Belgicam & Germaniam commodum Cæſaris, quod nunquam apparuit, expectans erravit. Parvi conatus quidam è Belgio interim evanuerunt, deficiente populari gratiâ, magis quam factione Procerum, imprimis epiſcoporum, qui reditu ejus præcluſo, actum de religione videbant; quanquam & *Chriſtiernus* Lutheraniſmum oſtentabat ut reliquos placaret; epiſcopis interim de Catho-

tho-

tholiciſmo adſeverans. Sed cum hac viâ nihil proficeret, tandem arma denuo experiri ſtatuit, impetratis à Cæſare de Belgica ſeptem, ut alii, x millibus militum, cum navibus & apparatu neceſſario. Sed claſſe tempeſtatibus diſpersâ, ipſe in Norwegiam delatus primo impetu non ſpernendos faciebat progreſſus: donec à *Canuto Guldenſtirnio* cum claſſe copiiſque Danicis illuc miſſo in arctum redactus & apud Anſlöam obſeſſus eſt. Ubi exitum non videns pactus libertatem, *ſi cum Friderico ei non conveniret*, deditionem fecit; Sponſionem à Guldenſtirnio factam cum *Fridericus* ſervandam non putaret, eum carceri in arce Sunderburgi in Holſatiâ, incluſit; eodem tempore, quo filius ejus Johannes in comitatu Caroli Cæſaris avunculi ſui Ratisponæ ex hac vitâ deceſſit anno 1532. Filias reliquit duas Chriſtiernus, *Dorotheam*, quæ Friderico nupſit Electori Palatino, & *Chriſtinam*, uxorem primo Franciſci Mediolanenſium, & dein Franciſci Lotharingiæ Ducis. Ipſe totos 27 annos in carcere Sunderburgenſi exegit.

6. Redeamus ad Danos & Svecos. Hi cognitâ *Chriſtierni* fugâ *Guſtavum* ſuum Regem creaverunt, qui cum *Friderico* omni Daniâ potito, in id facile conſenſit, ut fœdus adverſus communem inimicum *Chriſtiernum* ferirent, & dum metus ab illo duraret, ſibi mutuo auxiliarentur. Utrobique permiſerunt, ut doctrina Lutheri paſſim prædicaretur, etſi in Svecia celerius prævaluit, Guſtavo Rege Clericis offenſo & illorum

onibus in novo regno indigente, quæ res tamen plurimum dedit moleſtiæ & turbarum, antequam tenaciſſimum illud corpus Eccleſiaſticorum diſſolvi & exui potuit: Nec enim uno impetu ſed certis gradibus negotium Reformationis ibi procedebat.

7. In Daniâ Friderico brevi poſt captum Chriſtiernum mortuo, res mirificè turbatæ ſunt, Epiſcopis CHRISTIANUM III. ejus filium Lutheraniſmo addictum averſantibus, & Chriſtierni partes refoventibus, quibus ſe Lubeccenſes mirifico adjunxerant conſilio. Erat illis animus præcipuas Daniæ & Sveciæ Civitates adſerere in libertatem, & Hanſeatico fœderi adjungere, tum Reges tollere vel in ordinem redigere. Inde maris Baltici dominium excluſis exteris, præſertim Hollandis & Friſiis, qui jam tum frequentes in illo tractû erant, ſibi vindicare. Non erat res ſupra illorum facultatem; Mari enim præpotentes erant, ut tum res maritima fuit, Rex Svetiæ claſſe minus valebat, Dani diſſidebant, Factiones paſſim per urbes præcipuas habebant validas in idem conſpirantes. Adjunxerant ſe illis *Chriſtophorus* Oldenburgi Comes & paulo poſt *Albertus* Megapolitanus Chriſtierni ex ſorore nepos, ut nec auctoritate nec viribus deſtituerentur.

8. Initia quoque proſperè ceſſerunt; *Lubbecenſes* Malmogium & Scaniam, *Chriſtophorus* Hafniam & Zeelandiam occupavit, quibus Fioniam inſulam adjecerunt, ſolis Guthis pro *Chriſtiano*

Fri-

Friderici filio ſtantibus. At horum Dux *Ranzovius*, in Füonia cum illis congreſſus magna pugna ſuperior fuit, ubi *Trollius* Archiepiſcopus Upſalienſis ad extremum pertinax fidei pro *Chriſtierno* cecidit anno 1535. Et ſequenti anno, cum Boruſſiæ civitates, quibus ſuſpectæ erant Lubeccenſium opes & factiones, *Chriſtiano* naves; etiam Svecus, ſe non minus quam Chriſtianum peti videns, auxilia miſiſſent, Lubeccenſes mari ſunt victi; dein Chriſtophorus ac Albertus Hafniæ obſeſſi ad deditionem adacti ſunt; denique Scania, Svedis valide auxiliantibus, etiam recuperata eſt. Quibus rebus factum, ut in ipſa urbe Lubeca, factione, quæ adhuc prævaluerat, oppreſsâ, res omnes ad tranquillitatem redactæ ſint. De religione poſthac non eſt dubitatum, quin, exploſis Papæ ſatellitibus, Auguſtana Confeſſio reciperetur.

9. Poſtea vacuum fuit Danis & Svecis operam dare ſimultatibus, quæ brevi in bella eruperunt; Danis unionem trium regnorum ſublatam, Svedis Scaniam, Blekingiam & Gotlandiam antiqua Svedici regni membra à Danis occupata dolentibus. Chriſtianus ſuper his aliiſque rebus cum Guſtavo acturus, diſſuadentibus ſuis, Holmiam ſe contulit, Unde male animatus, ut fere uſu venit in colloquiis Principum, reverſus, armis tamen uterque abſtinuit, donec Chriſtianus deceſſit in exitu anni 1558. regni 24, ætatis 56. quem brevi ſequutus eſt *Chriſtiernus* in cuſtodiâ anno ætatis 78, poſt annos 35 exilii & captivi-

tatis. Chytræ. *Lib.* 9. *Sax. ad lib.* 16. Pontan. *Dan.* Puffend. *Hiſt. Sved.*

CAP. IV.

De regno & rebus Hungaricis.

RES Hungariæ diuturna pace, luxu & diſcordiâ Procerum, ſub *Vladiſlao* & *Ludovico* ejus filio Regibus, vehementer eſſe labefactatas *ſuperius* indicatum eſt. Adeo, ut nemine regni ſalutem procurante, extremæ florentiſſimi regni partes neglectæ & hoſtibus expoſitæ fuerint. Proinde cum *Solymannus* Turca rebus domi conſtitutis, conſilium Patris ſummâ vi Chriſtianos oppugnandi, diu intermiſſum repeteret, firmiſſima regni munimenta Taurinum ſive *Belgradum* & *Sabatzium* in ipſo flumine *Dravo* conditum ſine ulla difficultate occupavit potius quam expugnavit.

2. Ne ſic quidem excitatis Hungaris, biennio poſtea reverſus eſt *Solymanus* cum exercitu CCC millium, Savoque tranſmiſſo *Petri Varadini* oppidum ad Danubium, mox etiam Dravi Trajectum *Eſſeckium* in poteſtatem redegit, jamque in interiorem Hungariam penetraverat; quando ægrè xxv millium exercitus ad Regem adfluxit. Præter quos brevi adfuturus erat *Johannes* Zepuſius Transſylvaniæ Præfectus cum luculento auxilio.

3. Ratio fuiſſet, non modo illud ſubſidium expectare, ſed omnino prælium adeò immaniter

ter imparibus evitare, eoque Rex & pauci Proceres inclinabant. Sed erat in omni exercitu mirificum pugnandi ſtudium inexpertis belli & inani memoria rerum ab Huniade Patre filioque geſtarum, cum ſpe victoriæ tam certa inflatis, ut cunctandi auctores deterriti ſe cum Rege vulgoque præcipites in pugnam dederint, ad urbem *Mohats*; ubi noſtro tempore Turcæ vices ſuas tulerunt. Pugnandi auctor præcipuus erat *Paulus Tomoreus* ex milite Monachus. At cum per ſeſquihoram ſatis cruenta fuiſſet commiſſio, deſiit in fugam ſcilicet, quâ rex ipſe viginti annorum juvenis paludibus hauſtus periit & cum eo quingenti Proceres, E captivis mille quingenti à Barbaro victore poſtridie capite truncati ſunt. Ille per omnem Hungariam incendiis urbium & pagorum graſſatus, plures CC hominum millibus occidit aut abripuit: Urbem tamen nullam, etſi apertis omnibus, præſidiis occupavit, tali, ut videtur conſilio domo non profectus; neque rebus ad firmandam totius Hungariæ poſſeſſionem ſatis inſtructus, vaſtitate prædâque eo quidem tempore contentus rediit triumphans in Thraciam anno 1526.

4. Supervenit Hungaris ultimum adflictis rebus malum, diſcordia: Quippe *Ferdinandus* Caroli V. frater cum veterum vi pactorum inter Hungaros & Auſtriacos, tum quod *Annam* Ludovici Regis mortui ſororem haberet uxorem, *Albæ Regali* diademate cinctus eſt; Sed à ſupe-

rioris Hungariæ populis Auſtriacos averſantibus electus eſt Rex *Johannes* Zepuſius, *Vaivoda* ſive Præfectus Tranſylvaniæ; ſed viribus impar aliquoties fuſus & noviſſime *Tokayenſi* prælio devictus, aufugit in Poloniam, *Hieronymi à Laſco* exceptus hoſpitio; qui auctor & ipſe legatus fuit ad implorandam à Solimano fiduciariam regni poſſeſſionem, & impetravit. Solimanus Hungariam denuo ingreſſus, non modo Johannem Budæ Regem conſtituit, ſed Viennam quoque obſedit idibus Septemb., quam à Germanis fortiſſime defenſam reliquit Idibus Octobris 1529.

5. Triennio poſtea reverſus Solimannus, ut *Johanni* adverſus Ferdinandum auxilio adeſſet, Strigonium & Albam Regalem in ſuam poteſtatem redegit. Sed *Carolo* Cæſare, cum ingenti Germanorum aliarumque nationum exercitu, in Hungariam deſcendente, retro cedendum putavit, nec Carolus eum inſectatus eſt, nec quidem operam dedit, ut *Johannem* Regem, quod habebat in facultate, regno deturbaret. Sed dimiſſis Germanis, ipſe in Italiam reverſus eſt.

6. Inde per octennium Hungaria non vidit Solimannum, etſi copiis ſuis Johannem Regem ſuſtentavit, donec is cum Ferdinando pactus eſt, ut Hungariæ regnum, quatenus ipſe poſſidebat, cum Regis titulo ad vitam, eoque mortuo Ferdinandus omnia poſſideret, anno 1536. At cum in uxorem deinde accepiſſet *Iſabellam* Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam, formâ & ingenio, literis etiam exculto egregiam, ex eâque ſuſcepto filio

mor-

mortuus eſſet *anno* 1540. novi in Hungariâ tumultus excitati ſunt: Ferdinando armis repetente fideicommiſſarium regnum, Iſabellâ filio ſuo ſucceſſionem, opibus Turcarùm, vindicare obſtinatâ.

7. Ferdinandus citeriorem Hungariam uſque Budam occupaverit: ſed ibi Roccandolphus dux ejus gravi clade adfectus eſt anno 1541. & Solimannus quartum rediit, Reginæ pueroque in auxilium, ut ferebat; Sed Budæ propinquus primo infantem Regem, dein urbem ab Iſabella negare non auſâ accepit; & dein ita conſtituit, ut illa cum filio in Tranſſylvaniam ſe reciperet, ejuſque principatum ſuo ſub præſidio retineret: Inter Ferdinandum & Turcas bellum vario ſucceſſu continuatum eſt; donec cis Danubium pleraque paulatim, multa quoque in ulteriori parte à Turcis occupata & retenta ſunt.

9. Utebatur Iſabella conſilio *Georgii* Martinuſii, Monachi, vili hominis ortu, ſed ingenio validi, quem *Johannes* Rex ſibi fidum & ſolertem expertus teſtamento rebus filii, ſub Iſabellâ matre, præpoſuerat, qui cum ſuis conſiliis Turcarum cupiditati valdè adverſaretur, Solimannus in mandatis dederat ſuis, ut Monachum vivum vel mortuum in poteſtatem redigerent, cui etiam non bene conveniebat cum Reginâ; Quare cum in loca ſitu & arte in hunc uſum munita ſe recepiſſet, inde ſe vi tuebatur, ac interim clandeſtina cum Ferdinando conſilia, de Tranſſylvaniâ ipſi tradenda, agitabat. Quæ tandem

ad exitum deduxit, Regina tot bellis & turbis fatigata, quâ vi qua ratione perſuaſâ, ut à Ferdinando acciperet conditiones pro ſe filioque ampliores quam ut ſervatum iri credere debuiſſet, extra Trans-ſylvaniam ſcilicet implendas: Quâ proinde cum filio ceſſit, ægrè utcunque ferens, ita ſe imperio, cui alioquin animo & ingenio non erat impar, evolvi & evolvere filium.

10. *Georgius* interim ita Ferdinando ſtudebat, ut ſe Patriamque non penitus ejus poteſtati ſubmitteret neque Turcam nimis inritare vellet. Quæ anceps agendi ratio ita Ferdinando ejuſque Ducibus, etiam monacho parere gravatis, diſplicuit, ut eum ſuæ dominationi unum obſtare judicans tollendum ſtatuerit. Ergo ut hominem inſidiis per honores accumulatos obnoxium faceret, galero Cardinalitio à Pontifice eum exornari curavit, & brevi poſtea per *Caſtaldum* militiæ præfectum in arce quâdam ſuá percuſſoribus immiſſis, dum mane ſe molitus è lecto commentariolo rerum agendarum legendo intentus erat, indigne obtruncavit 1551.

11. Nec ideo res Ferdinandi, ſecus ac ei perſuaſum fuerat, melius ſe habuerunt. Solimannus enim Tranſſylvaniam cum maximâ Hungariæ parte nullo modo Auſtriacis permiſſurus, majore vi bellum inſtauravit brevique omnia non modo cis, ſed etiam trans Danubium ad *Erlam* ſive Agriam uſque, non minore Chriſtianorum vecordiâ & perfidiâ, quam ferociâ & crudelitate ſua, occupavit. Ab Erlâ tamen ipſa gravi

gravi clade repulſi ſunt Turcæ, incredibili obſeſſorum nec minore mulierum, quam Virorum fortitudine anno 1552. Sicut ab iisdem *Sigethum* fruſtra obſeſſum & oppugnatum eſt; quo tempore Turcæ magnâ pugnâ victi ſunt à Ferdinando Comite Tyrolis Ferdinandi Regis juniore filio, anno 1556.

12. Sed interim Tranſſylvania ſe denuo ſubduxit Auſtriacis, revocato ad Principatum *Johanne* juniore Johannis Regis filio, qui matre pridem defunctâ, conditionibus ſuæ tranſactionis à Ferdinando minimè ſervatis, occaſionibus denuo invigilabat, accedente Solimanni voluntate. Tranſſylvani ſeſe ab eo tempore ſeorſim ab Hungariâ, ſub protectione Turcicâ, liberi Principatus more continuerunt. *Thuan. lib.* 1. *& ſeq. Bonfin. rer. Ungar. dec. ult. Sambucus in append.* Caſp. *Ens Hiſt. Ungar. lib.* 5. *& ſeq.*

CAP. V.

De regno Poloniæ & Bohæmiæ.

IN Polonia *Sigiſmundus* Rex Rempublicam titulo magis quam jure regni, feliciter omni hoc tempore tenuit in pace domeſticâ, libertate Religionum, ut eſt quiſque Nobilis in ſuo quaſi Princeps, admiſsâ. Neque ſe Turcico bello, adhortante licet Pontifice & incitantibus acerrime Auſtriacis ſibi artè fœderatis, immiſcuit; Prudenter, ipſius Caroli Cæſaris exemplo, qui nonniſi extremâ defenſionis neceſſitate Soliman-

limanno ſeſe ad auxilium fratri ferendum oppoſuit unquam.

2. At cum *Johanne Baſilio* Muſcovitarum *Cæſare* (ita à ſuis appellatur) Principefero & crudeli bellum proſperè fecit & Livoniam maſculè vindicavit. Turbas etiam Boruſſicas cum *Alberto* Brandenburgico Teutonici Ordinis Magiſtro diuturnas hoc modo finivit, ut *Albertus* Imperii Germanici clientelæ renuntians, ex Ordinis Magiſtro, quo jure tenuerat Boruſſiam, fieret Dux hereditarius Boruſſiæ Orientalis, ſub Lege feudi Polonici, quæ eſt origo Principatûs illius in familiâ Brandeburgicâ.

3. Mortuus anno 1548. *Sigiſmundus* ſucceſſorem habuit ex electione Nobilium, SIGISMUNDUM *Auguſtum* filium; qui Paternis inſiſtens veſtigiis domi pacem neque foris bellum, niſi cum eodem *Johanne* Baſilio Muſcovitâ, de poſſeſſione Livoniæ, quam tenebat alius ordinis Teutonici Magiſter *Gothardus Ketlerus*, habuit. Cum hic vim Muſcoviticam ferre non poſſet, Livonas ita volentes Poloniæ ceſſit, traditâque Rigâ, Magiſterio ſe abdicans Courlandiam & Semigalliam Ducatus, ſub Lege Feudi Polonici, ad exemplum Alberti Brandeburgici, ſub finem hujus intervalli, accepit. Sigiſmundus Livoniam adverſus Muſcovitas ſtrenuè tutatus eſt. Verum Eſthoniæ Livonis conterminæ Nobilitas, quæ ſub eodem Magiſtro fuerat, Svedicæ protectioni ſe committere maluit, ut ſequenti ſectione videbimus. Cromer. *Hiſtor.*

Pe-

Polonic. Lib. 30. Caſpar. Schütz, *Hiſtor. Pruſ. Lib.* 9.

4. In Bohæmiâ poſt exceſſum *Ludovici* Regis; nam & is Bohæmiam à Patre acceperat; à Turcis, ut antea diximus, cæſi, FERDINANDUS, cum veteri pactorum, tum recenti uxoris *Annæ* Ludovici ſororis jure, ſine controverſiâ, etſi nova Lutheraniſmi Profeſſio cum Veteri Huſſiticâ ibi pridem coäluerat, regnum accepit, idque ab anno 1526, ultra terminos hujus ſectionis obtinuit. *Dubrav. Hiſtor. Boham. lib.* 30. *& ſeq.*

CAP. VI.

De rebus Italiæ uſque ad pugnam Pavienſem.

ITaliæ ſub mortem Maximiliani Cæſaris in hoc ſtatu res erant. Regnum Neapolitanum tenebant Hiſpani; Ducatum Mediolanenſem Galli, Secundum hos potentiſſimi erant Veneti; Pontifex Leo X præter ampliſſimas ditiones Eccleſiaſticas à Julio II. plurimum auctas, habebat in poteſtate Rempubl. Florentinam; Quod ſi is avi ſui *Laurentii de Medicis* inſtitutum imitari voluiſſet, facile ipſi erat, Italiam, quando nec Venetis aliud placere poterat, in pace retinere, Carolusque & Franciſcus æmulationis ſuæ palæſtram alibi eligere debuiſſent. Sed Leonem ſpes gloriæ, quæ Julii Papæ memoriam implebat; ne Pontificatus ſuus abſque magnis rebus geſtis tranſiret, agitabat. Cupivit exteros Italiâ depel-

lere,

lere, primo Gallos Hiſpanorum operâ, dein Hiſpanos ipſius auxilio Galli. Primum executus, antequam ad alterum ſe conferret, hunc mundum reliquit.

2. Sed tum quidem, fœdere cum Cæſare inito, bellum Gallis, quibus Veneti pro defenſione Mediolanenſis Ducatus erant fœderati, illatum eſt, quod primo infeliciter, irrita Parmæ obſidione variisque Imperialis & Pontificii exercitus incommodis, inchoatum felicem habuit exitum. Cum enim *Lauthrechus* Gallorum Dux imprudentiâ & arrogantia ſua victoriæ ſpem fere certam, eo quod hoſtes Adduam fl. tranſire paſſus erat, amiſiſſet; Cum porro copiæ ipſius deficiente pecunia, quam mater Regis odio Lautrechi averterat, & Helvetiis, quos ſine pecunia nemo tenet, domum reverſis, valde eſſent imminutæ; accidit, ut fœderati Duce *Proſpero Columnâ* Mediolano propinqui, ſed nulla ſpe capiendi urbem, in qua totus erat Gallorum exercitus cum Venetorum auxiliis, à ſene quodam, quem nemo unquam quis aut à quo miſſus eſſet, cognovit, ingenti clamore, nomine civium vocarentur in urbem. Quod hi ſequuti, ingruente jam nocte, machinis licet bellicis carentes, partim conſcenſo vallo; quod Veneti & Helvetii re inopina pertertiti deſeruerant, partim intromiſſi à civibus Gibellinis (nam factiones Guelphorum & Gibellinorum nondum erant extinctæ in Italia) per Romanam portam, ſuburbia quæ ſunt ibi maxima, ſine machinis bellicis occupavere; dum Lau-

Lautrechus, qui tam negligens explorandi fuerat, ut ubi agerent hoſtes, ignoraret, cum præcipuis ducibus per urbem inermes equitarent. Quare incontinenti ex urbe ſe recipere & Ducatum, paucis locis cum Mediolanenſi caſtello exceptis, derelinquere coactus eſt. Quo nuntio recreatus Pontifex, febriculâ contracta, cis paucos dies mortuus eſt & quidem eadem die, quâ intellexerat, Parmam & Placentiam, quas urbes ad Eccleſiam, ut ajebat, pertinentes, Galli poſſederant, à ſuis eſſe captas; quarum imprimis gratiâ bellum à ſe inceptum prædicabat. Exceſſit *Kal. Decembris* anno 1521.

3. Fœderati ex pacto antecedente Mediolanum ceſſerunt *Franciſco Sfortiæ*, Ludovici filio ſecundo genito, exſultantibus incolis & geſtientibus habere Ducem proprium, dum parum animis proſpiciunt, hoc novum eſſe initium calamitatum, toto pondere belli ipſis denuo incubituro.

4. Galli equidem viribus inſtauratis & XII. Helvetiorum millibus inſtructi omnia recuperare feſtinabant, irrito ſucceſſu; cujus ultimus fuit actus prælium ad *Bicoquam*, quod Helvetii flagitaverant, invadentes hoſtem in caſtris munitiſſimis incluſum, ingenti ſuâ clade; quâ perculſi pluribus annis veterem audaciam recipere non potuerunt. Galli in Galliam ſuam, amiſſis omnibus, quæ in Italia habebant, receſſerunt, anno 1522.

4. Anno ſequente *Bonnivetus* Maris Gallici Præ-

Præfectus cum novo exercitu, *Proſpero Columnâ* nihil minus expectante & imparato, in Italiam tranſiit; omnemque Ducatum uſque ad Ticinum occupavit; Proſperum ipſum exuere copiis & occupare Mediolanum potuiſſet, niſi inutili morâ apud Paviam factâ, Proſpero ſpatium muniendi ſe Mediolani dediſſet. Hinc urbe fruſtra obſeſsâ, re infectâ, in Galliam redire coactus eſt, inſequente Borbonio, qui jam à Rege ſuo defecerat, ut in Gallicis videbimus. *Baiardus* egregius receſſum Gallici exercitus regens occubuit aliique plures, dum Bonnivetus metu Borbonii, qui cum eo proprias inimicitiæ cauſas habebat, fugam anticipabat.

6. Ad hæc Borbonius vindictam injuriæ à Rege & ejus matre acceptæ ſpirans, ex Italiâ Provinciam Galliæ invaſit; At deſtitutus à Carolo & Anglo, qui non miſere, quas promiſerant ſuppetias, ſubito rediit; maximè cum intelligeret, Franciſcum Regem in Italiam feſtinare, Mediolanum copiis deſtitutum occupaturus idque occupavit. Sed cum hoſtes expeditione Gallicâ feſſos & exhauſtos facile diſſipare potuiſſet, Boniveto ſuo credens, Paviam obſedit, & decem millia peditum, cum equitatu conveniente, ſub *Johanne Stuardo* Albaniæ Duce miſit ad rapiendum Neapoleos regnum; Præterea, quatuor millia Savonam contra Genuenſes ablegavit, omnia imprudenter.

7. Carolus Lanoyus, Belga, prò Rege Neapoli præfectus, Ferdinandus Marchio Peſcarius erant

erant Duces Cæſarei exercitus, veterani quidem illius & fortiſſimi, ſed numero valde imminuti longis itineribus ac inopiâ, deficientibus à longo tempore ſtipendiis. Perſuaſum tamen eſt militibus, operâ maxime Peſcarii, ut prodirent. Non placuit vires diſtrahi, Neapoleos aut Genuæ cauſa, quod Galli hac gratia fecerant, quia victores in Lombardiâ, rerum ubique erant potituri. Nec mutata ratio, poſtquam Carolus Borbonius cum decem millibus peditum & mille equitibus acceſſit. Erant tum millia peditum 17. equitum tria circiter; Galli plures in numeris, pauciores in armis; Cæſareanis nulla niſi in victoria ſpes: Franciſcus obſidionem ſolvendo victoriam in manu, ſine prælio, habebat; hoſtibus omnium inopia rerum certiſſime diſſipandis; Ideo ſolveret obſidionem plerique Duces erant auctores. Aliter Bonnivetus, cui ſoli auſcultabat. Et retinebat eum pudor ineptus, quod magnifice prædicaſſet, ſe Paviam capturum vel moriturum. Ergo pugnatum eſt, die feſto Matthiæ, Cæſaris natali, anno 1525. primo congreſſu bene à Gallis, vi maxime tormentorum ſuorum. Quod initium Regem è ſuis caſtris, ubi tutus erat, excivit, qui terribili impetu rumpebat hoſtilem equitatum, ſuaque manu, ut ajunt Galli, *Ferdinandium Caſtriotum Sancti-Angeli Marchionem* interfecit; Itali occubuiſſe Marchionem, nihil aliud referunt. Sed *Lanoyus* & *Borbonius* vocati à *Peſcario*, cum Germanis irruentes, Gallos refutarunt, quorum Alenzo-

nius Dux, Regis adfinis, cum majori equitatus parte ſe recipiens integris ordinibus uſque Lugdunum in Galliam cucurrit, ubi dolore & pudore mortem contraxit. Helvetii ab equitatu deſtituti fugam arripuere, non pro more gloriaque gentis. Sed Germani inferiores, **Landsknechten** vocabant, adverſis cuncti vulneribus occubuerunt. Rex duobus locis leviter vulneratus, equo confoſſo, à quinque militibus arreptus, *Lanoyo* Proregi illum nomine Imperatoris accipienti, ſe dedidit. Cecidit inter alios Proceres complures auctor cladis *Bonnivetus*, cui Borbonius jacenti fecit ingens convitium, ut ſuæ propriæque & hujus ruinæ auctori, ſero nimis mortuo; multi Proceres cum Rege capti; numerus cæſorum ad octo millia refertur; poſtridieque nullus Gallorum viſus eſt in omni Ducatu Mediolanenſi. Franciſcus honorificentiſſime, excepta libertate, cultus & quaſi Rex habitus eſt.

CAP. VII.

De rebus Italiæ, inde poſt pugnam Pavienſem ad pacem Cameracenſem.

Captivitas *Franciſci* Hiſpanis videbatur eſſe fundamentum Monarchiæ ſuæ univerſalis erigendæ in Europa, cui ſola Gallia deerat & obſtabat. Sed vires pecuniariæ, ſine quibus res magnæ geri non poſſunt, defuere: Poteſtates etiam reliquæ cum alibi tum in Italia conſilia

contule-

contulerunt ad impediendos Hiſpanorum progreſſus, quæ celerius effectum habuiſſent, ſi *Franciſcus* ipſe non crediſſet *Lanoyo*, quo navigaret in Hiſpaniam; fore ut uno cum Cæſare colloquio tranſigeret. Hæc res Italos alii interim propoſito intentos retardavit: Peſcarius enim, cujus magna apud milites erat auctoritas, de *Lanoyo* & ipſo Carolo atrociter querulus, ſpem faciebat defectionis à Cæſare & occupandi regnum Neapolitanum: Quod credentes Veneti, Pontifex & Franciſcus Sforza, qui cupiebat emancipare ſe populumque ſuum duriſſimo ſervitutis jugo, quo preſſus erat ab Hiſpanis, ſe fœdere cum illo conjunxere; quod homo ſubdolus deinde Cæſari non modo revelavit, ſed *Sforzam* quoque ditione ſua ſpoliatum in caſtello Mediolanenſi obſedit ejuſque miniſtrum *Moronum* de rebus ſecum actis reum fecit: ipſe tamen, antequam perfidiæ præmium obtineret, morbo deceſſit.

2. Rex principio anni ſequentis 1526. duris legibus ſcripto comprehenſis, jurejurando firmatis liberatus exierat, ut in *Gallicis* videbimus, filiis duobus obſidibus datis. Sed cum incontinenti præ ſe ferret, iis ſe nolle nec poſſe teneri, fœdus initum eſt inter ipſum, Papam, Venetos, Florentinos adverſus Imperatorem, qui ductu *Franciſci Mariæ* Ducis Urbinatis, conjunctis viribus id agebant, ut Sforzam obſidione liberarent: ſed ubi Ducis timiditate vel malitia, ſi Guicçardino credimus, nihil actum, Sforza Bor-

bonio dedere ſe coactus eſt. Cæſareani quoque inimicos Pontificis Clementis VII. Columnenſes excitarunt, ut inſidiosè Romam invaderent, hoc animo, ut Papa interfecto Pompejus *Columna* Pontificatum occuparet; quod & conſecutus fuiſſet, Clemente parato ad exemplum Bonifacii VIII. Papali habitu indutum in ipſa ſede Pontificia mortem accipere, niſi à Cardinalibus ægrè in caſtrum Sancti Angeli raptus fuiſſet, ubi factis induciis, arma contra Cæſarem ſuſcepta poſiturum ſe promiſit, copiaſque ſuas à fœderatis ſeparavit, menſe Septembri 1526.

3. Res interim Cæſaris, pecuniæ inopiâ militibuſque diſſipatis, ad ſummam redactas anguſtiam Georgius *Fronsbergius* adductis è Germania, ſuo ſumptu, XIV millibus Germanorum, qualem operam Cæſari ter omnino, ſuprà opes privatorum, privatim præſtiterat, recreavit; cum quibus Dux Borbonius omni facultate alendi militem carens, poſt Mediolani populos miſerrime exhauſtos, Romam contendit: Quod intelligens Papa cum *Lanoyo* nomine Cæſaris inducias fecit octomeſtres, earumque fiducia milites pleroſque dimiſit. Sed Borbonius Lanoyo non ſubjectus nihilominus perrexit & urbem quam Renzius à Ceri Urſinus infeliciter defendit 3. Nonar. Maji 1527. corona cinctam oppugnavit: Ipſe quidem inter primos deſperatè pugnans cecidit; milites urbem nihilominus ceperunt, & omnibus armatæ captivitatis malis, in quibus Hiſpani Catholici longe intemperantiores

rantiores plerique Germanis Lutheraniſmum profeſſis fuere, per duos menſes adflixerunt; quo tempore Florentini, pulſis Medicæis, ſe rurſus in libertatem vindicarunt. Pontifex initio Junii menſis, pacem cum Principe Arauſienſi, qui Borbonio ſubſtitutus erat, fecit, conditionibus quas implere non poterat; ſolvendi pecuniam immenſam, tradendi loca munita. Per duos adhuc menſes ut obſes ab Hiſpanis detentus, cum tandem plerisque pactis ſatisfeciſſet, poſtremo veſte Mercatoris indutus evaſit & res ſuas paulatim ex tantâ calamitate, Pontificiæ potius majeſtatis quam ſociorum ope, reparavit.

4. Nam Franciſcus adhuc quidem fœdera ſtrenuè contraxerat, ſed nullo modo executus erat; quippe inita potius, ut Carolum ad æquas conditiones compelleret, quam ut ipſum offenderet, nec ultra quicquam moliebatur, quam ut filios ſuos recuperaret. Sed tanta Pontificis ruinâ intellectâ, fœdere cum Anglo Italiſque renovato, *Lautrechium* cum valido exercitu miſit in Italiam, non modo ad Pontificem liberandum, ſed etiam ad regnum Neapoleos occupandum. Ingreſſus Italiam totum prope Mediolani Ducatum in poteſtatem redegit, non pro Rege, ſed pro Sforza, quò ita fœderatorum animos id impenſe deſiderantes placaret. Deinde Romam profectus, cum Papam intelligeret eſſe liberatum, in Neapolitanos perrexit; hoſtes profligavit, & ſi rectà Neapolin contendiſſet, regnum acquiſiverat: Sed regula, non eſſe à tergo re-

 linquendas

linquendas urbes munitas, haud æque ſemper utilis, ab illo ſupervacuè elaborata, hoſtibus facultatem ſe confirmandi tribuit, victoriam ipſi ademit. Nam Hiſpanorum in urbe conſtantia, Lautrechi inſolentia conſiliis aliorum auſcultandi, pecuniæ per culpam Regis inopia, defectio Andreæ Doriæ, cum claſſe quæ portum Neapolitanum claudebat, morbus per exercitum vulgatus (malum Neapolitanum, illuc ab Hiſpanis ex orbe novo allatum, unde morbus Hiſpanicus & à Gallis eo tunc infectis, morbus Gallicus appellatur) aliæque cauſæ fecerunt, ut Galli omnes miſerè conſumpti ſint *annò* 1528. Lauthrecho ipſo cum reliquis extincto; qui Dux fuit eximiâ rei militaris ſcientiâ, conſilio & auctoritate præſtante, verum ſuus totus & parum felix.

5. Defectio *Doriæ* cauſam habuit; (prætextus alii jactabantur) quod Franciſcus Rex, in cujus ditione tunc erat Genua, poſtulatis ejus annuere noluiſſet, quæ hæc erant, ut civitati libertatem pro pecuniâ quantam vellet, concederet eique reſtitueret Savonam urbem, quæ portum habens præſtantiorem quam Genua ipſa, luminibus ejus, ſi in alienis manibus eſſet, officeret; Hæc igitur clam à Cæſare ſtipulatus Doria, cum Principatum ſibi ipſemet acquirere poſſet in Patriam, maluit, extinctis egregio inſtituto vetuſtis factionibus, Ariſtocratiam, quæ adhuc durat, ſtabilire; poſtquam à longo tempore non ſecus ac pila regimen urbis creberrime mutatum agitatumque fuiſſet.

6. Gallis

6. Gallis igitur undique repulſis, Cæſare quod vellet adſecuto, & tamen exhauſto neque ad majores progreſſus faciendos, ob vim Turcicam & quod ipſe rebus ſuis ſtabiliendis, quietis indigeret, parato, accidit, quod ſemper amat fieri, ut partes feſſæ magis quam ſatiatæ bello de pace cogitarent. Primo inter Cæſarem & Pontificem Barcinonæ pax inita eſt, ſatis Pontifici luculenta reſpectu familiæ ſuæ, quam Cæſar promiſit Florentiæ reſtitutum iri, cujus imperium habiturus eſſet *Alexander de Medicis* ducta in uxorem *Margareta* Cæſaris filia naturali, quæ deinde Parmæ Duci nupta Belgarum provincias gubernavit; præterea ſuas urbes munitioneſque reciperet omnes. Ipſe inveſtituram regni Neapolitani acciperet à Pontifice, ſub lege præſtandi loco cenſus antiqui equum album quotannis, cum jure nominandi Epiſcopos 24. Cathedrales in Hiſpania & capiendi quartam fructuum de bonis Eccleſiaſticis in uſum belli Turcici & ſimilia, quæ nihilo Papæ conſtabant, hæc *anno* 1529.

7. Sequenti facta eſt Inauguratio Cæſaris Bononiæ per Pontificem, de qua ſuperius dictum eſt, ibique decreta hæc; Florentinæ civitatis reductio per arma, quando aliâ viâ non poterat, in poteſtatem Pontificis; Reſtitutio Franciſci Sforzæ in Ducatum Mediolanenſem, Pacificatio cum Venetis & tranſactio cum Duce Ferraræ, qui utcunque Gallos plerumque ſecutus erat, tam validas tamen artes in aulâ Cæſaris adhibue-

rat, ut non modo Ferraram veterem poſſeſſionem, quam ut feudum ſedis Romanæ Pontifices repetebant; ſed etiam Mutinam & Rhegium, quas urbes, Româ à Borbonio captâ, Pontifici abſtulerat, tanquam Imperii feuda retinuerit. Eodem tempore pax inter Cæſarem & Gallos inita eſt Cameraci, de quâ in Gallicis.

8. Omnes qui pacem negotiabantur, quo Cæſarem facilius inducerent, Florentinos ardenter, ut libertatem tuerentur, promiſſis certatim auxiliis, incitaverant. Adſecuti quod volebant, Florentinos, ſcilicet, ſolos victori Cæſari & irato Pontifici expoſitos reliquerunt. Illorum igitur juſſu Princeps Arauſienſis, qui acerbam Pontificis ambitionem non ceſſabat ipſe deteſtari, obſidione cinxit urbem, eamque, præmortuus ipſe tamen, eo compulit, ut fame coacta ſe dedere cogeretur. Imperium urbis nomine & honore Ducis à Cæſare, ex pacto, impetrato, occupavit *Alexander de Medicis Pontificis nepos & Cæſaris* ut dictum, adfinis, anno 1530.

CAP. VIII.

De rebus Italicis à pace Cameracenſi ad annum 1558.

AB hoc tempore res ut plurimum, quod ad ſummam attinet, in Italia pacatæ fuere, non modo per omne hoc intervallum; ſed etiam penè dixerim, in hanc uſque diem, paucis

ſubinde

ſubinde motibus exceptis particularibus. Hiſpani præcipuas utrimque partes, inde poſtquam Franciſco Sforzâ ſine liberis mortuo, Ducatus Mediolanenſis ad Cæſarem rediit & Hiſpanis mancipatus eſt, tenebant: Ipſorum intererat tantis bonis in pace frui, nec eam reliquæ poteſtates turbare potuerunt aut voluerunt, ſatis validæ pariter adverſus Hiſpanos, ſi quos illi opprimere voluiſſent, parato etiam è Galliis in hunc uſum auxilio. Plane erat in eo ſtatu Italia, quem ut evitaret, per annos fere quadraginta omnibus atrociſſimi belli malis conflictata fuerat: Et tamen nunquam beatius quam ab his temporibus egit: Ut appareat, affectus hominum quam vani ſint, & quam ſe cauſis imaginariis, impetu cæco, divinæ vindictæ opportunos præbeant.

2. Rex interim *Franciſcus* ægris oculis florentem Cæſaris fortunam adſpiciens eamque è longinquo ſubruere cogitans Pontificem quovis modo ſibi conciliare ſtudebat: In tantum, ut non gravatus ſit, infra dignitatem ſuam, adfinitatem cum illo contrahere, junctâ nepte ejus ex Laurentio de Medicis, *Catharinâ*, filio ſuo *Henrico* ſecundo-genito, qui poſtea regnavit: Et hæc erit *Catharina* Regina multorum Gallis cauſſa malorum. *Clemens* vix capiens honoris tanti opinionem, non credebat ſerio rem agi, priuſquam hac gratiâ Maſſiliam profectus, ibi nuptias celebravit & cum Rege multa cum pompâ congreſſus eſt; unde redux in fata conceſſit

anno 1533. Succeſſore *Alexandro Farneſio* Nobili Romano.

3. Sequenti anno nova belli in extremis Italiæ finibus orta eſt occaſio; Quod Franciſcus *Sforza* tum adhuc ſuperſtes, ſed mortuus anno proximo, *Mervellium* Franciſci Legatum occultæ qualitatis, Mediolani homicidii causâ capite mulctaſſet. Id armis ulturus ille tranſitum à *Carolo* Sabaudiæ Duce avunculo ſuo & ſimul hereditatem matris ſuæ petiit, quæſitâ causâ cupiens eum terris ſuis valde ſibi commodis exuere, eo quod Cæſari, cujus uxoris ſororem Portugalliæ filiam duxerat, addictior eſſet. Bellum erupit initio anni 1535. Sabaudia inermis incontinenti Gallis ceſſit, ut & Taurinorum civitas trans Alpes, Duce Vercellis incluſo.

4. Quâ re Cæſar commotus ex Africâ in Italiam reverſus habuit orationem luculentam Romæ in Conſiſtorio, præſentibus Galliæ Legatis, plenam querelis & objurgationibus in Franciſcum, ob fidem toties fractam, pacem ſæpius ruptam, noviſſimeque Sabaudum perfide oppreſſum. Hanc injuriam quo Franciſcus ulciſceretur, Carolum ut Flandriæ Comitem ſuumque Vaſallum, quaſi renuntiatio juris pridem facta eſſet ipſo jure nulla, publico Edicto citavit in Jus apud Senatum Pariſienſem, ſatis frigidè id quidem. Sed calidius bellum in Galliam, de quo inferius, tranſlatum eſt, magno cum apparatu & hominum expectatione, ſed eventu minore. Denique bello ſimiliter refrigerato, induciæ placue-

placuere, primo rimeſtres, deinde novennales, cum pax coire non potuiſſet, mediatore Pontifice Paulo III. apud *Niſſam* Sabaudi urbem, ubi Carolus & Franciſcus aderant, ſine colloquio inter ſe, Papâ cum utriſque ſeorſim communicante quæ ad rem erant; Sed colloquium inter ipſos dein Aquis mortuis inſtituerunt, etſi ultra inducias ne tum quidem pervenerunt, anno 1538.

5. Interim *Alexander* de Medicis Florentiæ luxu & ſtupris agebat Principem. Erat ei cognatus Laurentius de Medicis Brutino ingenio, qui reſtitutæ libertatis gloriam adfectans ejus necem procurandam ſtatuit, etſi conſcios & adjutores in libertate procurandâ ſibi conciliare curæ non habuit. Contracta igitur Ducis familiaritate fiduciâque perſuaſit ei, ſe copiam ipſi facturum matronæ cujuſdam adamatæ. Quâ gratiâ ſuum ipſi cubiculum & lectum commodavit; In quo cum Ducem collocaſſet, exiens quaſi mulierem adducturus, rediit cum percuſſore eumque licet ægre, confecit. Re peractâ vecors in fugam ſe conjecit & poſtea Venetiis per homines conductos interfectus eſt, juſſu *COSMI* è familiâ Medicæorum, oriundi à *Laurentio* fratre veteris Coſmi, quem Cibus Cardinalis, Papæ Leonis è ſorore nepos, in occiſi locum, adjuvante *Alexandro Vitellio* præſidiariæ in urbe cohortis præfecto, ſubſtituit, XVI. annorum adoleſcentem, qui feliciſſime imperavit & cujus poſteritas adhuc floret: acta res anno 1537.

6. Pax Italiæ rurſus in periculum adducta eſt

anno

anno 1541. quando Cæſar *Fregoſa* & Antonius *Rinico*, Legati Galliæ regis, ille ad Turcam, hic ad Venetos, utroque adverſus rem Caroli, à præfecto ejus Marchione *Guaſto* in Pado flumine navigantes ſunt interfecti; cujus rei ut contra jus gentium commiſſæ querela per omnes Europæ aulas jactata: Neque belli cauſam eſſe datam, ni Cæſar puniret facinus, dubitabatur, & ſequutum eſt bellum à quinque partibus, anno ſequenti. Quod in *Pedemontio* motum eſt, non habuit ſucceſſum hoc anno; ſed biennio poſtea *Franciſcus Borbonius* Dux Anguienſis celebri pugna vicit Cæſareanos, ſub Marchione Guaſto apud *Ceriſolas*, ubi decem millia hoſtium, ducenti altem Galli cecidiſſe dicuntur *d.* 14. *April* 1544. Fructus victoriæ fuit *Carignanum* urbs & Monferratenſis regio, ſed abſque urbe *Caſalio*. Pars victoris exercitus avocata eſt in Galliam, ubi Cæſar & Anglus urgebant, donec inita pax eſt, *Creſpiaca* dicta ab urbe ditionis Laodunenſis, ubi concluſa eſt: Carolo inter alia pollicito Ducatum Mediolanenſem, aut Belgicam omnem cum Burgundiâ & Carolæſio Comitatibus, alternative, ut tunc erat æſtimatio, in gratiam Ducis Aurelianenſis filii junioris Franciſci, cui & filiam ſuam cum illâ dote deſtinaverat; ſed Aurelianenſi anno ſequenti mortuo, Cæſar jure factoque liberum ſe reputabat, neque multo poſt ſecutus eſt filium Franciſcus pater *anno* 1547.

7. Eodem anno duæ res in Italia memorabiles

biles evenerunt. Prima eſt Conjuratio *Johannis Ludovici Fliſci* Patricii Genuenſis adverſus *Andream Doriam*, ut illo cum ſuis occiſo, Principatum civitatis occuparet, opibus Gallicanis fulciendum. In ipſo rei exequendæ articulo, cum noctu in triremem ſuam per anguſtum pontem iret, armatus in aquam delapſus & ſuffocatus eſt: ſocii capti & ſupplicio adfecti. Melius ſucceſſit conjuratio adverſus *Petrum Aloyſium Farneſium*, Pauli Papæ III. filium, ad Parmæ & Placentiæ Ducatum Patris arte opibuſque evectum, hominem ſceleribus & libidinibus infamem. Cum enim eſſet in ſummo omnium odio, pauci nobiles ipſum in arce Placentina, quam exquiſitè muniebat, conſcio Cæſaris præfecto Mediolani *Ferdinando Gonzagâ*, quod Dux à Cæſaris partibus alienus eſſet, primo mane ſummâ audaciâ idque rariſſimo exemplo impune, in cubiculo ſuo oppreſſum occiderunt, Placentiâ Imperatoris præſidio ſtatim occupatâ.

8. Paulus Pontifex & Pater interfecti Ducis dolorem ſuum magno clamore teſtatus occaſionem tamen belli adverſus Cæſarem non inveniebat, Galliæ Rege Henrico nondum parato, & Octavio nepote, qui Margaritam Cæſaris filiam naturalem Alexandri Medicæi viduam in uxorem duxerat, nolente cum Cæſare bellum; Qui tamen avo brevi mortuo, cum Cæſar Parmam jungere Placentiæ & Ducatui Mediolanenſi, cujus olim pars fuerant, annectere vellet,

adverſum

adverſum quoque Pontificem Julium III. habens *Henrici* Regis tutelæ ſe commiſit; poſtremo tamen reconciliatâ cum Cæſare gratiâ, Placentiam recuperavit & ſucceſſionem utriuſque Principatus ad poſteritatem tranſmiſit. Paulo III. Papæ ſucceſſit Julius III. ab anno 1549. ad 1555.

9. Interim *Henricus* Rex Italiam Cæſaris arbitrio relinquere nolens, præter Mirandam oppidum in Lombardiâ, quod Pici Comites illi aperuerant, Sienam quoque in Hetruriâ, tribus hominum millibus præſidio miſſis, occupavit, ita petentibus incolis, qui factionibus ſuis amiſsâ libertate, ſub Hiſpanis peſſime habiti Gallorum protectionem imploraverant, anno 1552. Exinde bellum ibi per aliquot annos geſtum duce Gallorum Paulo *Termo*, dein Petro *Strozzio*, Cæſareanos adjuvante Coſmo de Medicis, Florentiæ Duce, cujus copiis præerat Johannes Jacobus *Medeqvinus* è vili ortu factus Marchio *Marignani*, Strozzium, qui prius duo hoſtium millia ceciderat, apud *Marcianum* oppidum, majore pugna vicit, eaque clade factum eſt, ut Siena poſt octo menſium obſidionem ſe dedere cogeretur, *anno* 1554. quam Philippus Caroli Cæſaris filius Coſmo Florentiæ Duci, qui ſemper huic urbi inhiaverat, donavit *anno* 1558.

10. Omni illo tempore bellum in Pedemontio continuatum fuerat, duce potiſſimum Carolo *Briſſaco*, adverſus Gonzagam alioſque Cæſaris & Sabaudi Duces, magnâ cum Briſſaci

gloria,

gloria, qui hoc anno 1554. Vercellos, ubi Carolus Sabaudiæ Dux jacturam ditionum ſuarum morte nuper erat proſecutus, Juream & ipſum *Caſalium* per inſidias, dum Cæſareani duces ibi ludicrum certamen agebant, in poteſtatem redegit. Galli etiam Corſicam inſulam hoc bello ſitu opportunam aliquamdiu tenuerunt.

11. Sed bellum in Italiâ revixit ad breve Paulo IV. Papa (ſucceſſerat is Marcello II. qui dies 22. poſt Julium III. ſederat, anno 1555.) ejuſque nepotibus Caraffis ita volentibus & *Henricum* Regem contra utilitatis ſuæ rationes implicantibus fœdere, quo ditiones in Italia Hiſpanienſes ſcilicet inter ſe dividebant: Et tamen etſi hoc fœdus ante finem anni 1555. contractum eſſet, idem Henricus inducias quinquennales cum *Philippo* Rege (jam enim Carolus Cæſar ditiones ſuas in filium tranſtulerat) pepigit *d.* 5. *Februar.* 1556. quas iterum, impellente Pontifice, rupit & Guiſium ducem miſit in Italiam, qui cum Ducatum Mediolanenſem copiis vacuum facillime occupare poſſet, Papa tamen rogante, Romam perrexit, ubi nihil à Papa ejuſque nepotibus paratum inveniens regnum tamen Neapolitanum invaſit, irrito conatu, Duce Albano id facile defendente; proinde reverſus in Romaniam, Papa jam ſecreto cum Hiſpanis pacto, mox in Galliam, clade ad fanum Quintini conſternatam, rediit. Exinde pax in Italiâ ſine Galliarum Rege ſtabilita eſt.

CAP.

CAP. IX.

De rebus Hiſpanicis.

IN Hiſpaniâ poſthac parum motus aut mutationis eveniet, ideoque minus ad hoc inſtitutum conferet: Niſi quod adventitia quædam hoc intervallo accedent. Una res ad ipſam Hiſpaniam, ſpectabit, bellum civile, vel potius rebellio totius gentis adverſus *Carolum* Cæſarem; ducibus præcipuis *Johanne de Padilla* & *Antonio de Azugno* Epiſcopo Zamorenſi, Toleto & pleriſque urbibus ſe fœderi conjungentibus: unde *ſancta juncta* vernacule ab illis vocabatur. Conati erant *Ferdinandum* Friderici Regis olim Neapolitani filium ſibi Ducem præponere, eumque ad majora provehere cogitabant, ſed is è carcere ſuo hac gratia prodire noluit; prudenter, motu populari diffiſus, etſi à proceribus aliqui cum illis colludebant. Carolus deinde in gratiam fidei ſervatæ, præmium libertatis ei dedit & matrimonium conciliavit Germanæ, avi ſui viduæ, ſterilis creditæ & annis jam fere effœtæ, ſed locupletis: Ut beatus viveret; poſteritatem, unde res novæ oriri poſſent, non relinqueret.

2. Initium rebellionis factum eſt ſtatim à diſceſſu *Caroli* Cæſaris in Germaniam. Cauſa, ingenium gentis alienum ab exteris, ut nulla fere natio ferre vult alienigenam dominum; maxime ſi & exteris utatur miniſtris. Quamdiu Cardina-

Cardinalis *Ximenius* vir excellentis prudentiæ, cui Regis juvenis moderatio ab avo Ferdinando demandata erat, rebus Hiſp. præfuerat, ejus auctoritas omnia continebat. Deinde Carolum regebat *Wilhelmus Croyanus*, Chevriæ dominus, qui pueritiæ ejus moderator fuerat. Is vir quidem prudens & moderatus, in novo tamen regno ſibi non temperabat, quin aurum undique, etiam ex officiorum nundinatione, colligeret & præcipua in Flandros conferret; inter quæ fuit Archiepiſcopatus Toletanus ampliſſimi reditus, in ejus fratrem collatus. Hæc Hiſpani ferre non potuerunt. Sed non fuit diuturnus illorum motus; Cum duces illi duo adverſâ pugnâ cecidiſſent, Gubernatores Provinciarum & Nobiles plerique operam dederunt, ut omnia ſedarentur.

3. Idque eo facilius proceſſit, quod Galli non contenti Navarram hac occaſione indefenſam, Regi *Henrico Albretano* recuperaſſe, in ipſam Caſtiliam arma tranſtulerant; quæ vis externa populis novo metu Patriæ caritatem & obſequii fidem reduxit in memoriam. In Navarrâ, ſolum Pampelonæ Caſtellum aliquandiu reſtitit, ubi *Ignatius Loyola* nobilis Guipiſcoanus vulnus accepit, ex quo deinde claudicavit. Tempore morbi lectis Patrum vitis & ſanctorum elogiis ardentem inde religionem contraxit, quam cum inſigni ſolertiâ conjunctam, ubi convaluit, novo Religioſorum ordini conſtituendo impendit, cui non ab ſe, verum ab *Jeſu* Do-

 mino

mino tribuit nomen, ut deinde videbimus. Sed Galli, commota in ſe Hiſpaniâ, non modo Legionem & Caſtiliam relinquere coacti, ſed & Navarrám æque facile, quam ceperant, amiſerunt anno 1521. Hiſpania poſthac in ſe quieta modicis è Gallia bellis, quæ nunquam in illo tractu à Gallis gravia fuerunt, admoſa magis quam lacerata conquievit.

4. Præcipuum quod Hiſpania vidit unquam, fuit anno 1525. quo Franciſcum Regem captivum habuit & dimiſit, credente Carolo, quod nemo credebat, Franciſcum conditionem de reſtituendo Burgundiæ Ducatu ſervaturum. Quo tempore memoriæ proditum eſt, *Antonium Gattinaram* Cæſaris Cancellarium nulla juſſione compelli potuiſſe, quo ſubſcriberet inſtrumento pacis, clamando potius quam monendo; nihil exitioſius eſſe, quam dimittere hoſtem ſub conditionibus, quas in poteſtate haberet, implere an contemnere vellet. Quanquam ſi res tota, ſicut tum ſe obtulit, conſideretur, Caroli Cæſaris imprudentia minime tanta, quantam plerique ſcriptores videri volunt, fuiſſe videtur.

5. Ad Hiſpaniam præterea pertinent expeditiones *Caroli* Cæſaris Africanæ, Tunetana & Algerienſis. De priore ſic eſt habendum; *Hariadenus* Lemnius, Barbaroſſadictus & *Horutus* fratres piratæ celebres fuere. Poſterior Algerienſe regnum, de quo duo fratres regii contendebant, auxilium alteri ferens occupavit. Huic ab Hiſpanis capto & occiſo frater Hariadenus ſucceſſit,

ſit, iſque Turcico milite inſtructus, Tunetanum regnum, pulſo non diſſimili fraude Muleaſſe Rege, qui XXII. fratribus interfectis regnum ſibi firmaſſe videbatur, ſuum fecit, nomine *Solymani* Imperatoris, à quo maris profecturâ donatus infinita Chriſtianis intulit mala.

6. Non tulit hoc generoſa mens *Caroli*; cui mirum eſt, hac parte Gallos ipſumque Mezeræum obtrectare, quaſi Solimannum adgredi non auſus Piratas ſectaretur; cum illorum Reges adverſus Chriſtianos ut iis inſultent, nunquam ſe Turcis jungere cunctati fuerint. Ille vero miſſis Europæ hoſtibus, in Africam cum DCC navium claſſe trajecit; *Guletam*, quæ eſt ad *fauces* ſinus Tunetani arx, ſummâ vi expugnat & claſſe barbaricâ potitur. Mox Barbarouſſam ante portas Tuneti vincit, urbem capit & diripiendam, Muleaſſe licet dolente, præbet; Barbaroſſa frendens Hipponem ac inde Conſtantinopolin, dum Hippone à Cæſare diruitur, aufugit. Hæc anno 1535.

7. Supererat Hariadeno *Julia Cæſarea*, abrupte *Algeria*, quam ut ei Carolus eriperet, denuo in Africam trajecit, infelice ſucceſſu; non per vim hoſtium, ſed tempeſtatum & pluviarum, quibus factum, ut obſidionem urbis ſolvere coactus, de 24 millibus, quos habuerat, vix decem millia militum reduceret, anno 1541. Sic animatus Barbaruſſa, quamvis & ipſe atroci naufragio exercitum amiſerat, tantum Muleaſſi metum intulit, ut is Neapolin nova roga-

turus auxilia trejecerit, filio domi relicto Amidâ, qui Patris loco regnum invaſit eumque reverſum oculis privavit. Sed patrem ulciſcitur *Abdamelech* patruus, pulſo Amidâ, qui regno ſibi retento, poſt dies XXVI mortuus ſucceſſorem filium habuit *Muhammedem*, qui rurſus ab Amidâ pulſus eſt anno 1546. Muleaſſes dein ex carcere elapſus rediit ad Cæſarem, æque arrogantem præferens animum coecus & exſul quam dudum; ſed fortunam denuo tentare non placuit, Ipſe apud Siculos explevit ſenectutem.

8. Carolus ex Eliſabethe *Immanuelis* Luſitaniæ Regis filia ſuſcepit *Philippum* filium, qui ſucceſſit ei, ut pridem intelleximus, duaſque filias, *Mariam* Maximiliani Cæſaris II. Conjugem & *Johannam*, quæ Johanni Luſitanorum Principi nupſit. Scilicet, *Immanuel* ann 1521 mortuus habuit ſucceſſorem JOHANNEM III. qui gentis fortunas auxit egregiis victoriis, in Oriente, de regibus indigenis & ipſis Turcis, qui Adenâ in rubri maris littore cruentâ fraude captâ, inde Luſitanos ex Indiâ depellere conabantur, ut commercia Indica rurſus in Ægyptum fugitiva retraherent, ſed maritimæ illorum copiæ Luſitanis minimè pares, magno conatu exciderunt. Johannes Rex *anno* 1551 defunctus nepotem ex filio ſibi cognomine ſucceſſorem habuit SEBASTIANUM, de quo ſequenti ſectione dicendi occaſio dabitur.

9. In principium hujus intervalli incidit navigatio *Ferdinandi Magellanis*, qui reperto ſui no-

nominis freto, propter Americam meridionalem pervenit in Indias, ubi Moluccas inſulas pro Carolo V. occupavit, ac inde toto orbe primus circumnavigato, rediit in Hiſpaniam. Eodem tempore coeperunt *Ferdinandi Corteſii* victoriæ, quibus borealem Americæ partem, ubi regnum Mexicanum Rege *Moteſcumâ*, eidem Carolo ſubjecit. Nec multo poſtea pars meridionalis à *Franciſco Pizarro*, cum urbe Cuſco & Rege Peruviæ *Attabalipâ* Carolo V. acquiſita eſt; Sed incredibili paſſim crudelitare perfidiâque Hiſpanorum; quos ipſos furiæ brevi inter ſe commiſerunt, ut auri ſitim populari ſanguine reſtinxerint, quæ latius referre non eſt hujus loci. Præcipuos ex Americâ fructusdivitiarum, rebus ſenſim ſtabilitis, Philippus Caroli filius percepit: ſub quoaurum argentumque Americanum in Europam abundanter invectum, nihilo feliciores reddidit nominis Chriſtiani populos. *Johannes Mariana Hiſt. Hiſp. Hieron. Conestagius, Hiſtor. Portuga. Thuan.*

CAP. X.

De rebus Gallicis ſub Franciſco I.

QUartum imperii annum *Franciſcus I.* in Galliâ agebat, quando *Carolus* Auſtriacus Hiſpaniarum & utriuſque Siciliæ Rex, Burgundiæ & Belgarum Princeps, Imperator, ipſo præterito, electus, animum ejus ingenti ſtudio interpellandi illius magnitudinem incendit. Cujus rei opportunitatem ingenio, viribus & ſitu regni, medio inter Germaniam, Italiam, Hiſpaniam & Belgicam, quibus erat diviſa Caroli potentia, maximam habebat. Unum adhuc ad externa bella efficaciter gerenda ei deerat, arbitraria in *cives* ſuos poteſtas, ut tributa quæ vellet ſine Ordinum conſenſu indicere aliaſque infinitas pecuniæ quærendæ rationes exercere poſſet, quam poteſtatem à *Ludovico* XI inchoatam, à Carolo VIII. amiſſam & Ludovici XII paternâ benignitate pene obliteratam ipſe renovavit & ſtabilivit in poſteros duraturam; miniſtro inter alios abſolutæ dominationis *Antonio Dupratio* regni Cancellario. Hæc ratio fecit etiam, ut inſtitutum habendi legiones ſtatas & provinciales, quæ ſemper ad arma paratæ forent, quas aliquando *Friderici Palatini* ad ipſum viſitantis monitu, teſte *Huberto Leodio in hujus vita*, conſcripſerat, brevi dimitteret; animadverſo, mercenarium & collectitium militem à ſeſe immediatè dependentem longe aptiorem eſſe,

eſſe, ad premendos ſervitio populos. Quæ ratio feudalem quoque militiam per omnem Europam abolevit, quia tales copiæ potius ſunt regni quam Regum. Sed in Franciſco Principe licet ornatiſſimo, non erat illa conſtantia & intentio animi, quæ ad felices magnarum rerum exitus obtinendos requiruntur. Nondum detrita erant Gallorum vitia, præcipites impetus, negligentia & voluptatum obſequia cum oblivione rerum agendarum, quibus vitiis identidem Franciſcus ſpes incrementorum ſuorum corrupit. Noſtro demum tempore Galli hæc rudimenta, parta facile facilius amittendi, depoſuerunt.

2. Primordia regni bellumque ejus Italicum primum habuimus. Etiam ſecundum, in quo captus eſt ad *Ticinum* & tertium circa Neapolin, ubique exitu infelici, quæ non repetemus. Sed primum adverſus Cæſarem bellum incepit ab anno 1521 uſque ad 1529, quo pax Cameracenſis eſt facta. Sufflaminaverat adhuc impetum *Caroli*, ægrè ferentis Gallorum inſolentiam Præceptor ejus *Chievrius*, qui prævidens ex illorum commiſſione lernam malorum erupturam, auctor adhuc fuerat diſſimulandi & colendæ quietis. Sed Carolus Imperator factus, non poterat amplius concoquere, *Franciſcum* ſibi primas, ut erat ejus ingenium & mos gentis, vindicare. Idcirco aliorum uſus conſilio cum Leone Papâ in fœdus ad Gallos ex Italiâ pellendos, conſenſit; Quo Chievrius intellecto, vaticinatus, Heu *quantus*, inquit, fons *malorum*! P 4 3. In

3. In ſummâ tamen Carolo proſperum fuit hoc conſilium, ejectis ex Italia Gallis anno 1521. Inito fœdere cum Papâ, cum Anglo, cum Venetis contra eoſdem Gallos; conciliato ſibi Carolo Borbonio Regii ſangvinis Principe, Comite ſtabuli Franciæ, maximæ auctoritatis viro, quem amans ſpreta Regis mater, exoſa dein & bonis exuere conata compulit utà filio Rege deficeret. Pactus erat is cum Cæſare & Anglo, ut Galliam inter ſe partirentur, ipſe regnum Arelatenſe haberet, continens Italiæ proximas regiones, cum ſorore Cæſaris *Eleonora*, quæ nunquam ei contigit, data dein Franciſco Regi; Cæſar haberet Aquitaniam cum reliquis ſibi commodioribus. Anglus antiquas ſuæ gentis poſſeſſiones maritimas, cum Regis Franciæ titulo; quem tamen ei Borbonius (adeò propoſiti rem vaniſſimi ſerio agebant) pertinaciter adſcribere noluerat. Detectus à domeſticis *Borbonius* aufugit & Galliam bis aggreſſus eſt, ſemel à parte Burgundiæ; Sed Angli & Belgæ, qui ſimul ab alterâ parte Galliam invaderent, ſerius adfluxerunt, & ſic tamen à menſe Septembri, captis Royâ & Monte Diderici, Pariſios uſque terrorem ſparſerunt; Borboniusequitatu carens facile repulſus eſt; Ambo Cæſar & Anglus non contulere vires tam immani conſilio, partiendi Galliam, reſpondentes & Borbonio promiſſas. Hæc anno 1522.

4. Biennio poſtea Borbonius cum Italicis *Caroli* copiis *Provinciam* Galliæ invaſit, inde penetra-

netraturus in interiora regni, ubi defectionem motum iri ſperabat ingentem. Sed hoc propoſitum corrupit, Hiſpanis ita volentibus, obſidione Maſſiliæ, quam defendebat *Renzius à Ceri* Urſinus, antea defenſione Cremæ in Lombardiâ magnam adeptus laudem, quam auxit Maſſiliâ ſtrenuè retentâ, neque poſtea quicquam huic reputationi famæ conveniens exſecutus eſt. Borbonius autem intellecto, Franciſcum in Italiam contendere, relictâ ſubito Maſſiliâ, raptim per veſtigia ſua rediit: Et conſecuta eſt pugna Pavienſis aliaque *ſuperius* expoſita.

5. Tunc aut nunquam fuit occaſio ſtabiliendi Monarchiam ſuam Hiſpanis, ſi Galliam è continenti invadere potuiſſent; quæ viris & viribus exhauſta, nec conſentiens in regimine Reginæ matris, quam male conſuluiſſe credebant, ferendo, forte à Borbonio aliena non fuiſſet. Sed pecuniæ inopia & conſenſus Europæ reliquæ adverſus Cæſarem, cujus potentiâ omnes ſe oppreſſum iri metuebant, fecit, ut animos Gallia colligeret & mater regimen ſuum ſtabiliret. Primus Angliæ Rex à fœdere Cæſareo receſſit & Gallos confirmavit. Idemque Veneti, Pontifex & quicquid in Europâ validum ſupererat, ſatagebant, aperteque id conſilium detexere, poſtquam Rex liberatus declaraverat, ſe nolle ſtare conditionibus pacis, quarum præcipuæ fuerant, *Lytrum duorum millionum ſcutatorum aureorum*, *redditio Burgundiæ Ducatus*, *renuntiatio regni Neapolitani*, *Ducatus Mediolanen-*

 ſis,

ſii, Civitatis Genuenſis, & ſuperioritatis in Flandriam atque Arteſiam. Abſque Burgundiâ reliqua facile impleviſſet; ſed hæc Provincia majoris erat momenti, quam ut externo & æmulo Galliæ Principi concedi poſſet, in eoque Galliæ Proceres & populi conſentiebant, hunc Ducatum regno jam olim unitum, à Rege, qui tantum uſufructuarius eſſet, alienari non poſſe, ideoque promiſſionem hac gratiâ factam eſſe ipſo jure nullam.

6. Ab eo tempore Franciſcus operam dedit, ut Carolum fœderibus toto orbe contractis belloque adigeret ad filios ſuos obſides ſibi reddendos. Primum fœdus inter Papam, Franciſcum, Anglum, Venetos, Florentinos & Sforzam Ducem initum eſt anno 1527. bellumque in Italiâ perpetratum, Italorum operâ & impenſâ, ut intelleximus, neque cis Alpes Galli ſe commoverunt: Donec Româ captâ, Anglus & ipſe bellum Cæſari indixere; quo tempore Cæſar feciali Gallo dixerat, ſe nihil aliud expectaviſſe, à Principe qui ſibi *fidem fefelliſſet*, & antea Legato Gallico; *Quid ni*, inquit, *tuus dominus & ego potius duello rem decidimus, quam fundendi ſanguinis Chriſtiani finem nullum facimus!* Ad hæc deinde *Franciſcus* theatro in maximâ Pariſiorum aulâ ſtructo omnibuſque Legatis & Proceribus convocatis, dixit Hiſpanico Legato, is erat *Nicolaus Perenottus Granvellanus*; *Imperatorem, objectâ ſibi perfidiâ, eſſe mentitum; duellum oblatum ſe accipere. Locum & diem petere. Id ao-*

mino

mino tuo velim ſignifices, inquit. Granvellanus ſui id officii eſſe negabat. Ergo miſſus eſt fecialis. Et *Henricus* Anglus ne minus Gallo animoſus videretur, ſimilem Carolo fecialem miſit; cui quidem Cæſar reſpondit, ſe nihil habere cum illo perſonale decidendum. Sed Franciſco remiſit alium, qui denuntiaret ei; Franciſcum teneri, Prius quam diem & locum duello adſignaret, *fidem ſibi datam præſtare*, quâ juraverat; Si conditiones, quibus erat dimiſſus, non implerentur, *ſe in carcerem rediturum.* Sed Franciſcus id audire non ſuſtinens feciali præcluſit audientiam. Propoſuerat autem pridem Ordinibus ſuis; ſe paratum eſſe ad reditum in carcerem, ſi hoc mallent, quam cedere Burgundiâ; Reſponderant, Neutrum fuiſſe in Regis poteſtate, polliceri perſonam ſuam vel Burgundiam; utramque eſſe regni non Regis: Ita duellum evanuit & theatrum eſt ſublatum.

7. Bellum inde totum in Italia fuit, de cujus infelici pro Gallis ſucceſſu diximus. Angli induciis tempus belli tranſegerunt, donec pace *Cameracenſi* omnia tranſacta ſunt *d.* 5. *Auguſti* 1529. conditionibus antea Madriti, cum Franciſcus dimitteretur, conſtitutis, excepto *Burgundiæ* Ducatu. Duxit etiam Franciſcus in Uxorem *Eleonoram* Cæſaris ſororem, quæ parum ad ejus animum facta nomen quidem Reginæ, Sed uxoris rem habuit *Anna Piſſelocia*, à matre ipſi ex carcere venienti donata, cui Ducatus *Stamparum* tribuit amator *titulum.* Exinde ſexennium

Et excitaverat hanc opinionem hominum, vaticiniis quoque prophetarum & hariolorum firmatam, quæ jactabant, *Carolum totius Europæ imperio potiturum*; cujus rei implementum nihil quàm Gallia retardabat. Quibus abreptus vaticiniis *Franciſcus* Marchio Saluſſius maximis à Gallo beneficiis cumulatus, ad Cæſarem transfugit. Sed periit, antequam fieret Adſeſſor monarchiæ univerſalis; quemadmodum Antonius *Leva* Caroli auctor, militiæ egregius ejuſmodi credulitate vaticiniorum ingenium corruperat; ut ſe Galliâ ſubactâ, Lutetiæ, victoriâ ſatiatum morte moriturum jactitaret.

10. Exercitum habebat Cæſar XL millium peditum & decem millium equitum, virtute quam numero meliorem; interea à partibus Belgicis Naſſaviæ Comes cum exercitu XXX millium irrumpens Lutetiam Pariſiorum uſque, terrorem portabat. Sed Franciſcus habens in memoriâ Gallicos errores adverſus Anglos toties Galliam invadentes, prælio ſe non obtulit, caſtra opportunis locis munivit, urbes validis præſidiis inſtruxit, hoſtibus undique commeatus interclusit, ipſe ſuis in agris omnibus abundans. Ita brevi Imperatorem, Maſſiliam obſeſſam derelinquere & Italiam non ſine maximis damnis repetere coëgit. In Belgicâ Naſſavius Guiſâ capta Peronnæ obſidione tempus & copias ſuas ita conſumpſit, ut eodem tempore quo Cæſar in Italiam, ipſe in Flandriam redire ſit coactus. Receſſus illis fuit indemnis, etſi valde oppor-

portunus ultioni, quam Galli expetebant. Sed valuit dictum vetus; *Hoſti fugienti pontem*.

11. Inter has turbas, *Franciſcus* Delphinus magnæ ſpei Princeps veneno ſublatus eſt è medio, quod ei propinatum eſt à *Sebaſtiano* Montiscuculi Comite, cum Valentiæ pilâ ludens aquam è puteo vicino ſitiens hauſiſſet, cui ille toxicum miſcuerat; fraude, creditum, *Catharinæ de Medicis*, quam Henrico ſecundo Regis filio diximus *ſuprà* nuptam, quæ hoc pulvere *ſucceſſionis*, marito regnum & ſibi reginæ decus acquiſivit.

12. Inde poſt aliquot modicas in Belgium & è Belgicâ expeditiones, præter Italicas, de quibus actum eſt, bellum per inducias identidem productum fuit, quarum beneficio Cæſar tutum & honorificum per Gallias iter habuit, ad coërcendos *Gandenſes*, qui rebellaverant & quos *Franciſcus*, à Carolo ſpe Ducatus Mediolanenſis, quaſi filium ipſius eo donaturus eſſet, lactatus adjuvare noluit.

13. Adſecutus quod voluerat Cæſar, promiſſiones Franciſco ſpe magis quam re factas, ut conſentaneum erat, eluſit. Qua re cum ſe deluſum Rex ægrè ferret, auctores amicitiæ cum Cæſare cultæ, *Monmorantium* Comitem ſtabuli & *Brionium* Thelaſſiarcham ab aulâ removit. Dein ad belli conſilia reverſus arctum fœdus cum Solimanno Turca contraxit, à quo *Franciſcum* eſſe dictum fratrem & Imperatorem, qui Carolum Cæſarem duntaxat Hiſpaniæ Regem

gem appellaverit, mire ſibi placent ſcriptores Galli. Solimanus ex pacto, non modò in Hungariam deſcendit, ſed Hariadenum quoque Barbaroſſam cum claſſe miſit, ut unâ cum Gallica Niſſam urbem Sabaudiæ Ducis occuparet; quo fruſtra tentato, Turcæ cum in portubus Gallicis hibernaſſent, vere primo abierunt, ſine ullo pro Gallis, niſi malæ famæ & offenſæ mutuæ fructu, anno 1544.

14. Sed Carolus Cæſar, Anglo reconciliatus eadem æſtate cum ingenti exercitu invadens Galliam, occupavit Luxenburgum, facilius quam credebatur, capto paulo ante Cameraco; & ſi recta Lutetiam perrexiſſet, Anglo ſibi juncto, ut convenerat, Galliam Franciſco adhuc imparato, graviſſime conturbaſſet. Sed ad *Deſiderii fanum*, quod facile ceſſurum putabat, ſex ſeptimanis hæſit; defenſum à Lalandio, qui anno præcedente *Landrecium* æquè invalidum oppidum adverſus eundem Cæſarem, ita defenderat, ut re infecta diſcedere coactus fuerit; adeo tum poliorcetica languebat! & Anglus non minus temporis in Boloniâ oppugnandâ conſumpſit. Hæc mora ſaluti fuit Galliæ. Carolus tamen oppido iſto & mox Thiericicaſtro occupatis, omnia, tanto timore complevit, ut Pariſios è Lutetiâ fugaret, denique Franciſcum ad pacem compelleret, initam *Creſpiaci* in ditione Laodunenſi, Cæſari utilem & glorioſam, reſtitutis omnibus, quæ noviſſimo bello capta fuerant: unâ duntaxat adjectâ promiſſione, dandi

di Carolo Duci Aurelienenſi filio Regis juniori filiam ſuam cum Ducatu Mediolanenſi, aut omni Belgicâ & Burgundiâ ac Caroloeſii comitatibus; quæ tum pariter Mediolani ducatum valere credebantur.

15. Sed Duce Carolo brevi poſtea mortuo, hac etiam conditione liberatus eſt Cæſar. Amaverat hunc Pater & ejus amica *Stampenſis* præ *Delphino* ſciſſaque erat in duas ſpiſſas factiones Aula. Quæ pro Aurelianenſi erat pacem, invito & proteſtante Delphino obtinuerat, cum eò partium invaluiſſet ſtudium, ut hoſtibus altera non obſcure ſtuderet, Caſtrumque Thierici, ſine quo Imperator exercitum alere non potuiſſet, ei prodidiſſe crederetur; ſiquidem victo Cæſare & ipſa factio victa fuiſſet: quæ mox tamen ducis Aurelianenſis morte, Delphino tam opportuna, ut ab illâ parte procurata videretur, victa divinitus eſt ac abolita anno 1545. quo etiam pax inter Gallos & Anglos coiit, ſub lege reddendi Boloniam pro 800 millibus coronatorum aureorum, octo annuis penſionibus.

16. Dum Carolus Cæſar, refutato Gallo, in Germaniâ ſuo arbitratu dominatur, *Franciſcus* morte Henrici *Angli*, cujus amicitiâ fretus nova conſilia coquebat, non parum commotus hanc mortalem vitam clauſit, ultimo die Martii 1547, commendans filio, ut caveret quicquid ipſe peccaverat; quemadmodum ſolent Principes, magis ut animos ſuos exonerent, quam quod

quod auctoritatem mortuorum apud ſuperſtites contra ſuas rationes valituram credant. Ingenium, virtutes & vitia Principis hujus ex ſupra dictis intelligi poſſunt. Liberalitate, magnificentiâ, clementia, amore literarum, quarum Pater merito dictus eſt, magnus: Sed feminis & luxui deditus, nec ideo providendis rebus ſuis æquabiliter intentus, etiam arbitrariæ dominationis auctor in primis. *Imperavit annis* 32.

CAP. XI.

De rebus Gallicis ſub Henrico II.

SUcceſſit ei HENRICUS filius, eximia corporis formâ, viginti ſeptem annorum juvenis, habens uxorem *Catharinam de Medicis* Florentinam, cui etſi nihil quod marito ſatisfacere poſſet, ad amorem & luxum deeſſet, tamen ſerviebat palam *Dianæ*, ex antiqua Comitum Pictavienſium familiâ oriundæ, Ducis nomine *Valentinenſis* ornatæ, feminæ quadragenariæ, trium liberorum ex alio viro matri, pulchritudine nihil præ cæteris, aliorum amoribus addictæ; quando omnibus conſtabat, eam non minus amare Carolum *Coſſaum Briſſacum*, quam Rex ipſam deperibat, non privatim modo ſed etiam publice ei obnoxius, ut mulieris arbitrio cuncta regerentur omneſque ejus amicitiam adfectare cogerentur, quos inter vir graviſſimus *Annas Monmorantius*, Comeſtabuli & Guiſii fratres,

Q qui

qui tunc in ſcenam prodire coeperunt, utrique adfinitate cum illâ conjuncti. Tanta regis in mulierem prodigam indulgentiâ factum eſt, ut cum ærarium inveniſſet luculentum, nihil æris alieni à Patre contractum, etſi is per 30 annos bella maxima geſſerat, lytra immenſa ſolverat, Liberalitates in homines armis & literis bene meritos adſiduas exercuiſſet, ipſe nequaquam tanta onera ſuſtinens tredecim annorum ſpatio, tributis notabiliier auctis, 15 vel 16 milliones æris alieni reliquerit.

2. Bella coepit occaſione motuum Germanicorum, quos pater neglexerat & quibus ille rem fecit; Quando cum Mauritio Saxone & Alberto Brandeburgico foedere contracto, præ ſe ferens magnificum liberatoris Germaniæ titulum, non ſegniter primo ſibi ipſi cavit, occupatis tribus Imperii liberis civitatibus, Metis, Tullo & Viroduno ſitis in Lotharingiâ, quas ex inde ſemper retinuere Galli, prætextibus inde à Carolo M. & Auſtraſiæ regni memoriâ repetitis. Quominus Argentorato æquè potiretur, fecit conſtantia & concordia civitatis, cujus ſi dimidium adfuiſſet eorum poſteris, *Ludovicus* XIV. pulcherrimam Rempubl. nuper à corpore Germaniæ diſtractam ſibi tam facile non mancipaſſet.

3. Quomodo Metin Carolus Cæſar eodem adhuc anno 1552 obſederit, irrito ſucceſſu, dictum eſt in *Germanicis:* Sed diſtrahendis Gallis idem Cæſar, per Comitem Roëſium, cum exercitu Belgico Picardiam juſſit invadi, à quo Noviodun●

duno & Heſdino captis, Lutetia rurſus in ſummum adducta terrorem late fugam ſparſit, indeque Teroanam vi captam diruit funditus, ut modo nihil ſuperſit, quam campus, ubi *Teroüana* fuit, inter Audomari fanum & Boloniam ſita. Habebant quidem Galli exercitum 60 millum, ſed prælio abſtinebant, obſervando motus Immanuelis Philiberti Sabudiæ Principis, ſtrenui & prudentis, cujus Pater vir *melior & juſtior, ait Mezeraus, quam ut felix eſſe poſſet*, anno ſequenti in exilio mortuus eum Ducem fecit ſine terris. Præerat exercitibus Imperatoris: Sed defenſio hujus anni, cum Metis tum univerſæ æſtatis bene ceſſit Gallis fuitque victoriæ loco ampliſſimæ.

4. Delaſſatis nondum ſatiatis bello partibus, ſequens annus quaſi tacitis induciis præteriit; ſed anno 1554 Rex paria redditurus Cæſari, cum exercitu L. millium invaſit Belgicam, inter alia loca incenſo Marioburgo, à Mariâ Hungariæ Reginâ Caroli ſorore condito & ornato, in ultionem dicteriorum, quibus amores Henrici deformes inſectatata fuerat. Inde *Rentium* caſtellum obſedit; verum Carolo ſubveniente, quanquam prælio commiſſo res Gallica ſuperior viſa fuerat, obſidionem tamen ſolvere coactus in hyberna conceſſit: At Cæſar ultimos conatus ſuos; habebat enim in animo, quod mox inſtituit, abdicare imperium; alacres exhibiturus, in campos rediit, Picardiam vaſtavit & novum condidit oppidum, in paludibus antiqui Heſ-

dini, nomine FERT, quæ ſunt literæ ſymbolicæ domus Sabaudicæ; Philibertus enim Sabaudus expeditioni & ſtucturæ præpoſitus, hoc monumentum injuriæ quam *ferret*, dum liceret ulciſci, extare volebat.

5. Nec diu cunctata Nemeſis optatam præbuit occaſionem, anno 1556. Quando poſt tranſlationem regnorum à Carolo in Philippum filium Bruxellis factam, idem *Philibertus Immanuel* Quintini fanum, in quo *Colignius* Thalaſſiarcha Gallicus nepos Annæ Monmorantii Comitis ſtabuli imperabat, obſideret: Colignium avunculus obſidione liberaturus cum ingenti exercitu imminebat. Huic *Philibertus* die Laurentio ſacro ſe obviam tulit, *Lamoralio* Comite *Egmondano* equitatui præfecto. Pugnatum eſt memorabiliter & victi ſunt Galli clade non minore, quam apud Ticinum, eoque periculoſiore, quod victor liberum in intima regni introitum haberet; Dux ipſe Monmorantius captus, omnis fere nobilitas cæſa vel capta, Laus diei fuit penes utrumque Ducem nominatum; majore in Egmondanum favore popularium nec ſine invidiâ Hiſpanorum.

6. Ajunt rogaſſe Carolum, qui jam depoſito Imperio agebat in Hiſpaniâ, numquid filius ſuus eſſet in Pariſiis; & mirati ſunt plerique, fructum victoriæ non fuiſſe majorem quam urbis obſeſſæ deditionem, ægre nec niſi extrema vi adacto Colignio, cum aliquot oppidis circumjectis. Quandoquidem Galli ipſi faten-

tentur, nihil fuiſſe, quod obſtaret, quo minus è continenti Lutetiam caperet; Ajunt eum fuiſſe diffiſum Philiberto, ne is à Gallo, reſtitutione ſui regni oblatâ, corrumperetur; Sed Veriſimilius eſt, Philippum, inſitâ naturâ prudentiæ Laudatorem hoc ut nimis calidum & ſpecioſius quam ſolidius reſpuiſſe; quando ſi quid adverſi, ut facile in alieno regno uſu venire poterat, eveniret, major erat metus pro Belgicâ, quam victoriæ duraturæ contra Galliam.

7. Statim enim vocatus ex Italia *Guiſius* audax & felix belli, cum exercitu adfluens & Legatus Regis Generalis declaratus, non modo coercuit hoſtem & amiſſa recepit, ſed etiam Angli, qui ſe Philippo reginæ ſuæ marito conjunxerant, antiquiſſinam gentis in Continenti poſſeſſionem, *Caletum* cum locis ſubjectis intra octiduum vi magna, majore fama ademit, annis ccx poſtquam ab Anglis captum fuerat; nec unquam exinde pedem Angli in Gallia figere potuerunt. Brevi poſtea *Thionvillam* magni tunc habitam Guiſius idem cepit, auxitque gloriam ejus, quod Paulus *Thermus* dux Gallorum egregius, qui *Dunkerka* & *Gravelinga* captis, multâ onuſtus præda domum redibat, à Lamoralio *Egnondano* majores ducente copias cum ſuis internecione fere deletus eſt. Ab hoc tempore Guiſii animos hominum poſſidere Monmorantiiſque non modo comparari ſed etiam præferri coeperunt. Ex quâ æmulatione duæ fa-

ctiones in Gallia natæ turbas in tempore dederunt.

8. Æſtate ſequenti duobus hinc inde maximis exercitibus prodeuntes in pacem coierunt, initio ſequentis anni, apud *Caſtrum Cameraci*; hac ſumma lege, ut adempta utriſque reſtituerentur; cujus vi Hiſpanus tria tantum oppida reddidit; Gallus cxc loca munita, Sabaudiæ & Pedementii reſtitutione ſub illis comprehenſa, pro jure meritoque *Philiberti Immanuelis*, qui Regis Henrici ſororem Margaritam accepit uxorem. Philippus Rex amiſſa nuper uxore *Maria* Anglicana, Iſabellam ejuſdem Galli filiam duxit. In quibus nuptiis, cum Rex Henricus haſtiludio adverſus Comitem Mongommerium reluctantem ſatis & regis imperio ſubactum contendiſſet, ruptâ hujus lanceâ, contigit, ut truncus haſtæ Mongommerianæ, quam in manu retinuerat, Regis fronti infra ſupercilium dextrum impingeretur. Ex quo ictu cis paucos dies, nullo ſermone edito vitam cum morte commutavit, anno regni 14, ætatis 41. Mediocris imgenii Princeps, regendi perſe incapax, feminæ impudicæ ſerviens deformiter; cujus aula fuit infamis licentiâ omnis nequitiæ, blaſphemiæ, luxus, aleæ & nigrarum divinationum; quæ altiores deinceps egerunt radices.

CAP.

CAP. XII.

De rebus Anglicanis ſub Henrico VIII.

IN conflictu Gallicæ veteris & Auſtriacæ creſcentis potentiæ, non imparibus partium viribus, magni momenti habitam fuiſſe Angliam, non eſt mirum; quod Rex Henricus VIII; & imprimis ejus miniſter Cardinalis *Wolſæus* impenſè præ ſe tulerunt: Ut non veriti ſint, in tabernaculo, quod magnificum è ligno ſtruxerant apud *Guines* oppidum, ubi Colloquium cum Galliæ Rege celebrabatur anno 1520, juxta hominem Gallum & Hiſpanum pugnantes, pictum exhibere Sagittarium Anglum, cum hoc elogio; *Cui adhæreo, præeſt*, Quod pro reliqua iſtius Cardinalis inſolentia non eſt quod miremur. Carolus Cæſar deinde non minore cum pompa exceptos Gravelingæ Caletum rurſus deduxit.

2. Et quidem in certamine partium faciendarum vicit æmulatio gentium & invidia adverſus Franciſci progreſſus in Italiâ; duravitque fœdus illud cum Carolo, majore tamen ſtrepitu Anglicano quam motu vel fructu; quemadmodum in *Gallicis*, ubi de Borbonii defectionè diximus, Anglos multo ſerius quam convenerat, menſe demum Septembri 1523 in Galliam trajeciſſe, fugato jam Borbonio. Quare nihil quam terrore Pariſiis oblato, tertia parte copiarum amiſſâ, in Angliam redierunt. Anno ſequente convenit, ut Anglus domi manens centena au-

aureorum millia menſtrua ſolveret, & ſolvit uno menſe, nec amplius.

3. Rege *Franciſco* ad Ticinum capto, anno 1525, cum metus eſſet, ne Carolus Imperator omni ferme Europâ potiretur, Henricus ſtatim rem Gallicam recreavit fœdere cum matre Franciſci pro conſervatione coronæ Francicæ inito, idque poſt biennium, Rege liberato, novo fœdere corroboratum eſt, quo Henricus tricena millia ſcutatorum aureorum menſtrua ad ſcribendos alendoſque è Germaniâ milites liberandi Pontificis cauſâ conferret: Sed hæc pace Cameracenſi quam diximus, involuta & obliterata ſunt.

4. Henricus ab eo tempore in ſuo inſulari theatro perſonam egit mirificam; ab ingenio luculento & generoſo delapſus ad crudelitatem & inconſtantiam, ipſius gentis ingenio longe majorem. Ordines regni Pater ejus ita longo imperio adſuefecerat, ut ſe aliud eſſe quam Regis Conſiliarios obnoxios, præ ſe non ferrent: Idque filius ita preſſit, ut nunquam aliud egerint, quam ut decretis ejus ſuo conſenſu formam Legum tribuerent, utcunque duris & inexpectatis.

5. Primo omnium matrimoniis ſuis intonuit. Habebat uxorem *Catharinam* Arragoniam Caroli Cæſaris amitam ſingulari virtute præditam mulierem, ſed viro ætate majorem & ad ejus laſciviam minime factam; cui accedebat deſiderium maſculæ prolis, cujus ex illa ſpes habendæ

dæ decollaverat. Exarſit amore puellæ, Reginæ ſervientis, *Annæ Bulleniæ*; quam ſui & illius affectui obſequens Reginam videre concupivit. Quod cum ſine divortio fieri non poſſet, conſcientiam præ ſe tulit; cui adverſum eſſet, fratris viduam habere in matrimonio, Conſenſu licet, uti factum erat, Pontificis adhibito.

6. Non defuerunt, ut fit, qui adſtipularentur, quos inter ipſe *Volſæus* odio *Caroli* Cæſaris, quia poſt victoriam Pavienſem deſierat ad illum ſuâ manu ſcribere & ſubſcribere, Eminentiæ tuæ *filius & cognatus:* Verterat hic animum ad Margaritam Franciſci Regis ſororem Regi ſuo conciliandam. Sed cum amores Bulleniæ ad nuptias ſpectare ſentiret, ipſe *Campegio*, Papæ nuntio, fuit auctor non tradendi diploma divortii, à Pontifice jam expeditum, ſed mox, rebus Cæſaris nimium florentibus, ſuppreſſum. Henricus hoc animadverſo, amore victus alio, delevit illum ex affectu ſuo, relegavitque *Eboracum*, ubi Archiepſcopus erat; mox ad cauſam dicendam evocavit; quod ille, gnarus ingenii regis, ut nuntium mortis accepit, inque ipſo itinere, morbo magis animi quam corporis obiit, anno 1529; Exitu digno illis, qui Principum gratia abutuntur ad inſolentiam, quæ in illo tanta fuit, ut hac formulâ, in nummis etiam cuſis, quod ajunt, uti ſuſtinuerit; *Ego & Rex meus*: Id ſane conſtitit vulgo, ſi quid Rex ſine illo promiſiſſet, id nullius momenti eſſe; Quod ille ſine Rege voluiſſet, eſſe firmiſſi-

mum. Una Vox ejus haud indigna fuit relatu, morientis; *ſi Deo tam bene quam Regi ſuo ſerviiſſet, nihil fore, de quo in extremis laboraret.*

7. Divortii interim fervebat negotium, non modo in Angliâ & in Curiâ Pontificiâ, ſed omni Europâ, conſultationibus & reſponſis, per Academias Theologorum & Juris utriuſque doctorum ſententiis requiſitis, quæ in Germania pro Catharinâ, in Gallia pro Henrico, in Italia pro utriſque, ut Caroli vel Franciſci Henrico ſtudentis aut adverſantis auctoritas valebat, exierunt, eoque res tandem deſiit, ut Henricus moræ & amoris impatiens ab Archiepiſcopo Cantuarienſi conjugium Catharinæ retro nullum pronuntiari Annamque ſibi copulari clam curaverit anno 1533, quod tamen brevi palam factum ſequuta eſt è continenti excommunicatio Papalis, forte nimis propera, atque hanc defectio Regis à Pontifice Romano, Rege ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ ferente, quod ab Ordinibus ſuis, etſi Catholicis approbari curavit; etiam hoc, ut Eliſabeth ex Anna recens nata, *Mariâ* Catharinæ ſecluſa, ſuccederet in regno; etſi deinde Mariam præferendam ab iiſdem Ordinibus declarari curaverit. Qui his rebus contradicerent nec ejus *Superioritatem*, quam vocant Eccleſiaſticam agnoſcerent, quos inter Thomam *Morum* regni Cancellarium & Johannem *Viſcherum* Roceſtriæ epiſcopum, carnificis gladio ſubjecit.

8. Poſt hæc monaſteria, quibus ſalvis, ſuum in Eccleſiam imperium ſtare non poſſe noverat, ag-

aggreſſus, ſexcenta quadraginta ex illis in univerſum & nonaginta collegia ſubvertit eorumque bona ſibi vindicavit: uſus ea in re acri miniſterio *Thomæ Cromvelli*, Proteſtantiam doctrinæ addicti; cujus impulſu imagines & reliquias ſanctorum, etiam *Thomæ Becketi* Cantuarienſis olim Areſchi-Epiſcopi oſſa, quæ tot tantiſque miraculis inclaruerant, incendit; biblia ſacra in Anglicum verti aliaque Reformationis inſtituta recepit: Etſi à religione majorum ſuorum nolle ſe deficere eo teſtabatur, quod aliquando Pontificios, Papam ut Eccleſiæ caput agnoſcentes atque Proteſtantes iiſdem ignibus cremabat.

9. Catharina Regina ſeorſim poſt divortium habitans biennio poſtea deceſſit, ſcriptis ad Regem amantiſſime literis, ſalutem propriam & communem filiam ei commendans. Anno vix elapſo à morte Catharinæ *Annam* conjugem nuper adeo dilectam, quaſi ream fraterni inceſtus ac adulterii capite mulctavit, dubium, an convictam: Ipſa mortis nuntium ita accepit, ut non modo innocentiam ſed & martyrium ſibi arrogaret, his verbis uſa. Se gratiam Regi pro duplici beneficio debere, *quod reginam prius, martyrem poſtremo feciſſet*. Erat utique proteſtantium addicta profeſſioni ſed moribus haud æque probata. Henricus paucis diebus poſtea duxit in thorum *Janam Seimouriam* . quæ cum ei filium peperiſſet *Eduardum*, è vita deceſſit. In ejus locum duxit *Annam* Clivenſis Ducis ſororem, Lutheranam, auctore Cromwellio, malis avi-

bus:

bus: Cum enim mulier Regi inde à primo adſpectu, quam incognitus perceperat, non placuiſſet, ille gratiam & brevi caput amiſit ſuum.

10. Henricus nihilo majore difficultate ſuos Ordines ad divortium *Annæ* Clivenſis quam ad cætera inſana conſilia approbanda induxit. Illa tamen in Anglia tánquam Regina non male habita manere maluit, quam in Germaniâ divortii ſuſtinere verecundiam; Sedecim poſt annis in Anglia ſuas exuvias depoſuit. Henricus quintis nuptiis *Catharinam Havartham* ſibi junxit anno 1542, quam pertæſus anno ſequenti eodem turris Londinenſis loco, quo *Anna* ceciderat, ictu ſecuris peremit; quaſi ob ſponſalia futuri temporis, ante ſuas nuptias contracta & adulterium deinde commiſſum at minime probatum; Ordinibus Regni non tantum applaudentibus, ſed illum etiam invidiâ ſupplicii exigendi liberantibus, rogando illum & conſolando, ne ſe maceraret, ipſis ad ultionem exequendam paratis, plane ad exemplum Tiberiani vel Claudiani Senatus: Proinde Reginam & quoſdam alios ut conſcios conſciaſque, denique & ipſum priorem Sponſum, quod Regem paſſus erat ducere ſuam Sponſam neque rem, ut erat, detexiſſet, capitis damnatos ſupplicio adfecerunt.

11. Paulo poſt, ſumpto *Hiberniæ Regis* titulo (antea Domini fuerant dicti Angliæ Reges) ſextam uxorem duxit, *Catharinam Parriam*,

La-

Latimeri cujuſdam viduam, virginibus ſcilicet in ejus thoro non durantibus, ut diverſum genus experiretur, etiam Euangelicæ Confeſſionis; quæ parum etiam abfuit à ſupplicio, quod jam rex quodam tempore imperaverat, ab ipſâ tamen inſigni dexteritare remotum; adeoque ſuperſtes ei fuit. Poſt triennium in hoc matrimonio exactum & poſt motus aliquos belli in Galliâ, de quibus antea dictum, homo vitiis & abdomine gravi onuſtus, aliquando ſe ſuoſque vexare deſiit; *anno ætatis* 56, *regni* 38, *Chriſti* 1547.

CAP. XII.

De rebus Anglicis, ſub Rege Eduardo VI. & Maria Reginâ.

TRes erant Henrico liberi EDUARDUS, *Maria*, *& Eliſabeth.* Filius etſi novennis prærogativa ſexus, teſtamento Patris, nec minus lege regni, ſucceſſit. Protector fuit Eduardus Seimour regis avunculus Dux Somerzethi, præſes conſilii, quod unâ cum illo jus Regium exerceret. Res bellicas cum Scotis in ſequens caput *differemus.* Sed Protector Euangelicæ addictus profeſſioni Pontificia ſacra, conſentiente Senatu & mox Ordinibus, etſi pleriſque Pontificiis, nondum conſcio juris aut virium ſuarum Parlamento, abrogavit. Quæ res motus varios populares, quibus præter Scoticum acceſſit bellum Gallicum, concitavit.

2. Sed

2. Sed transverſaria Procerum pluris fuerunt. Protector Somerſethus ab uxore feminâ arrogante, quæ ferre non poterat Catharinam Henrici Regis viduam fratri Prætectoris Thomæ *Thalaſſiarchæ* nuptam ſe præcedere, denique ab inimicis utriuſque incitatus, fratrem ſuum, ſtrenuum hominem perduellionis ficto crimine damnatum ſecuri percuſſit.

3. Tunc ipſe nudus patuit æmulis, qui coitione facta, illum cuſtodiæ datum Protectoris officio dejecerunt. Bellum Gallicum deinde, reddita pro 400. M. aureorum Boloniâ, pace finitum. At Sommerzethus à Northumbriæ duce agitatus, illumque ut inimicorum ſuorum præcipuum peroſus, occidendi cauſa cum armis ad illum ingreſſus eſt, at blanditiis ejus propeditus à facinore, ſtatim arreptus & capite mulctatus eſt. quod ſupplicium piè & conſtanter tulit; ut Angli hac laude, perſonam publicè morientis melius quam viventis agendi, præcellunt.

Sed Eduardus anno regni 7, ætatis 16. adoleſcens magnæ ſpei, pietate jam doctrinâque ſupra ætatem egregius, fato conceſſit, anno 1553, non ſine ſuſpicione veneni lenti à Northunbriæ Duce dati, qui perſuaſit ei, heredem regni declararet *Johannam Grayam* nurum ſuam, regii quidem ſanguinis, ſed poſt Mariam & Eliſabethen, quarum natales Northunbrius traducebat, etiam poſt Scotiæ Reginam ideoque vano conatu.

5. Quod enim omnes de jure MARIÆ

per-

perſuaſi erant, *Northunbrius* etſi Johannam Londini Reginam proclamari curaverat, exercitumque adverſus Mariam eduxerat, intra decem dies ab omnibus deſtitutus in carcerem conjectus & brevi cum aliis conſortibus, *Johannâ* tamen adhuc excepta, capite punitus eſt.

6. Maria 37 annos nata properabat ad nuptias & prolem; *Philippus* Caroli V. filius memor, Auſtriacam domum matrimoniis potiſſimum debere ſuam magnitudinem, illam duxit, conditionibus, quæ Mariæ & Anglis placuerant. Multi tamen externam inde proſpiciebant dominationem & minorem Angliæ gloriam, ſi majoris Imperii fieret acceſſio. Hinc turbæ & bellum duce Thoma *Whyato* Cantienſi, qui primo ſatis properè & proſpere agens Reginam fere Londini oppreſſerat: Sed in ipſo rei gerendæ articulo cunctatus, & mox profligatus ſe ipſum turpiter dedidit, capite punitus, ut res erat: tunc etiam *Iohanna* quæ Reginam egerat, cum marito & patre, qui ſe Wiatho junxerat, pariter ſecuri percuſſa fuit, inuſitato conſtantiæ & pietatis exemplo.

7. Hic ſucceſſus inſtrumentum ſequentis, fuit, quo Anglia rurſus ad ſacra Pontificia, quanquam Euangelio à pleriſque jam recepto, reducta eſt, anno ſecundo Imperii illius, Ordinum regni conſenſu, qui ſic ab utroque Henrico adſuefacti erant, ut quid eſſet Regibus obluctari neſcirent, nec multo poſt Eccleſiaſtica bonæ quæ Pater ejus publicaverat, veteribus dominis reſtituta ſunt.

8. An-

8. Anno quarto regni miſcuit ſe bello mariti contra Gallos, malis avibus; Amiſit enim Celetum cum adnexa ditione, qui primus & ultimus erat fructus veterum Anglicarum in Galliis victoriarum: Hæc res tantnm dolorem attulit Reginæ, auctum diuturnâ mariti abſentiâ, ut contracto morbo deceſſerit, eluſa prius imaginaria ſpe partitudinis *d.* 17. *Novembr.* 1558. qui eſt terminus *hujus ſection.*

CAP. XIV.

De rebus Scoticis

Res Scoticas hoc loco ſeorſim ponemus. Poſt *Jacobi* V. Regis deſideratiſſimi mortem in infelici prælio ad Fluidonem cæſi, *Margarita* uxor infantis filii Tutrix è teſtamento & Ordinum conſenſu facta, cum poſt tres menſes nupſiſſet Archibaldo *Duglaſſio* Comiti Auguſiæ corporis animique dotibus eximio, tutelam amiſit, ad quam Poregis titulo vocatus eſt anno 15'5 *Johannes Albini* Dux regii ſanguinis princeps; ſed qui Gallicæ militiæ, magna cum fama & honore diu operam dederat. Is præfuit uſque ad annum 1524 majore medii temporis parte in Galliis exacta; Quæ res Scotos movit, ut abrogatâ proregi poteſtate abſenti, Regem undecennem ſub præſidio matris à marito peregre agente alienatæ, admoverent.

2. Sed Reginæ maritus ab exilio reverſus cum *Johanne Stuarto* Leviniæ, Caleno *Cambello* Argathe-

gatheliæ Comite Triumviratu conſtituto, Regem & Remp. in poteſtatem redegerunt: Verum Duglaſſiis omnia ſibi vindicantibus, Cambellus ſeceſſit; Levinius cum ſuis Regem ex illorum manibus non invitum eripere conatus eſt; Duglaſſii cum Rege fugiebant, eoque moras nectente, Georgius Duglas, cum blandiendo ei celeritatem injungere non poſſet; *Potius quam te hoſtes,* inquit, *nobis eripiant, altera diſcerpti corporis tui pars penes nos manebit:* quod dictum Rex ei nunquam, ut res erat, ignovit. Levinius tamen fruſtra fuit; Hamiltoniis, qui prius Reginæ jam latenti conjuncti fuerant, Duglaſſio aggregatis. Nec tamen diu poſtea Rex, è manibus Duglaſſiorum elapſus, illos coactis comitiis, proſcripſit anno 1527. & ſequenti cum Anglo, quicum belli ſtatus adhuc magis quam certatio fuerat, inducias pepigit quinquennales, quibus finitis belloque ad breve renovato, pax coiit, *anno* 1533.

3. Quadriennio poſtea Rex in Galliam profectus eſt *multis è Procerum numero proſequentibus*, ait Buchananus; *Sedecim millibus*, ſcribit Mezeræus, quaſi Galliæ à Cæſare tum devorandæ ſubventurus; Sed melior eſt Buchananus auctor, Jacobum non ad bellum, quod tum peractum erat, ſed ad nuptias properaſſe. Igitur uxorem à Franciſco Rege petiit ac impetravit *Magdalenam* ejus filiam, eâque febri hectica, ut Pater prædixerat, eodem anno extincta, duxit *Mariam* Guiſianorum Ducum ſororem. Ex quâ

duobus filiis auctus, cum inter alios *Jacobum Hamiltonium* temere ad mortem damnaſſet, hunc in ſomnio imaginatus eſt ſibi utrumque brachium præcidere & mortem minari: Et ſequenti mane utrumque filium morte periiſſe intellexit. Ipſe pluribus tranſverſariis & dolore cladis ab Anglis inſuper acceptæ confectus eos ſequutus eſt, herede filia octo dies nata, 1539.

4. Prorex electus eſt *Jacobus Hamiltonius* regii ſanguinis primus, à Proteſtantium Secta non alienus; ſed ingenio factioni Reginæ & Cardinalis *Betonii*, qui totis viribus mutationi Religionis obviam ibant, impari. Pacem hi cum Anglo initam & nuptiis Reginæ infantis cum Angli filio ſanciendam turbarunt, Leviniæ Comitem ſpe nuptiarum Reginæ viduæ ipſumque Proregem ejurata religione ſibi adjunxerunt, Mox Levinium in Angliam ejecerunt. Sed Cardinalis cum *Georgium Sophocardium* Euangelii præconem in arce Sanct-Andreana comburi ſe coram juſſiſſet, iſque in igne Cardinalem intuitus exitium ei cis paucos dies imminens prædixiſſet, à paucis conjuratis in eadem arce ſingulari dolo & audacia trucidatus eſt; ab eadem feneſtra, è qua ſupplicium martyris ſpectaverat, pependit, *anno* 1547.

5. Eodem anno Angli Scotiam invadentes, Scotos ad *Praſtinum* vicum ingenti clade, Proregis maximè culpa, vicerunt. Sed venientibus è Gallia, duce prium *Deſſio*, dein *Termio*, auxiliis, nec Angli quicquam in ſumma profecerunt & Re-

& Regina Scotorum in Galliam *Delphino* nuptum tranſmiſſa fuit, donec inter Gallos, Anglos & Scotos coiit Pax *anno* 1550. Quinquennium in pace qualitercunque exactum, donec *anno* 1555 Prorex ante Legitimum tempus ſub pacto immunitatis à rationibus reddendis & Largitione Gallica poteſtatem in Reginam matrem tranſtulit: at poſt triennium nuptiis Reginæ cum Delphino conſummatis, ipſi Reges Imperium ſuſceperunt. *Auctor* Buchananus *Hiſt. Scot. lib.* 14. *ſub fin. l.* 15. *&* 16.

CAP. XV.

De Rebus Belgicis.

RES Belgicæ hoc intervallo vix quicquam habuere turbarum, niſi à *Carolo* Egmondano Geldriæ Duce, ſtrenuo viro, qui non modo è Groninga Friſiam, ſed & è Geldria, Hollandiam, Ultrajectinam ditionem & Brabantiam plerumque infeſtam habebat, nullis ibi tum viribus aut copiis, quibus illum non modò ſubigerent, ſed nec à finibus ſuis propulſarent, ne mari quidem, ut adeo Texeliam vicinaſque inſulas tributo Geldrus haberet obnoxias.

2. Groningani tamen anno 1526. cum pati nollent, ut Gelrus Dammonam oppidum muniret, nec ei quæ flagitabat auxilia mitterent, ideoque male à Martino Roſſemo celebri ductore militum haberentur, ſe Carolo Cæſari ſal-

vis legibus ſuis, dediderunt. Brevique Gelri Weddenâ, Covordia cæteriſque locis circumjectis à *Georgio Schenkio* Friſiæ Gubernatore ejecti ſunt.

3. Atque ab eo tempore Friſia omnis trans & cis Lavicam ſub *Carolo* V. non modo tranquille, ſed etiam clementer & juſto minimeque avaro imperio, adminiſtrata fuit; ſuccedente in præſidio utriuſque Provinciæ *Maximiliano Egmondano* Comite Burenſi; ut, ſi religionis cauſam excipias, Friſii quidem ſociique nulli alii populo invidendi vel mutandi cauſam habuiſſent.

4. Eadem ratio vexationum Geldricarum & Imperii Burgundici moderatio movit Epiſcopum Ultrajectinum populoſque ei ſubjectos, ut ſe Carolo V. ſubmitterent; Epiſcopo, qui fuit *Henricus Bavarus*, junior filius Comitis Palatini ad Rhenum, juri ſuo temporali, cum Pontificis conſenſu renuntiante, certis conditionibus: etſi Ultrajectum ipſum adhuc eſſet in manibus Gelricis ad d. 11 Julii 1628. quo per inſidias urbe ab Epiſcopo recuperata, Caſtellum pacis quod vocant ibi continendis civibus ædificatum eſt.

5. Anno 1530 *Margarita* Auſtriaca Caroli V. amita, ſuprema Belgii Gubernatrix, poſt operam paci Caſtro-Cameracenſi navatam deceſſit, multâ cum laude clementiæ & prudentiæ; quo anno graviſſima inundatio Zeelandiam maxime & Flandriam, juxta cæteras regiones maritimas adflixit, quamplurimis pagis (*Petitus* ultra quadrin-

dringentos numerat) penitus obrutis. Margaritæ ſucceſſit in præſidio Belgicæ MARIA Caroli V. ſoror, vidua Ludovici Hungariæ Regis.

6. Sed Carolus Gelrorum Dux ætate laboribuſque feſſus in Gelria ſuâ concluſus nec in eâ tutus, aliquando pacem bonâ fide viſus eſt amplecti, hac lege, uti Gelriæ ducatum & Zutphaniæ Comitatum pro ſe liberiſque ſuis Legitimis haberet, poſſideret; deficientibus liberis Legitimis, illæ ditiones ad Carolum Cæſarem, ut Brabantiæ ducem pertinerent, anno 1536. bienniоque poſt ipſe quietem, quam vivus nunquam pati potuerat, in morte invenit.

7. Cum liberos non haberet, Succeſſio ad Cæſarem pertinebat; Sed populus proprium Ducem habere geſtientes *Guilielmum* Cliviæ Ducem defuncto ſanguine Proximum vocârunt, qui ſe fœdere & adfinitate Gallicâ ad ſpem perpetuæ poſſeſſionis firmavit. Sed Carolus Cæſar ex Italiâ veniens omni mole belli in ipſum incubuit, & priuſquam auxilia Gallica adeſſe poſſent, capta urbe Durenio, illum oppreſſit; ut veniam ſuppliciter petere & pro vetere patrimonio ſibi rurſus permiſſo gratias agere cogeretur, *anno* 1543.

8. Triennio prius evenerat Gandenſium rebellio, propter onera quædam impoſita, exemplo ab antiqua illorum conſuetudine repetito, provecta brevi uſque ad opem à Gallis implorandam. Sed *Franciſcus* non modo non auſcul-

 tavit,

tavit, ſed rem Carolo detexit, tranſitum ei per Galliam præbuit; ita tum à ſuis & Caroli amicis perſuaſus. Albæ Duci Friderico adſcribitur conſilium, deſtruendi urbem toties in dominos ſuos rebellem; Sed Carolus abſque univerſo interitu, ſatis tamen acriter urbem caſtigavit, xxv. præcipuis auctoribus capite, pluribus exilio punitis, Privilegiis pleriſque civitati ademptis, mulctâ ingenti exactâ, denique caſtro cervicibus eorum impoſito. Quibus rebus ut licentiâ, ſic etiam frequentiâ civitatis libertate gaudentis haud parum imminutâ, deinde quietius egit.

9. Poſt hæc res Belgicæ, numero xvII. provinciarum expleto, etſi non unito, ſingulis nationibus Rempubl. ſeorſim conſtituentibus, florentes & beatæ fuere, ſi perſecutionem Lutheraniſmi excipias; altâ pace, tributis exiguis, quibus tamen aliquoties Cæſari ad externa bella notabiliter ſubvenerunt. In quo ſtatu vidit hos populos PHILIPPUS Caroli Cæſaris unicus filius, qui anno 1549. magnificentiſſime in primariis civitatibus, maximè Antwerpiæ, ubi tum mercatura, Brugis pridem relictis, vigebat, exceptus eſt. Idem ſub exitum anni 1555. ceſſionem omnium provinciarum, cum cæteris regnis & ditionibus ſolenniter Bruxellis à Patre accepit, qui in illo actu innitebatur humeris *Wilhelmi Naſſavii*, morte Renati Chalonenſis agnati ſui, Principis Arauſionum nuper facti; Cujus ingenium ſolertiâ in altitudinem condi-

tum

tum ſuoque eximie conveniens *Carolus* præ cæteris probare videbatur. Monita Patris, cordatâ nervoſâque oratione filio publice injuncta, non potuerunt occupare quod erat in fatis, ne non poſt ejus obitum evenirent, quæ deinde videbimus. Res Gallico bello, hujus ſectionis tempore, geſtas & pacis hiſtoriam, *in Gallicis* quantum ſatis eſt, demonſtravimus.

CAP. XVI.

De Rebus Turcicis.

QUo tempore Carolus V. adiit Imperium in Germaniâ, SOLIMANUS Turca Patri ſucceſſit, longe illo manſuetior habitus: Unde Conſultatio Leonis Pontificis magno cum apparatu per aulas Principum Chriſtianorum habita, de fœdere univerſali modoque Turcas ex Europa ejiciendi, ut ſuperflua, ceſſit in irritum, vel potius nulla ſpe talis conſenſus, ſimulari deſiit. Sed de Solimani ingenio experimentum contra fuit; quando quod Pater deſignaverat, ut miſſis Perſis, totum ſe verteret in Chriſtianos, ferociter executus eſt.

2. Primum hujus conſilii ſpecimen & omen fuit, captum facile *Belgradum*, ab Hungaris turpiſſime, ut ſupra diximus, neglectum. Inde Rhodum ſe contulit; quam ab omnibus Chriſtianis deſtitutam, ab equitibus tamen ſuis, Duce & magiſtro *Petro Liſladamo* Gallo, fortiſſime defenſam, in ipſo Natalium Domini feſto ad dedi-

tionem adegit, amiſſis in obſidione ſuorum 50 millibus. Equitibus deinde Carolus Imperator Melitam inſulam, quam adhuc glorioſè tenent, permiſit.

3. Quo pacto deinde Solimanus Hungariam maximis cladibus adfectam in poteſtatem majore parte redegerit, intelleximus. Idem verſus Orientem adjecit imperio ſuo Meſopotamiam, Perſis inteſtino bello adflictis ereptam anno 1534. Imperabat illis *Teemaſes* Iſmaelis *Sophi* filius; qui tamen & Turcas non paucis adfecit incommodis. Reliquum tempus ita fere exegit Solimanus, ut alternis annis expeditionem adiret aut quietem ageret.

4. Fuit magnus animi fortunæque Princeps, ſed maritus minor, totus uxori deditus, quam hoc nomine primus à Bajazethe, qui à Temirlane victus eſt, è Turcicis Imperatoribus habuit, *Roxolanam* natione, quæ filiorum quatuor ex illo mater, *Muſtapham* ex aliâ Primogenitum, ut ſuis aditum ad regnum ſtrueret, è medio tollere ſtatuit, & ſuſtulit per ipſum Patrem, adjuvante eam Ruſtano ejus genero, *Viſire* quem dicunt ſummo, Senis imperioſi animum ſuſpicionibus implente, quibus obnoxius erat adverſus *Muſtapham*, quod hic à militibus impenſe amaretur: unde Solimanus idem ſenectuti ſuæ, quod avo Bajazethi à filio Selymo contigerat, metuebat. Ergo evocatum *Amaſiâ*, cui præerat, periculi non ignarum ſed conſcientiâ fretum per ſervos mutos in conſpectu ſuo

ſuo ſtrangulari juſſit, ut & filium ejus Amurathem: tanto cum militum dolore, ut ad ultionem nihil quam Dux & auctor deeſſet, imo, quod mirum, minimus è Roxolanâ filius *Ziangir*, conſpecto fratris cadavere, ſibi ipſi ex indignatione necem conſciverit, hoc anno 1553.

5. Atque hæc prima fuit Roxolanæ merces crudelitatis; altera; quod *Mahometes* filius ejus natu major obiit mortem. Supererant duo, Selimus & Bajazethes; uterque jam provinciis, more non optimo Turcarum, præpoſitus, quarum viribus ſuccincti ſe mutuo infeſtabant. Pater favebat primogenito valde in ſe officioſo, Bajazethi mater ſtudebat, qui & virtute militumque favore præcellebat. Quo viam ſibi ad res novas pararet, ſubornavit hominem, qui ſe diceret eſſe Muſtapham, quaſi percuſſorum manibus elapſum, quem argento militibuſque inſtructum evehere conabatur, ut dein fiduciarium ab illo Imperium reciperet. Verum hic à Ducibus Solimani victus & captus Bajazethis conſilia detexit, quorum tamen veniam matris interceſſione fretus impetravit. Sed hac poſt biennium extinctâ, reverſus ad turbida conſilia exercitum recollegit & cum fratre paternis copiis inſtructo conflixit; Victus in Perſiam profugit, ubi Tecmazes Solimani preces & minas Supplicis incolumitati præferens, eum juxta quatuor filios miniſtro à patre miſſo ſtrangulandos præbuit. Solimanus ultra ſectionis hujus terminos vitam & imperium produxit.

CAP.

CAP. XVII.

De rebus Eccleſiaſticis.

RES Eccleſiaſticæ cum politicis hoc & ſequentibus intervallis ita mixtæ ſunt, ut externus harum ſtatus ex illarum relatione ſatis intelligatur. Neque tamen indicta nulla hujus capitis ſpicilegium factura ſuperſunt. Ordine ea tractabimus. I. Pontificia. II. Lutherana. III. Reformata. IV. Heterodoxa.

2. Quod ad primum articulum attinet, LEO Pontifex adeo luculentis animi dotibus, literarum amore, liberalitate, magnificentia, ſolertia excellebat, ut, ſi princeps ſecularis fuiſſet haud ſpernendæ memoriæ haberi poſſet, ſed Paſtorale munus exiguâ cum dignitate adminiſtrabat: Vulnus autem Eccleſiæ per ſchiſma Lutheranum ſub regno culpaque ipſius impreſſum, nulla quam vulgari autoritatis & violentiæ temporalis ratione ſanare ſtuduit, ſine ullo, ut vidimus, fructu.

3. Mortuo illo *ætatis anno* 47. (rariſſimo ætatis in illà dignitate exemplo) *Chr.* 1522. ſurrogatus eſt *Hadrianus* Ultrajectinus, vili ortu, *Caroli Quinti* olim præceptor, abſens, qui nunquam Italiam viderat; Mirantibus cunctis, quid ordinem ſacrum moviſſet, ut periculoſiſſimo rerum ſtatu gubernatorem imperitum Eccleſiæ & Italiæ præficerent. Operæ pretium eſt, heic quomodo ea res evenerit, commemorare. Nec enim

enim Cæſareæ factionis potentiâ res elaborata fuit; Sed cum eſſent Cardinales in conclavi & mane quodam congregatio more ſolito haberetur, unus ex illis, occaſione data, fallendi temporis cauſa, oratione continua laudare coepit *Hadrianum* nuper Cæſaris commendatione Cardinalium numero adſcriptum & tunc in Hiſpania agentem, virum ſane doctum & modeſtum: ſcrutinio interim ex more inſtituto, cum nemo de eligendo Papâ ſed de voto ſuo quiſque abjiciendo cogitaret, recens auditionis memoria fecit, uti nomen *Hadriani* tot Cardinalibus in calamum incideret, ut duæ præſentium partes in eum concurrerent, adeoque ſtupentibus ſingulis, *Hadrianus* abſens, ignotus, tranſalpinus, Pontifex Maximus enunciaretur. Nihil potius viſum quam rem inopinam & abſurdam Spiritui Sancto adſcribere; quod tamen nec aulicis nec populo Romano pregrinos exoſo videbatur.

4. Cæterum, Papatus & *Hadrianus* ſibi invicem oneri fuerunt, ac ipſe intra vertentem annum, ut omnibus qui nomen ſuum non mutavere Pontificibus, poſteaquam inſtitutum illud inceptum eſt, accidiſſe fertur, vitam cum morte commutavit; Succeſſore Julio de Medicis fratre Leonis, qui primo *Julium* III. vocari ſe jubens, de ſiniſtro quod diximus Omine commonefactus, CLEMENTIS VII. cognomen adſcirit; ſub quo Roma bis capta, aliæque res graviſſimæ ſedi Romanæ, ut ſupra vidimus, evenerunt. De hoc ita obſervatum eſt; Eum ſub fratre

tre Leone habitum fuiſſe auctorem & executorem omnium magni momenti conſiliorum, eratque omnium, quando electus eſt, omnio conſentiens, ab ultima memoria non fuiſſe creatum Pontificem majoris ingenii, conſilii, prudentiæ & expectationis; ſed nuſquam verius fuit illud Græcorum, Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείξει, *Magiſtratus virum demonſtrabit*. Conſtitit eum fuiſſe mira perſpicacia in detegendis rerum agendarum rationibus utrinque militantibus, ſed in dijudicando & amplectendo, quod exequeretur, non minus fuiſſe perplexum, ut vix quicquam aliter quam cum animi repugnantia determinaret; Cujuſmodi actiones ſequi ſolet inconſtantia, pænitentia & in mediis proſequendis negligentia. Reliquum ejus elogium è rebus geſtis, quas habuimus, petendum; ſedit undecim fere annis.

5. Succeſſit *Alexander Farneſius* Nobilis Romanus à Clemente commendatus & eâdem nocte, quâ Cardinales ingreſſi ſunt in conclave, electus, effuſo populi Romani gaudio; quod aliquando Pontificem ſui ſanguinis haberent. Is autem ſobrietate, vultus gravitate, doctrina ac poſtremo corpuſculi adfectata imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat, quam mox adepta dignitate manifeſtam omnibus fecit, ſunt verba Thuani. Fefellit igitur non minus in opinione modeſtiæ & gravitatis quam in ſpe properæ mortis, cum ſederit per annos 15. Pauli III. nomen geſſit.

6. Illo defuncto à factione Cardinalium ab ipſo cre-

creatorum electus eſt poſt interregnum menſtruum *Johannes Maria Montanus* Aretinus, *ſoluti ad omnem licentiam animi*, ut quidem Thuanus; quem nón puduit, cum reprehenderetur, adoleſcenti ſimiarum ſuarum inſpectori & turpius ſuſpecto galerum ſuum cardinalitium donaſſe, rogare Cadinales, quid in ſe dignum faſtigio papali præ cæteris inveniſſent. Is cum in ſextum annum ſediſſet, mortuus habuit ſucceſſorem, Marcellum II. qui poſt dies 22. locum fecit *Johanni Petro Caraffæ* Neapolitano, qui natus erat annos 81. & nomen Pauli IV. adſcivit. Cujus vita religioſa & auſteri mores, cum metum calidæ reformationis feciſſent, è continenti in luxum & pompaticum faſtum converſi ſunt; vir animi elati, ingenii pertinacis, qui tamen à nepotibus ſuis, quos habebat duos ambitione & temeritate præcipuos, huc illuc pro lubitu agitabatur. Plura de ſingulis dicta *ſuperius*.

7. Deceſſit Pontificum Imperio hujus tempore ſectionis, pars fere dimidia Germaniæ, totæ Anglia, Scotia, Dania, Suetia, Helvetia, cum Geneva. Præterea magnos Reformatio progreſſus fecit in Gallia, Polonia, Hungariâ, Belgica. Exiguos, in Italia, minimos in Hiſpania. Cauſæ apparentes, quominus illic & latius recepta ſit Novatio, hæ eſſe videntur. I. Ingenia Gentium non æquè libertatis ſtudioſarum. II. Remotior illarum ſitus à centro reformationis. III. Perſuaſio Principum uſu invaleſcens; populos induta Religionis libertate, eandem in civili Imperio deſide-

rare

rare, nec eſſe amplius ita addictos obſequio; quod Pontificius clerus illis preſſe inculcat. IV. Ingens illa commoditas, quam Proceres & notabiliores cujuſque nationis cives pro ſuis liberis utriuſque ſexus ex Hierachia boniſque Eccleſiarum & Monaſteriis percipiunt, Quam exonerandi familias rationem diſciplina Proteſtantium deſtruxit. V. Rigor ſuppliciorum immanis, quem illarum gentium Rectores ex Papæ Clerique præſcripto contra novatores exercuerunt; Præſertim in Hiſpania Inquiſitionis tribunal immite ac inhumanum, quod & in Italiam, etſi minus barbaricè, propagatum. In Galliâ quoque & Belgio, denique & in Angliâ, aliquantiſper ſæviit perſecutio, ut ſubinde videbimus.

8. Sub Leone & Clemente Pontificibus, qui à Concilio convocando mirifice abhorrebant, Lutherus & reliqui Proteſtantes ſemper ad Concilium orbis Chriſtiani provocaverant, non quod unquam tale, cui ſe tuto ſubmittere poſſent, exiturum crederent, ſed ut Papam refutarent. At Paulo III. alia mens fuit, cùm, quod ſemper id, Imperatore adſiduò inſtante, declinari poſſe non videret, tum ut adverſariis hunc prætextum eriperet, denique fieri poſſe crederet, ut eo modo Concilium regeretur, ne res Pontificia quicquam detrimenti caperet. Is igitur Concilium indixit, primò Mantuam, deinde Vicentiam, poſtea ſupervenientibus identidem impedimentis, & in gratiam Imperatoris, quo Germa-

maniæ propinquius eſſet, *Tridentum:* Unde tamen legatos ſuos, bellis recrudeſcentibus, avocavit, anno 1543. Inſtauratum 1551. bello Mauritiano rurſus abruptum eſt.

9. Sed cum interim novas doctrinas neque ferro neque Concilii auctoritate ſupprimi poſſe animadverterent Prudentiores Pontificii, id operum dare cœperunt, ut materiam inſectandi Religionem antiquam ex corruptione & inſcitiâ Cleri tollerent aut imminuerent; quo plurimum ſine dubio contulit *Jeſuitarum* ſocietas, quam novo admodum inſtituto inter Monachos & ſeculares medio fundavit *Ignatius Loyola*, cujus *ſupra* mentionem fecimus, Eaque anno 1640 à Pontifice Paulo II. confirmata, exinde magnis paſſibus ad illam opum potentiæque magnitudinem adſcendit, quam dare potuit auctoritas Religionis, gravitas doctrinæ & zelus eam propagandi uſque ad Indos & ultimam barbariem, qualis in *Franciſco Xaverio* aliiſque eluxit, cum exquiſita calliditate prudentiaque civili conjuncta.

10. Hactenus Pontificia; ſequuntur *Lutherani*; quorum initia præcedenti ſectione habuimus, in Germania quidem. In Daniam, Sueciam vicinaſque regiones hoc intervallo æquè penetrarunt; In Dania præcipuus auctor fuit Johannes *Bugenhagius* Pomeranus. A Suedis celebratur *Olaus Petri*, uterque Lutheri auditor. Tempus & occaſiones ſupra habuimus. Electoris Saxonici, Brandenburgici, tot aliorum Prin-

Principum & Civitatum favor Lutheranos à ſuppliciorum acerbitate in Germaniâ tutos reddebat; quando in Comitiis hæc cauſa tanquam publica paribus votis tractabatur. Quid Vormatiæ ſit actum, diximus antea, totumque Lutheraniſmi ſtatum exteriorem, quatenus ad Hiſtoriam ſpectat & noſtri fert ratio inſtituti, in *Germanicis rebus* habuimus. Etiam quomodo ad Concilium poſtremo invitati fuerint; Quam ad rem ante bellum Smalcaldicum ita reſponderunt, ut reſponſuros eſſe conſentaneum erat, *non acceſſuros ad Concilium, quod liberum non eſſet futurum, Pontifice & adverſariis ibi judicibus futuris, quibus ſubmittere ſe neque poſſent neque deberent.* Poſt cladem multi legatos Tridentum miſerant, ſed neque ſubmittere ſe voluerunt, & brevi, bello Mauritiano cum ipſis Patribus inde receſſerunt. Proteſtantium nomen hæſit illis ex Comitiis Spirenſibus anno 1529. ubi conſtitutum erat, ne quid amplius in religionis ſtatu mutaretur, atque ubi mutatio facta eſſet, ibi tamen Miſſa cum libera Catholiciſmi profeſſione ſervaretur. Contra quod decretum Saxo & Brandenburgicus Electores, Lantgravius, omneſque Socii de ſcripto *proteſtati* ſunt. Idque nomen haud abſurde conveniens inſtituto *Teſtium* veritatis Swingliani & Calviniani deinde pariter amplexi ſunt; Lutheranis proprium ſibi nomen ab *Auguſtana Confeſſione* vindicantibus; Quemadmodum alteri deinde, *Reformati* per excellentiam appellari coeperunt. Inter quos & Lutheranos,

tanos ſub finem hujus ſectionis novum pomum eridos projectum eſt, *Brentio* potiſſimum auctore, de *ubiquitate* corporis Chriſti, pro adſerendâ ſententia de carnali præſentiâ corporis Dominici in ſacra cœnâ, quæ res ſchiſma magis magiſque intendit, multum dolente *Melanchtone*, qui ad Spiritualem præſentiam inclinabat.

13. Hactenus Lutherana. Huldericum *Swinglium* eodem fere tempore in Helvetiâ, quo Lutherum in Saxonia, Euangelium novæ interpretationis prædicare cœpiſſe, diximus in *fine præcedentis ſectionis.* Cui mox OEcolampadius aliique acceſſerunt, unâ notabili diſcrepantiâ; quod Lutherus in Cœna Domini corpus Chriſti præſentiâ corporeâ, Swinglius figuratâ & ſpirituali fidelibus exhiberi docebant. Diſcedebat etiam hac parte à Luthero *Andreas Caroloſtadius* Archidiaconus Witenbergenſis, in ſummâ rei cum Helvetiis conveniens, etſi verba Chriſti conſecrantia diverſo modo accipiebat. Idem abſente *Luthero* auctor fuerat, imagines è templis removendi multaſque abolendi cærimonias adhuc à Luthero retentas, quâ in re ſimiliter cum Helvetiis faciebat. Hunc autem Lutherus è Pathmo ſua reverſus facile Viteberga faceſſere juſſit, & dein Helvetios aggreſſus impotenti calamo, diris convitiis & devotionibus illos ut Sacramenti violatores inſectatus eſt; inexpectato rerum ſucceſſu temperare ſibi & ſocios in laude primæ reformationis ferre neſcius, naturæ ſuæ

vehementiæ ſine diſcrimine Tros Tyriuſve foret, indulgens.

14. Hinc igitur ortum habuit bellum Sacramentarium, ab anno 1526. quod Proteſtantes in duas partes ſummas diviſos non minoribus inter ſeſe odiis quam adverſus Pontificios implicuit. In Germaniâ tamen potior Lutheri manſit auctoritas, etſi Argentina aliæque Civitates paucæ Helvetios ſequebantur, quibus deinde plures aggregati ſunt, etiam vero ſeparati, quos inter ipſi rurſus Argentoratenſes. Philippus Lantgravius ab Helvetiis non alienus (uti nec erat Philippus Melanchton) jam anno 1529. dedit operam paci inter partes ſuper Euchariſtiæ doctrina conciliandæ; Convocatis Marpurgum hac gratiâ è *Saxoniâ*, Luthero, Melanchtone & Juſto Jonâ; ex *Helvetiâ* Swinglio & OEcolampadio; ex *Argentina* Bucero & Hedione: Sed irrito, ut ſemper uſu venit in ejuſmodi congreſſibus, ſucceſſu; promiſſâ tamen hinc inde potius quam præſtitâ, memore fraternitatis modeſtiâ. Sequenti anno Lutherani ſuam confeſſionem à Melanchtone ſcriptam in Comitiis Auguſtanis exhibuerunt, ut *ſuprà* diximus; Argentinenſes verò cæterique de Cœnâ Domini diſcrepantes ſuam hac parte declarationem ſeorſim obtulerunt, 1530.

15. Germaniæ ingens corpus è tot partibus, æquis fere viribus compoſitum, Carolo Cæſare bellis alibi motis diſtracto, tardius ad arma movebatur: Sed Helvetiis in Catholicos & Swinglia-

glianos diſcretis expeditius fuit ad arma procurrere. Tigurini reliquorum Proteſtantium Cantonum auxiliis inſtructi bis à Catholicis profligati ſunt, cæſo etiam *Swinglio*, qui caſtra comitatus, ut verbi tamen miniſter, ſtrenuè pugnans occubuit *die* XI. *Octobris* 1531. Verum apud Germanos, metu Turcarum in Auſtriam irrumpentium pax religioſa *interim*, quoad uſque Concilium foret congregatum, conſtituta fuit Norībergæ 23 *Jul.* 1532.

16. Swinglii partes deinde magis excoluit Johannes *Calvinus* Noviodunenſis Picartus, qui Juris in Academiâ Bituricenſi Studioſus à Melchiore *Volmaro* Græcæ Linguæ Profeſſore, Germano, primum Euangelii interpretationem novi moris accepit, quam ipſe deinde acerrimis ſtudiis & facundiſſimo ſtylo magis quam voce, nec minus gravitate & ſanctitate vitæ Reformationi egregiè reſpondente per Gallias propagavit. Pictaviæ primos cœtus habuiſſe dicitur anno 1534. Inde Neraci ſub alis *Margaritæ* Valeſiæ, Franciſci Regis ſororis & Navarræ Reginæ, quæ novos Doctores audiebat, delituit. Hinc Ferraram profectus eſt ad *Renatam* Franciscam Ludovici XII. filiam, quæ veritatem ſimiliter amabat & tuebatur. Unde brevi regreſſus, in Germaniam tendens, Genevâ, nuper Helveticis ritibus indutâ, tranſibat. Heic autem retentus à *Farello* concionatore graviſſimo, ſedem fixit & retinuit ad mortem uſque, niſi quod brevi exilio per factiones Genevenſes diſci-

ſciplinæ exercitæ cauſa irrogato, Argentorati defunctus eſt, ubi Eccleſiam Gallicæ nationis fundavit, cum diſciplina Conſiſtoriali, qualem Genevæ adſeruerat & quam Argentinenſes, utcunque dein Lutherani facti, etiamnum laudant ac imitari cuperent, ſi daretur facultas. Conatus eſt Swinglianorum à Luthero diſcrepantiam in Euchariſtiæ doctrinâ ejuſmodi interpretatione lenire, quâ præſentia corporis Chriſti non omnino tropica & figurata, ſed etiam *realis* dici poſſet, ut cum Auguſtana Confeſſione conciliationem reciperet. Calviniſmi appellatio exinde Swinglianorum nomen occupavit. In Galliâ dicti ſunt *Huguenoti* unde, parum conſtat, niſi voce corrupta è Germanico **Eedgenoten**/ quâ Helvetii & partes Helveticæ apud Genevenſes, unde reformatio in Galliam fluxit, appellabantur.

17. Spes aliqua fuit, *Franciſcum* Regem in partes venturum, cùm quod literas, quæ oculos aperiunt, & Literatos, qui frequentes veritatem amplexi erant, amaret; tum quod in gratiam ſororis *Margaritæ*, cui valde erat deditus, novis doctoribus multum indulgebat, eique permiſerat arceſſere Philippum *Melanchtonem*; Denique Henricus Anglus, cujus amicitiam adfectabat, eum urgebat, ut ſuo exemplo Pontifici, quod aliquando promiſerat, auctoritatem in regno ſuo abrogaret. Sed aliter viſum Deo, qui permiſit, ut Reformantes nimis calidi, rem præcipitarent, libellis contra Miſ-

ſam

ſam maledicis paſſim ſparſis ipſique Regiæ adfixis, Literas etiam hortatorias nocturno ejus inſtrumento impoſitas cubitum ituro in manus quaſi obtruſerant. Quò accedentibus *Tournonii* Cardinalis aliorumque Reformationis hoſtium incitamentis, in contrarium adeò exacerbatus eſt, ut indictâ ſupplicatione ſolennique *Proceſſione*, quam ipſe facem gerens ardentem cum uxore liberiſque obiit, aliquot novæ Religionis confeſſores lentis ignibus exuſſerit & plures paſſim anno 1535. Sororem quoque Margaritam, à quibuſdam moderationis auctoribus mollitam & corruptam, ad defectionem compulit, duræque partes exinde *Reformantium* per omne Franciſci tempus fuerunt. Quo pertinet Laniena Merindolenſium & Cabrierenſium in confiniis Provinciæ & Sabaudiæ, qui ex Valdenſibus antiquis adhuc ſupererant & à majoribus ſuis eandem fere, quæ nunc à Reformatis prædicatur, acceperant doctrinam. A Parlamento Provinciali fuerant condemnati ut exterminarentur anno 1536. Sed *Antonius Chaſſanæus* Præſes, Vir doctrinâ & probitate celebris, executionem ſententiæ, dum vixit, impedivit. Eo mortuo, ſententia executioni data eſt, immiſſis militibus, qui omnes ſine diſcrimine ſexus ac ætatis ferro & igne perdiderunt, *anno* 1545.

18. Sub *Henrico* II. Rege Perſecutio magis per Galliam incruduit, maxime poſtquam Rex intellecto plures in ipſo Parlamento eſſe novæ doctrinæ addictos, dum ſententiæ de puniendis

ſectariis dicerentur, interfuerat, auctoresque parcendi pro Dei gloriâ liberè loquentes capi juſſerat. Ipſe aliquando ſuos oculos ſupplicio vivicomburii paſcere voluit, cujus eum pœnituit; Unus enim ex martyribus illis, dum igne lento torrebatur, fixis in eum intentiſſime oculis, tam funeſtam ideam memoriæ illius impreſſit, ut per omnem vitam noctu imprimis ei moleſta fuerit. Poſtremò renovatos ignes intercedentibus quibuſdam è Germaniâ Principibus aliquantiſper operuit, anno 1555. Sed Imperator Carolus V. nullâ ratione placari potuit, quominus etiam in Belgio ſuo cruentis Edictis Proteſtantes perſequeretur; pœnâ vivicomburii conſtitutâ, pænitentibus gladio permiſſo; niſi quod mulieres, etiam revocantes vivæ ſepeliebantur; Donec in Galliâ & in Belgio patientia victa abiit in belli furorem, ut *ſequenti ſectione* videbimus.

19. Ex *heterodoxis* præcipui fuere Moderatores & Anabaptiſtæ: Nam Sociniani ad ſequens intervallum maximè pertinent, etſi Socinus prior hoc tempore vixit. Moderatores vocamus eos, qui ut Eccleſiam in moribus & doctrinâ Reformationis indigere fatebantur, ita corpus Eccleſiæ ſcindi mutationemque tam latè diffundi noluiſſent, quando multa à veteribus inſtituta, licet à primis Chriſtianis non introducta, retineri potuiſſe putarent: qui proinde magno numero in externâ Eccleſiæ Romanæ communione manſerunt. Ex his fuit *Eraſmus*, qui ut

ut Pontificiis ſuperſtitionibus plurimum nocuit ac inluſit, ita cum Luthero acerbe de libero Arbitrio aliiſque rebus litigavit, utriſque placendi ſtudio neutri parti ſatisfaciens. Ex hoc Moderatorum inſtituto prodiit liber Carolinus, *Interim* dictus, quem Principibus & Civitatibus obtruſit Carolus Cæſar, devictis Smalcaldicis, in quo præter Euchariſtiam ſub utraque ſpecie & matrimonia Sacerdotibus permiſſa, pleræque Pontificiorum ſententiæ coloribus erant tinctæ. Ægerrime tamen ipſe Papa, Cæſarem jure victoriæ ſibi Religionis arbitrium vindicare ferebat, ipſum videlicet Cæſarem metuens & Reformationem Hierarchiæ magis quam hæreſin abominatus. Neque Cæſar hanc moderationis viam inſtitit, antequam Pontifex Tridento Bononiam transferendo Concilium & dein penitus id abrumpendo ſpem omnem Concordiæ præcidiſſet. Antea ab Ordinibus Auguſtæ, recenti victoriâ, congregatis elicuerat, vel extorſerat conſenſum qualemcunque in Concilium, denuo convocandum ipſius arbitrio *die* 24 *Octobris anni* 1547.

20. Anabaptiſtæ duorum generum fuere; Seditioſi & Manſueti. Seditioſi inceperunt ab anno 1521. Duce primum Thoma *Munzero*, de cujus exitu diximus *ſupra*. Laboravit hoc genus enthuſiaſmo, cujus initium fuiſſe videtur opinio, quod regnum Chriſti, in quo impii inferiores ſint futuri, immineret; quam imaginationem cùm vaticiniorum interpretatio fovit,

 tum

tum & mali genii, in angelum lucis transformati, ſuggeſtiones, ut fieri amat, inſanientes ad furorem adegerunt. E Germania ſuperiore tranſiit in inferiorem & in Belgium, Unde præcipui actores tragœdiæ *Monaſterienſis*, de quâ *ſuperius*, prodierunt, *Johannes Leidenſis*, *Sartor*, *Rex Sionis & Novæ Hieroſolymæ*, *Rex Juſtitiæ ſuper orbem terrarum*, uti ſe ipſum proſcripſit. *Johannes Matthias* & *Johannes Beukholdius* æquè Leidenſes, Prophetæ, cum aliis è Weſtphaliâ. Finitum eſt illud regnum Iſraëlis, urbe captâ, ſuppliciis vatum, anno 1536. Poſtea motus adhuc aliquos in Friſiâ & Hollandiâ ediderunt, ſed facilius & brevi oppreſſos.

21. Ex illâ Scholâ prodierunt Anabaptiſtæ *manſueti*, qui in dogmatibus idem cum prioribus ſenſerunt, de Pædobaptiſmo, de repetendo baptiſmo, de humanâ Chriſti natura, de Magiſtratuum officio, ſimiliaque, Sed in doctrina de Monarchia Chriſti in terris vi & vi armata feſtinanda, uſu edocti magiſtro, non modo diſcreparunt, ſed etiam in exceſſum tranſiere contrarium, ſuis armorum uſu penitus interdicto; cujus mutationis facile princeps fuit *Menno Simonis* è pago Franekeræ vicino, cui nomen Witmarſum/ qui nomen ſuum omnibus Anabaptiſtis per Belgicam & inferiorem Germaniam ſparſis reliquit: obiit Oldeſlöæ, inter Hamburgum & Lubecam oppido, circa hujus *ſectionis exitum*. Sectatores ejus in varias abiere ſectas, modo non ſpecie diſtinctas; ſingularem

gularem omnes morum ſimplicitatem frugalitatem & induſtriam præferentes, adeoque cives, uti nunc ſunt, haudquaquam initiles civitatibus, in quibus degunt.

22. Sub Anabaptiſtis latuit, etſi ab illis improbatus, *David Georgius*, Delphenſis Batavus, infandæ & abſurdæ auctor doctrinæ, ſe *Davidem Chriſtum* venditans aliaque tam enormia, ut vel inde, nihil tam à ratione alienum eſſe, quod non religionis indutum colore vulgo ſedere queat, intelligi detur. Poſtquam ſectatores & opes hac impoſtura collegerat, in earum cultu, ut Nobilis ob religionem profugus, egit Baſileæ, mortuus anno 1556. poſt mortem detectus & ignominia adfectus. Plures hujus generis ſectas deformes & tranſitorias non recenſebimus.

23. Sed contrariam Enthuſiaſtis viam tenuit Michaël *Servetus* Hiſpanus, eumque ſequuti *Socinus* major & minor, quibus *principium Religionis & Scripturæ Sacræ interpretandæ viſa* fuit eſſe *Ratio*, nihilque ferendum in Chriſtianiſmo quod rationi rectæ adverſaretur; Cujus cum notam aliunde quam ex viſione ſuæ perceptionis habere non poſſent, quicquid ut rationi adverſum perciperent id repudiarunt, Scripturamque ita, utne ſuis conceptibus refragaretur, audacter interpretati ſunt, *Servetus* impudentiam quoque & blasphemias adverſus myſterium ſanctæ Trinitatis adjecit; quibus effectum eſt, ut Genevenſes eum, auctore *Calvino*, laudantibus Helve-

tiorum Theologis & ipſo deinde mitiſſimo Melanchtone, lento igne, *ſupplicii genere & modo nimis crudeli* ipſique Calvino improbato vivum exuſſerint, menſe *Novembri* 1553. Quam ſeveritatem ægerrimè tulit *Lælius Socinus* ex familia nobili Senis ortus, qui Serveti doctrinam privatis ſtudiis recoxit, digeſſit & excoluit, ut univerſam ad rectæ rationis normam pro ſuo captu redigeret, amicitiam interea cum *Calvino*, *Melanchtone*, *Brentio*, *Martyre* aliiſque colens, ſingularem præ ſe ferens diſcendi cupiditatem & gaudens eos redigere ad aſylum ignorantiæ humanæ τοῦ πῶς καὶ τοῦ διότι in myſteriis divinis. Sed hæc peſtis in publicum, ſequenti demum intervallo per *Fauſtum* ejus nepotem erupit.

TOMI

TOMI II. LIBER II.

Qui eſt ab exceſſu Caroli V. *uſque ad obitum* Guſtavi Adolphi, *ab anno* 1558. *uſque ad annum* 1632.

SECTIO I.

Ab anno 1558 *ad exitum anni* 1588.

CAP. I.

De ſtatu Europæ univerſo.

POſt exceſſum Caroli V. Imperiorum in Europa ſtatus inuſitatam ſubiit mutationem. Gentes, in quarum bellis & revolutionibus antea præcipue verſati ſumus, dehinc materiam niſi quæſitam dicendi vix ſuppeditabunt, & quæ antea tranquillitate, ſaltem inteſtina fruebantur maxima, turbis armiſque poſt hac plenæ ſpectabuntur. Mutatio quoque Principum non minus Legenti memorabilis occurret. Tranquilli Imperatores vice Caroli V. cui nunquam quieſcere licuerat. In Italia varii & pax alta, pro adſiduis bellis & mutationibus. In Hiſpania Reges peninſulæ ſuæ infixi, loco ejus qui perpetuum quaſi mobile fuerat. In Gallia pro viris acerrimis pueri Reges;

Reges; Pro pace domi immota, bellorum civilium immenſa ſeries. In Anglia feminæ pro Henrico VIII. ut & in Scotia, ubi mirifici motus, utrobique enormis mutatio. Belgica nuper florens opibus & pacis longæ fructibus, in viſcera ſua ſæviens & bellis ardens, neque minores in Septentrionalibus regnis mutationes.

2. Prælibemus aliquid de ſingulis. Germania bello Religionis defuncta gentes reliquas eodem malo conflictantes, præter Italiam & Hiſpaniam otioſa intuebatur. Nihil enim ibi præter religionum diſcrepantiam, quod antiquam ejus pacem foris aut intus turbare poſſet. Hac autem noviſſima tranſactione Paſſavienſi conſopita, ſpes erat, pacem fore diuturnam, non tam fide partium, quam æqualitate virium, cognitâ poſt experimentum. Quo accedebat metus adhuc durans à Turcis, quæ pacis domeſticæ neceſſitatem, præſentis periculi evidentia intendebat; denique modeſtus *Ferdinandi* Cæſaris animus; qui cum Carolo fratri pacis plerumque fuiſſet auctor, in futurum eandem prudentiam pollicebatur. Quæ cum omnia prius aliter ſe habuiſſent, mirè diverſam totius Germaniæ conſtitutionem exhibebant.

3. Italia bellis, inquam, Gallorum ab annis amplius LX omni genere cladium exercita ſpem pacis amplam & duraturam conceperat. Nullâ intus ex religionibus, animorum diſcrepantiâ; factionibus Guelphorum & Gibellinorum, quæ adhuc

adhuc ſpiraverant, tandem obliteratis; Gallis poſt tot irritos conatus, poſt tantum ſanguinis ſine fine modoque effuſum, tam magiſtro uſu quam pueritiâ Regum ſubactis, Italicas res bonâ fide omittentibus. Hiſpanorum intererat, Italiam ab utroque extremo comprehenſam & obnoxiam, in pace retinere; Cæteris omnibus maxime Venetis, bello contra eos nihil profecturis, ſed in illorum conſilia ſemper infida & ambitioſa intentis, quod ipſum nec aliud omnino Pontificibus placere poterat; Quibus etiam ab hoc tempore magis ſedere viſum eſt, bella fœderaque bellorum cauſa inita non modo ſibi indecora, verum & gladium ſuum eſſe obtuſum. Plane is erat rerum in Italia ſtatus, ut ab eo, qui ſub Carolo & Franciſco fuerat, vehementer diſcreparet.

4. Hiſpaniæ Conſtitutio pacem adhuc ſolidius oſtendebat. Omnis, exceptâ Luſitaniâ, ſub uno Rege; diſcordiarum nulla cauſa, nec quæ prævideri poſſent, Hiſpaniarum populis ſatis in averſione belli inteſtini conſtantibus. Sed Hiſpaniarum potentia novi orbis opibus, tunc inprimis redundantibus ſuffulta, in Italia prævalens, Germaniæ, Galliæ & Angliæ per Belgicas regiones imminens, omnem Europam in ſingulis ſuis partibus imbecillem, potentiæ ſuæ metu ſuſpenſam ac intentam retinebat; ut ſi qua magnitudinem ejus labefactandi occaſio daretur, eam à vicinis non neglectum iri facile præſumi poſſet. Nec uſquam illa quam

in

in Belgio, tot terrarum mariumque ſpatiis nec minus nationum ingeniis ab Hiſpania ſeparato, extitura videbatur.

5. In Galliâ duæ factiones Monmorantiorum & Guiſiorum, *Henrico* Rege jam formatæ, ſub puero Succeſſore majoris periculi metum excitabant; accedente Religionis novatione jam valide latèque diffusâ, quæ præcedentium auctoritate Regum & diritate ſuppliciorum oppreſſa, ſub Rege minore palam in hoc erat, ut ad æqui juris communionem, quam ſine bellis habere non poterat, admitteretur. Unde prudentiores ab hoc duplici fomite belli civilis incendium in gente mobilis ferociæ brevi erupturum expectabant.

6. In Angliâ nec non in Scotiâ, Religio nova tam altas validaſque radices egerat, ut ſatis appareret, impetum illum nec quidem vi metuque poſſe diutius cohiberi; maxime cum in utroque regno mulieres ad clavum ſederent, alterâ quoque novæ doctrinæ jam olim ſuſpectâ, & pro jure ſui regni neceſſariò à Pontifice, qui natales ejus damnaverat, aliena futura. Inter Reginam vero utramque futuræ æmulationis cauſæ in omnium conſpectu verſabantur.

7. In regnis *Daniæ* & *Sveciæ* nuper ſtabilitis idem adverſarius, ſed fractus & morti vicinus *Exrege* Chriſtiernus, eadem Religio, abſciſſe Lutherana. Sed hæc neutiquam adeo firma concordiæ vincula prudentibus rerumque gnaris habebantur, quantum æmulatio viciniæ, vetus ini-

inimicitia, controverſiæque indeciſæ ad diſcordias & arma incitamentum exhibebant.

8. In *Polonia* libertas gentis ſingulorumque Nobilium ſuis in ditionibus arbitraria poteſtas, quæ alibi gentium bellis ſufficeret æternis,. Regum & Rectorum auctoritate, denique vi conſuetudinis ita fundata erat, ut ne Religionis quidem diverſitas illam turbatura videretur. Adverſus Muſcovitas & Turcas tum quidem res tranquillæ, ſed expectatio ſemper incerta & inquieta. Plane ad defenſionem ſui, potentiſſima gens ipsâque Germaniâ major, valida, viribus tamen in optimates innumeros diſtractis exiguâque Regum potentia, ad externas acquiſitiones aliorumque res turbandas invalida, nec quidem in eam partem, quod beatius, valere cupiebat.

9. Quamvis autem pax in hoc rerum articulo totâ Europâ æquabilis animos Principum ad fœdus contra Turcas ineundum excitare potuiſſet, invidia tamen & parata mutuis certamiminibus æmulatio hanc curam ſuſcipere non patiebatur; quo accedebat, quod Solimanni ſenectus & præſumpta filii ſucceſſoris ſegnities addebat ſecuritatem. Pergamus ad ſingulas partes.

CAP.

ret, Lex tamen inter omnes Imperii Ordines conſtanter & perpetuò ſervaretur, admiſſis etiam ad Camerale Judicium Adſeſſoribus Auguſtanæ Confeſſionis. Neque turbata pax eſt, poſtquam Proteſtantes ſe Tridentinis decretis ſubmittere noluerunt. Etſi enim Pontifex illos vi cogendos cenſeret idque moliretur, adverſam habuit ipſam Ferdinandi Cæſaris voluntatem, ejuſdemque utilitatis rationem; qui cum id ageret, ut *Maximilianum* filium Regem Romanorum eligi curaret, non minus Proteſtantium quam Pontificiorum ſuffragiis indigebat: Eoque voto potitus eſt Francofurti, menſe Novembri 1562.

3. Ferdinandus exinde pace gaviſus in Imperio, bellum etiam Hungaricum induciis octennalibus compoſuit, ſub lege ſolvendi Solimanno tributum xxx millium aureorum Hungaricorum; qua gratiâ Turcicus Legatus *Hibraimus* in Comitiis Francofurtanis adfuerat: Etſi tributum à Ferdinando non ut Imperatore ſed ut Hungariæ Rege, quod Turcarum non intererat, præſtabatur. Ferdinandus anno ætatis LXII. Imperii ſeptimo longâ tabe confectus mortalitatem explevit, anno Chr, 1564.

4. Pacificum Ferdinandi imperium continuavit MAXIMILIANUS II. ſine ullo univerſæ Germaniæ motu, particularibus nonnullis, quos prætervehimur, celeriter reconciliatis. In cauſa Religionis moderatus & à Reformatione, ſalvo tamen Eccleſiæ corpore, non alienus fuit. Quod

ſtudium ſuum apertius ſine dubio profeſſus fuiſſet, niſi Hiſpani obnoxium tenuiſſent. Qui ſtatim ab initio Imperii illum adverſus Fridericum III. Electorem Palatinum, hac occaſione, incitarunt. Introduxerat ille Confeſſionem Reformatam, ideoque à vicinis Lutheranis, quos inter Wittembergicus & Bipontinus Principes, bello petebatur. Re autem ad Imperii Comitia deducta, viſum fuit, præter Catholicam & Lutheranam, alias Religionis Confeſſiones in Germaniâ non tolerandas. Ideoque Maximilianus ab Hiſpanis animatus & ex Ordinum decreto Fredericum, ut vel Electoratu vel Religione cederet, urgebat. Quod hic non modò maſcule, ſed etiam doctè pieque refutavit, prolatis filii miniſterio in Conſeſſum Imperii Bibliis ſacris & oratione tempori negotioque ita adtemperata, ut circumactis animis, non modo indemnis, ſed etiam glorioſe diſcederet, obſervata Saxonis *Auguſti* voce, qui admiratione tam inuſitatæ Principibus facultatis, humero Palatini contacto, *Friderice*, dixerat, *tu probior es nobis omnibus*, hæc anno 1566.

5. Anno ſequente Saxonicum bellum ex decreto Cæſaris atque Ordinum Imperii geſtum eſt, contra *Johannem Fredericum* ducem Gothâ-Saxonem, qui patrocinium *Grumbachii* cum ſociis, propter cædem nefariam Herbipolenſis Epiſcopi proſcriptorum, ſuſceperat & pertinaciter tuebatur, ſuo Familiæque nobiliſſimæ ingenti præjudicio[b], captâ per *Auguſtum* Saxoniæ Electorem

rem Gotha, Principe in perpetuam dato cuſtodiam, Grombachio cum ſuis debito adfectis ſupplicio.

6. Reliquum Imperii ſui tempus *Maximilianus* in pace tranſegit: dum Gallia & inferior Germania tumultibus agitabantur cruentis, donec anno 1576 in fata conceſſit, anno ætatis 50. longiore vitâ digniſſimus Princeps; Cujus inter alia præclara ſunt duo dicta, quæ frequenter in ore habuit, notabilia; Unum tralatitium quidem ſed pietatis & fiduciæ in Deum præſentis index; *Dominus providebit.* Alterum acrioris prudentiæ; *Qui adfectant Imperium in Conſcientias, hi cœlos, invadunt & terras amittunt.*

7. Ex conſobrina ſua *Maria Caroli* V. filia, quam unicè dilexit, undecim liberos ſuperſtites reliquit, quos inter Filii ſeptem: *Rudolphus, Erneſtus, Carolus, Albertus, Wenceſlaus, Maximilianus, Matthias.* E filiabus *Mariam* Philippo Hiſpaniarum; *Eliſabetham* Carolo IX. Galliarum Regi collocavit. Quas nuptias Hiſpani cum impedire non poſſent directè, optimo Principi impoſuerunt, ut Gallo conditiones præſcriberet vix, ſi bello victus eſſet, exigendas; *Redderet Metim, Tulum & Verdunum, Renunciaret Turcico fœderi & auxilia contra illos Imperatori daret*, hoc anno 1565. Poſtea re melius perpensâ, æquis conditionibus in eaſdem nuptias convenit, anno 1570.

8. Eodem anno & menſe, quo Maximilianus Imperator deceſſit, *Fredericus* III. Elector

Palatinus, de cujus pietate ſapientiâque diximus; implevit mortalitatem: Icta ſimul duplici plagâ, *Flere non potuit oculis ſuis privata Germania*, ſcribit haud inſcite Peucerus. Domus ejus ſciſſa ſtudiis religionum res Palatinas in magnam adduxit confuſionem. *Ludovicus* primogenitus ſucceſſor Electoratus Lutheranis addictus, hos in Cathedras, pulſis Reformatis, reduxit. At Johannes *Caſimirus* ſecundo genitus, variis in Galliam & Belgium expeditionibus clarum nomen adeptus, Reformatis Doctoribus in ſua ditione Neoſtadienſi locum fecit; Donec anno 1582. Ludovico Electore mortuo, *Caſimirus* Tutelam *Friderici* IV. impuberis Electoratus heredis adeptus Reformationem Calvinianam in omnem Palatinatum reduxit.

9. Reliquum hujus ſectionis tempus eodem univerſæ pacis tenore tranſegit RUDOLPHUS II. viginti quatuor annorum juvenis; Patre jam vivo Rex Hungariæ, Bohemiæ & Germaniæ creatus, vixque aliud in omni Germaniâ turbamenti, quam ex nuptiis *Gebhardi Truczeſii* Archiepicopi Colonienſis, qui amore captus *Agnetis*, pulcherrimæ comitis Mansfeldienſis filiæ, Electoratum & Epiſcopatum, quam mulierem amittere maluit, proſcriptus à Pontifice Romano & pulſus ab *Erneſto Alberti* Bavariæ Ducis filio, illi ſubſtituto: Etſi primis aliquot ſucceſſibus ſpem reſiſtendi Truchzeſius habuiſſet, anno 1583. Aufugit in Batavos jam tum miſerorum aſylum

C A P.

CAP. III.

De regnis Daniæ & Suetiæ.

IN regnis Daniæ & Norwegiæ *Chriſtiano* III. ſucceſſerat FREDERICUS II. filius, initio anni 1559. Neque longior facta eſt mora ſubigendis *Ditmarſis*: qui vetuſto libertatis amore, cui adjuncta fere eſt inſolentia, Danis & Holſatis adhuc maſcule reſtiterant nec parvas aliquando clades intulerant. Oppreſſi ſunt Danorum & Holſatorum junctis viribus nec opinato, intra menſis unius ſpatium, & nervi tam bene illis ſuccisi ſunt, ut ad libertatem repetendam exinde nunquam reſurgere potuerint, ab anno 1560. Fredericus egregiè imperavit, Conditor Croneburgi, quod eſt freti Oriſundici propugnaculum. De bello ejus cum Suecis mox videbimus. Alioqui regna ſua fovit & auxit in pace, quâ vitam finivit, anno hujus ſectionis ultimo 1588.

3. In Suetia adhuc regnabat *Guſtavus* ex adſertore libertatis Rex conſtitutus & auctor innovatæ Religionis, qui filios ſuos quatuor, ancipiti & magis olim quam hodie probato conſilio, totidem regni partibus præpoſuit, ERIcum Smalandiæ & OElandiæ, *Johannem* Finlandiæ, *Magnum* Gothiæ Occidentali & *Carolum* Suidermanniæ, ſingulos Ducum titulo. *Ericus*, miſſo Johanne fratre cum aliis Legatis in Angliam, Eliſabethis Reginæ nuptias magnâ

cum ambitione ac impenſis petebat. Jamque ſe Voti compotem imaginatus, Ordinum Suetiæ conſenſum & liberalitatem certis conditionibus impetraverat, quando ad iter accincto & claſſem conſcenſuro mors Patris nuntiata eſt, anno 1561.

4. ERICUS igitur annorum XXVII Juvenis, ætate matura, ingenio literis ſtudiorum non inculto, plurium gnarus Linguarum, in ſua quoque facundus, formâ & ſtatura imperio dignâ, ſpem fecerat majorem quam implere potuit, æquabili in rebus agendis prudentiâ deſtitutus. Quod omnium primò in re conjugali apparuit. Nam juſtis Patri factis & rebus in Suetia conſtitutis, iter Anglicanum ad *Elizabethen* petendam denuo ingreſſus à tempeſtatibus in portus ſuos rejectus eſt, ubi commodum maris expectans ex Anglia nihil eſſe cauſæ, ut ita feſtinaret, edoctus eſt: Elizabetha enim, quæ amatores ludere amabat, Regem tamen ludibrio habere nolens, operam dederat, ut intelligeret, ſe fruſtra eſſe venturum. Ergo ab Angla in Mariam Scotiæ Reginam Galliæ Regis viduam animum adjecit, Legatisque ad eam miſſis de conditionibus agere cœpit. Sed hâc aliis impeditâ amoribus, miſit Legatos in Lotharingiam, qui peterent in matrimonium filiam Ducis *Chriſtierni*, Daniæ Regis neptim, quæ *prætenſiones* Danicas in dotem attuliſſet. Sed heic benevolo accepto reſponſo, ipſe non perſeveravit; ad ſpes Anglicanas revolutus. Quibus

tamen

tamen non fidens *Chriſtinam* Philippi Magnanimi Haſſiæ Lantgravii filiam, miſſis quoque Legatis, petiit in uxorem, ne ſic quidem deſinens Eliſabethen ſollicitare, literis amatoriis. Quarum unas Daniæ Rex hoſtis ejus interceptas miſit ad Lantgravium, qui ſe deluſum ægre ferens Chriſtinam ſuam Adolpho Holſatiæ Duci collocavit, ex quo matrimonio nata eſt Chriſtina mater *Guſtavi Adolphi* & avia *Chriſtinæ* Reginæ. Tam infelix & inconſtans amator abſentium, incidit in amorem præſentis puellæ aulicæ vilis ortu, *Catharinæ* miniſtri cujuſdam ſui filiæ (Johannes frater ejus in edicto poſtea publicato, Lictoris filiam vocat) quam cum prius ut concubinam, duobus ex eâ liberis ſuſceptis habuiſſet, poſtremo publicè in templo apud Stokholmiam, in uxorem duxit anno 1568. Hactenus privata.

5. Publica non minus varia & turbulenta fuere, tam bellis externis Danico & Livonico, quam inteſtinis cum fratribus ſuis. Livonici, cujus ingens ſequela fuit, hæc erat origo. Gotofredus *Ketlerus* Magiſter Equitum Teutonicorum in Livoniâ & Eſtonia, jure *ſuperioritatis*, quam vocant Principalis, cum ſe amplius adverſus Ruſſorum Cæſarem tueri non poſſet, Livoniam ut jam diximus, Regi Poloniæ ceſſit, retentâ ſibi Curlandiâ & Semigalliâ, ſub feudi lege Polonici, Ducis titulo, qui hodieque durat. Sed Eſtoniæ nobilitas cum Revaliæ civitate, propinquius Suecorum patrocinium prætu-

lerunt. OEſeliæ, quæ vicina eſt inſula, Epiſcopus ſuam ditionem in Fridericum Daniæ Regem tranſtulit, & hic eam rurſus *Magno* fratri ſuo donavit. Hinc bellum inter Suecos & Polonos, mixtis Danis, dum hi omnem Ketleri ditionem ſibi vindicarent; At Sueci Eſtoniam facile tutati, nec ulterius ſub Erico Rege progreſſi ſunt.

6. Cum Danis erat Quæſtio de Scania, Blekingia, Hallandiâ, & Gotlandiâ antiquis Suedici regni membris, quæ Dani tenebant; hi vero Suetiæ quoque Reges ex vetere unionis lege ſe ferebant, ſeque cum Ruſſis & Polonis, utriſque Suecorum in Livoniâ adverſariis, conjunxerunt, etiam Lubeccenſibus ſibi fœdere junctis. Bellum variâ fortunâ geſtum, Dani *Elsburgum*, Sueci Jemptlandiam & Dronthemium occuparunt: Neque mari Danis inferiores, Lubeccenſium plurimas naves onerarias ceperunt, prælíiſque maritimis Danos aliquoties ſuperarunt. In quibus memoriæ proditum eſt, incenſam fuiſſe navem Suedicam ducentis inſtructam machinis bellicis, & captam fuiſſe poſt bidui pugnam, prætoriam Danorum, centum ſuprà mille claſſiarios vehentem; quod pro temporis illius r tione de genere belli ſatis erat ſuprà fidem. Terreſtri quoque bello Sueci fere præſtabant; niſi quod anno 1566. Sueci magna pugnâ victi ſunt à Danis, Daniele *Ranzovio* Duce, apud *Swartenaa*, prope Warburgum. Sueci longe numeroſiores Danos circumvenerant; qui pro-

proinde ſublatis ad coelos oculis manibuſque divinum auxilium implorabant. Quod Sueci deſperatæ cauſæ, ut referat, ſignum reputantes, & ludibrio habentes effuſo impetu nulloque ordine eos invadebant; qui reſumptis animis dum pro ſalute pugnant, victoriâ clarâ, cæſis quatuor millibus hoſtium, potiuntur. Sed paulo poſt tamen Danis ingenti naufragio adflictis, res Suedica in ſummâ nequaquam erat inferior.

7. Verum domi Ericus interim male conſulebat, inconſtantiâ & ſubinde perfidiâ aç ſævitia; quam & in fratrem *Johannem*, ut tamen perfectè malus eſſe neſciret, exercuit. Invidebat & iraſcebatur ei, quod ſe invito, *Catharinam* Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam, dum ipſe amorem ubique oſtentabat, nuſquam inveniebat, in uxorem duxerat. Quâ re fratris auctoritatem plurimum excellere ſibique imminere videns, eum in Finlandia oppreſſum Holmiam abductum capitis damnavit, ſubſcribente ſententiæ Magno fratre, ſpe facta ſucceſſionis ſcilicet; at tamen executione Ericus abſtinuit, fratremque per quadriennium cum uxore carceri incluſum tenuit, quo tempore plures alios Nobiles quæſitis cauſis evertit & ſuſtulit, quos inter fuit Niel *Sturius*, quem non judicio condemnatum, ſed manu ſuâ Holmiæ in foro ſalutantem ſe interfecit, & Dionyſius *Beuerꝛus* Gallus, olim Præceptor ejus & à conſiliis, quod arcrius illum auſus eſſet reprehendere. Denique multos Nobiles,

biles, reconciliatâ cum illis gratiâ, Upſaliam invitatos & in carcerem conjectos indictâ cauſa ſupplicio adfecit, cauſâque deinde cognitâ latâque ſententiâ illos condemnavit. Plane ut inſaniæ proximus videretur, cujus ſpecimen non fictum præbuit, quando poſt illas cædes imaginario metu, ruſticâ indutus veſte triduo per ſylvas errabat; à ſuis ægrè in quodam ſacello repertus, & cum nemini auſcultaret, ab uxore *Catharina*, in qua præter natales, nihil reprehenditur, refectus & ſibi reſtitutus eſt.

8. His omnibus ad contemptum imparis matrimonii accumulatis, imprudentius factum adjecit, quaſi in pœnitentiæ & emendationis futuræ ſignum, fratris ſui *Johannis* è carcere liberationem, qua ſuum exitium acceleravit. Johannes enim, juncto ſibi *Carolo* fratre (Magnus poſtquam ſententiæ in fatrem capitali ſubſcripſerat ſemper ægrè habuit animo non minus quam corpore, jam pridem minus valide ſapiens & ſine liberis deceſſit) denique factione ex amicis ſpoliatorum & occiſorum Procerum Johannes comparata, collegit exercitum, quibus ſe plures ex ipſius *Erici* regis copiis conjunxere; Et tribus fere menſibus, poſt nuptias cum Catharina celebratas, Regem in urbe Stokholmiæ, conſilio cum Rectoribus urbis communicato, obſedit a. d. III. kall. Octobris 1568. feſto S. Michaelis, cum Ericus in templo alieni jam Imperii Deum orabat, fratres à civibus in urbem admiſſi ſunt. Qua re intel-

tellecta, cum Ericus in arcem ſe repeteret, à *Stenono Ericzonio* avunculo ſuo monitus ut ſe dederet, hunc in foro per ſatellitem confodit (Thuanus aliter rem narrans priorem *Nielis Sturii* necem cum hac confudiſſe videtur) Cum vero in arce nihil ad obſidionem tolerandam paratum eſſet, dedere ſe coactus, à fratre datus eſt in cuſtodiam ſatis arctam, nimiſque inhumaniter habitus, ut etiam ſclopeto per brachium ab inimico è Steenbockiis vulnerato medici opera negata fuerit, poſtea trans vectus in Finlandiam, cum ſuâ Catharina aliquandiu vitam toleravit. Dein *Muſcovitis* Finlandiæ imminentibus & Erici liberationem molientibus, in Sudermaniam, arcem *Grypsholmiæ* traductus eſt; Inde cum Carolus frater Sudermanæ rex à Johanne diſſideret, in Sueciam interiorem abductus & arci *Crebroënſi* incluſus.

9. Sed novem poſt annis, cum Johannes multis procerum, clericorum populique offenſis, ab Erici liberatione ſibi metueret, re cum Senatoribus regni communicatâ, ſtatuit eum è medio eſſe tollendum. Idcirco cum ei ſacram coenam adminiſtrari juſſiſſet, acre venenum à Chirurgo ſuo mixtum fratri propinari curavit: Quam cædem jejunio ſingulis Mercurii diebus, quia tali die facinus peractum erat, *Poſſevini* Pontificis Romani apud ſe Legati arbitrio, expiavit. Hæc etſi tempore provectiora ſimul exponere viſum. Ex liberis Erici puerum *Guſtavum*, à Johanne ſacco incluſum certo homini mergendum fuiſſe datum ſcribunt, qui à nobili

obvio

obvio exemptus neci & peregre miſſus, varia deinde fortunâ, periit apud Muſcovitas. Addamus & hoc; Ex ſororibus Erici atque *Johannis*, *Ceciliam* fuiſſe, nuptam *Chriſtophoro* Marchioni Badenſi, quæ deformi errore per Angliam, Germaniam & Belgicam ſuæ & maritalis familiæ honori plurimum detraxit. Nec *Catharina* Ennoni Friſiæ Orientalis Comiti nupta laudatur, inſolentiâ faſtuque inter cauſas turbarum & imminutæ Comitum poteſtatis habita. Sed redeamus in viam.

10. JOHANNES fratre capto, Rex ab Ordinibus agnitus & declaratus diutius & prudentius imperavit: etſi ſuis nec tranſverſariis caruerit, rebus in Livonia & contra Danos malè cedentibus. Nam Danis Uarburgo in Scandia potitis, ubi dux eorum Ranzovius cecidit, & *Magno* Daniæ Regis fratre à Muſcovitarum Cæſare, Livoniæ Rege declarato, quibus accedebant ancipites & tumentes in Suecia res domeſticæ, Johannes adeò in arctum redactus eſt, ut in pacem cum Danis, mediatoribus Imperatore Maximiliano & Rege Galliarum, ſibi ingloriam conſentire coactus ſit, Stetini compoſitam inter alia his legibus, ut, *Suecus renuntiaret Scaniæ, Blekingiæ, Hallandiæ & Gotlandiæ* antiquis Suedici regni partibus, nec non juri ſuo in *Norwegiam*, Naves Danis ereptæ reſtituerentur, ac inſuper centum quinquaginta millia thalerorum Imperialium *ei* ſolverentur, Helſburgum Sueço redderetur, anno 1569. In Livoniâ res inte-

interim Suedicæ plurimum allevatæ ſunt bello Polonorum adverſus Muſcovitas, qui Tartaros in illos incitarunt, à quibus ipſa Muſcoviæ urbs capta & in cineres redacta fuit. Sed hac inundatione brevi ceſſante, Muſcovitarum dux *Johannes Baſilius* ille ferox & ſævus, mediâ Brumâ, cum exercitu LXXX. millium in Livoniam irrumpens cladem late circumtulit, infanda crudelitate, cædibus, incendiis, hominibus etiam haſtis ut verubus infixis & aſſatis; Ita Vitenſteinium & Pernaviam obruerunt. Planeque Suecos ex illis partibus ejeciſſent; niſi mortuo *Sigiſmundo* Auguſto Poloniæ Rege, *Stephanus* electus Muſcovitas in Lithuaniâ magnis cladibus adfectos ad pacem, relictâ Livonia, compuliſſet anno 1581. Etſi non comprehenſi ſunt hac pace Sueci, fœdere tametſi Polonis juncti; manente etiam diſſenſione inter hos de Eſtoniâ; quam Stephanus armis, niſi morte præventus fuiſſet, repetitum veniſſet. Interim Suecis ibi res fuit cum Muſcovitis & cum *Magno* Dano, quem Muſcoviticus Cæſar Regem Livoniæ dixerat; ſed qui brevi omnibus evolutus ex animi dolore mortuus eſt anno 1583. Sueci deinceps omni Eſtoniâ recuperatâ, Nervâ etiam utrâque captâ, Moſcos ſtrenuæ refutarunt; duce imprimis uſi *Ponto de la Gardie* natione Gallo, qui induſtriâ & fortitudine, ductâque in uxorem *Sophiâ* Regis filiâ naturali, fortunam illic in poſteros duraturam fundavit. Bella deinde cum Muſcovitis in illis partibus, induciis aliquoties ſopita identidem

re-

reſuſcitata variiſque ſucceſſibus adminiſtrata ſunt.

12. Poſtrema *Johannis* tempora moleſtiis quoque internis non caruerunt, propter inſtitutum mutandæ religionis, ab uxore *Catharina* Jeſuitis obſeſſa illi injunctum, quæ & filium comunem *Sigiſmundum* Pontificiis ſacris imbuit. Johannes ut mulieri imperioſæ & ſuperſtitioſæ morem gereret arte agendum ratus per Epiſcopos jam Lutheranos alioſque, ab inſtituto Caſſandri hoc tempore celebri non alienos, id egit, ut mediam inter Pontificiam & Lutheranam inſiſteret viam, quaſi Eccleſiam ad normam inreprehenſæ antiquitatis formaturus, quam ſcilicet tutiſſimam arbitratus eſt rationem, non impetu ſed paulatim reducendi Papiſmum. Huic conſilio duæ res obſtiterunt, frater *Carolus* in diverſum obfirmatus omneſque novationes, in Sudergermanniâ ſua abſciſſe prohibens, & mors *Catharinæ Iagellonicæ*, uxoris, in cujus locum duxit *Gunilam* Johannes ex Bielkiorum familiâ, Lutheranæ Confeſſioni addictam.

13. Altera moleſtiæ cauſa fuit *Johanni* fratris Caroli æmulatio & crebra adverſus inſtituta Regis oppoſitio, maximè poſtquam *Sigiſmundus*, unicus ejus filius, ad regnum Poloniæ evectus erat; quæ tamen lenita eſt, eo quod uxore Caroli ſine liberis mortuâ, cœlibatum ille promiſerat. Quem non præſtitit, ducta in uxorem *Chriſtinâ* Adolphi Holſatiæ Ducis filiâ. Unde nova ſimultas, Johanne pro ſua pruden-

tiâ

tiâ non leve periculum ex Filii abſentia, Religione diverſa, Caroli fratris ambitione, qui ſe clero populoque gratum effecerat, proſpiciente; quod non fuiſſe de nihilo tum quidem res arguebat, poſt ejus mortem eventus demonſtravit.

CAP. IV.

De regno Poloniæ.

IN Poloniâ *Sigiſmundus Auguſtus* otium longi & felicis regni non admodum dignis tanto faſtigio occupationibus tranſegiſſe dicitur, impoſtoribus & magis quoque deditus; ingenio alioqui liberæ gentis libero ſatis accommodatus. In fata conceſſit anno 1572, *Iagellonicæ* ſtirpis ultimus; relictis duabus tantum filiabus, *Catharina* Johanni Suecorum Regi nupta & *Annâ* virgine, ſed vetula & deformi. *E Catharina* filius erat *Sigiſmundus*, tum adhuc regno immaturus, ideoque in aliud tempus reſervandus. Erat alia Catharina mater Galliæ Regis, quæ vaticinium, quo omnes ejus filii dicebantur regnaturi, ſic implere ſtudebat, ut foris potius collocarentur, quam ſibi ſecundum ordinem triſtis orbitatis regnum paternum traderent, ideoque Poloniæ regnum pro filio HENRICO Andegavenſium Duce petebat. Res habuit ſucceſſum induſtriâ Monlucii Epiſcopi Legati & ope viribuſque Reformatæ religionis Procerum, qui ſuo concurſu factioni Gallicæ prærogativam conciliarunt: etſi Hen-

Henricus acerrimum ſe Proteſtantium hoſtem profeſſus in Gallia, hoc ipſo anno inter Lanienæ Pariſienſis auctores fuerat præcipuus. Sed largitiones odiumque vicinæ Auſtriacorum potentiæ prævaluerunt, fiduciâ Polonorum, ſe facile prohibituros, ne Pariſienſi more tractarentur. Neque rem ſuæ religionis neglexerunt, inter alia ſtipulati pro Reformatis in Galliâ, liberationem omnium locorum, quæ tunc obſeſſa tenebantur, inter quæ Rupella & Sancerra fuerunt.

2. Legati diadema offerentes Lutetiam Pariſiorum ingreſſi & officio defuncti ſunt, menſe Septembri ſequentis anni. Rex novus in Poloniam appulit initio *anni* 1574. Ubi principiis, ut fit, blandientibus, à Nobilitate populiſque, propter adſpectus dignitatem, crebras largitiones, elegantiamque moris Gallici, non fictè amabatur. Sed arrogantia Polonorum, levitas Gallorum & ipſius inconſtantia, primum adfectum brevi mutavit in odium mutuum: quod auxit propoſitum Senatus regni, petentis, ut *Annam Jagellonicam* Sigiſmundi Auguſti filiam in uxorem duceret; à quo animus ejus adhuc tumens amore Principis Condeæ, propter quam è Gallia vix avelli potuerat, vehementer abhorrebat.

3. Sed Carolo IX. Galliarum Rege ſub finem Maji menſis ejuſdem anni mortuo, Henricus citis epiſtolis evocatus à matre, veritus, ut à Polonis facile commeatum acciperet, clam ſe Cracoviâ contulit Viennam, inde Venetias ac ita

ita in Galliam , non ſine juſtâ offenſione Polonorum , qui fruſtra eum perſequi & reducere conati , dein tamen placati ſupellectilem & miniſterium ejus , quod haud levi in periculo cædis fuerat , tranſmiſerunt. Deinde Regem fruſtra precati ut reverteretur , terminum ei præfixere brevem ſatis; intra quem ni rediret, *thronus vacare* judicaretur : Atque ita decretum eſt *a. d.* 14 *Julii* 1575. Electi ſunt à ſingulis factionibus duo Reges, *Maximilianus* Imperator & *Stephanus Bathorius* Tranſylvaniæ Princeps, hic quidem ſub lege, ducendi *Annam* in uxorem. Qua conditione , nectente moras *Maximiliano*, per ſe, coram impletâ, regnum Stephanus occupavit. Contentionem hinc orituram Maximiliani mors ſecuta diremit.

2. STEPHANUS Vere fuit, juxta Homericum illud, *Pace bonus Princeps & non minus acer in armis.* Regnum barbaris undique cinctum hoſtibus egregie tutatus eſt. Imprimis ferocem illam & immanem è Muſcovia belluam *Iohannem Baſilium*, eò, cum per ſe, bellum ex Lithuaniâ movens, tum in Livoniâ per Johannem *Zamoſcium* armis literiſque inſignem Virum redegit, ut pacem ſub Lege renuntiandi Livoniæ acceperit. Pro ſtabiliendâ quoque pace, juſtitiâque in ipſa Poloniâ non alius Stephano fuit utilior Princeps. Effrenem nobilium inſolentiam, vitium libertatis, non modo bonis legibus, ſed etiam ſeveris aliquot exemplis coërcuit; Religionum diſcrepantiam , ipſe licet calidè pontificius, illi-

batæ libertati reliquit. Unum in præſens utile poſteris anceps inſtituit, *Coſaccos*, qui fuere colluvies hominum ad ripas Tanais & Boriſthenis fluviorum per Voliniæ & Podoliæ campos certis Legibus & ſtipendiis ſibi addictos, diſpoſuit, ad coercendas Tartarorum incurſiones; Pedeſtri potiſſimum operâ, cujuſmodi militia Poloni indigebant, eo quod nobilitas ipſorum, quæ ſola bello ſe applicat, equis utitur, plebs ad arma fere inutilis eſt, habita ſerviliter à nobilitate. Stephanus Imperio potitus annis fere duodecim ardenti febre correptus deceſſit anno 1582, cum malum Rigenſibus ob ejectos Jeſuitas ipſiſque Suecis de vindicanda Eſtonia minaretur.

3. Præceſſerat illum in mortis via *Johannes Baſilius* Cæſar Muſcus, de quo aliquoties dictum, cui ſucceſſit *Theodorus* filius ſecundo genitus; Primogenito antea Pater ferus ob dictum liberius, fuſte caput contriverat: ipſe obiit anno 1584. Theodorus ingenii longe fuit manſuetioris. In ejus initia incidit navigatio Anglorum verſus Ruſſiam ſive Muſcoviam per album mare, quod dicitur, ſuperato ſeptentrionis ultimo promontorio. Quam viam aliæ deinde nationes, maxime Belgæ, ſequutæ celebrem mercaturam apud Fanum *Archangeli* ſtabiliverunt; quæ prius per Reveliam & Nervam exercebatur: Quâ mutatione non modo illæ civitates, ſed etiam reliquæ Balticæ, maxime Lubeca Daniæque orizundica vectigalia multum accepere detrimenti.

4. Di-

4. Diviſa novi Regis eligendi cauſâ fuere Polonorum ſuffragia. Pars *Maximilianum* Auſtriacum Rudolphi Cæſaris fratrem; alii SIGISMUNDUM Johannis Sueciæ Regis è *Catharinâ* Sigismundi Auguſti Poloniæ Regis filiâ natum ac ita Jagellonicæ cognationis elegerunt. Huic ſupremus Juſtitiæ & militiæ Præfectus *Zamoſcius*, magni Vir in utramque partem momenti, favebat. Aquo, progreſſus cum exercitu Cracoviam uſque *Maximilianus*, inde rejectus & copiis exutus, etiam vivus in hoſtium poteſtatem redactus nec niſi ſub renuntiatione juris ſui dimiſſus eſt. Ita exiit hujus *ſectionis* ſpatium. Thuan. *lib.* 63.71.

CAP. V.

De regno Hungariæ

FErdinando Imperatore & Hungariæ Rege, *Johannem Zepuſium* Juniorem Tranſylvaniâ potitum, ibique Principem egiſſe diximus. ſed mortuo *Ferdinando*, montibus ſuis egreſſus favore popularium & Turcico fretus regnum paternum armis repetendum ſuſcepit. Adverſus quem *Maximilianus* Lazarum *Schwendium*, nobilem Suevum, hominem ſtrenuum, cum exercitu Saxonicis inſtructo auxiliis miſit, qui à Tranſſyluanis occupata brevi recuperavit & Johannem intra ſuos montes redegit.

2. Tandem ipſe *Solimannus* quintam in Hungariam expeditionem ſuſcepit, quo tempore

Turcæ à *Palota* Caſtro depulſi Veſprinum etiam à Cæſareanis captum amiſerunt. Sed *Giulam* urbem præfecti Keretſchii perfidiâ Turcæ, præſidiariis contra datam fidem interfectis, occupa vere. Solimannus ipſe Zigethum in lacu ſitum obſidione cinxit, qua dum laboratur, Schwendius Turcas & Tartaros haud mediocri clade perculit, obſidionem tamen ſolvere non potuit: Etſi ingens in ea hoſtium numerus periit: Ipſe cum aliis Solimannus, apoplexia mortuus; quem caſum Mahometes primus Satraparum, tantiſper dum urbs caperetur, ſingulari occultavit induſtria. *Nicolaus* Comes *Zerinius* cum pertinaciſſime locum duobus oppidis & tribus caſtellis conſtantem defendiſſet, ad extremum flammis undique cinctus in irrumpentes hoſtes ipſe erupit & cum ſuperſtitibus militum, telis obrutus occubuit, *menſe Septembri.* 1565.

3. Tranſſylvania interim non modo ab Auſtriacis, ſed etiam à Turcis & Tartaris horum ſtipendiariis vexabatur, contra quos egregia fortitudinis Specimina edidit *Johannes*, quorum hoc maxime memorabile, quod *Varadini* à barbaris obſeſſus, clam urbe, eluſis obſidentibus, egreſſus & collectis copiis viginti illorum millia interfecit, innumeriſque Chriſtianis in libertatem adſertis, patriam barbarorum latrociniis purgavit. Poſtremo res in novas deſiit inducias octennales, inter Cæſarem, Selymum Solimanni ſucceſſorem & Tranſſylvanum, anno 1568. Sed *Johannes* triennio poſtea ſine liberis deceſſit,

na-

nactus ſucceſſorem *Stephanum Bathorium*, quem deinde Regem Poloniæ vidimus factum.

4. Induciæ cum Turcis nunquam ita fuere tutæ, quin crebræ utrimque fierent excurſiones, quæ Turcis in Aſia occupatis & Cæſareanis facile quieſcentibus in bellum apertum non eruperunt, ſed induciæ ad decennnium renovatæ ſunt, *anno* 1584, Quarum in medio contigit, ut MLXIV. Cæſareani, maximè Sileſii, apud Sixum Hungariæ ſuperioris oppidum decem millia Turcarum, cæſis amplius mille quingentis & totidem facile captis, profligaverint. *die* 8. *Octobris anno* 1588.

CAP. VI.

De rebus Italicis.

PEr annos Lx & amplius *Italia* bellis adſiduis non magis ab aliis adflicta fuerat quam ſe adflixerat ipſam; idque, ne veniret in eum ſtatum, quo Ultramontani *Barbari* quos vocant, in Italia prævalerent, quem Pontifices inprimis ſemper deteſtati & quovis modo avertere conati fuerant: In quem tamen cum inviti incidiſſent, adeò pax immota fuit, ut omni *ſectionis* hujus tempore, per annos xxx parum inveniatur, pro hujus inſtituti ratione commemorandum. Sciebant enim poſt experimentum Pontifices & reliqui potentiores, Hiſpânos à ſe bello ex Italiæ finibus, quos latè tenebant, ejici non poſſe; Nec minus Hiſpani Gallos à tergo habentes, reliquam Italiam armis belli à ſe in provinciam redigi non poſſe intelligebant.

Ideoque prudenter auctoritate, quam habebant maximam, contenti, dominationis conatibus abſtinebant. Et Pontificum res ab hoc tempore, ceſſante materiâ bellorum, maxime ad Eccleſiaſtica pertinent: Tametſi illorum ſucceſſio, quatenus etiam Principes ſunt Italiæ præcipui, ad hunc locum referri poteſt.

2. Paulus IV. octiduo poſt Galliæ Regem Henricum III. mortuus erat, exoſæ apud Romanos memoriæ, propter Inquiſitionem ab illo Romæ ſtabilitam, cujus rigor & inhumanitas Religionis prætextu ſervitutem diram & publicam involvebat. Ideo cum primo inclamatum eſſet ejus nomen gentilitium, ut moris eſt, ſuprà cadaver, ac ita mors hominis innotuiſſet, plebs furibunda ſtatuas ejus & inſignia per urbem totam detraxit & obtrivit. Factiones *Caraffarum*, ex qua familia fuerat Paulus, & Vargæ Legati Hiſpani, per artes & partes ſuas Cardinales ita diſtraxerunt, ut novi Pontificis electio nonniſi poſt tres menſes ab ingreſſu in conclave committi potuerit, die 26 Decembris, quinque menſibus poſt obitum Pauli. Electus eſt autem Cardinalis *Medequinus* frater Marchionis *Marignani*, homo novus, ſed qui ſimilitudine nominis ſe Medicæorum familiæ adjungi gaudebat, ideoque & *Coſmo de* Medicis Hetruriæ Duci prolixa benevolentiâ ſe venditavit. *Caraffas* autem fratres, qui ſuperiori Pontificatus potentiâ protervè abuſi fuerant, in carcerem compactos anno ſequente capitis damnavit, Cardinalem quaſi ob majeſta-

tis

tis crimen, ſtrangulari, Ducem Polianum alterum fratrem, ob parricidium in uxorem gravidam commiſſum capite mulctâri juſſit, utriuſque amicis eorum ruina involutis. Hæc & tum à multis injuſtitiæ arguebantur & ſub Pio V. tanquam vitioſe judicata nullius momenti declarata ſunt.

3. *Coſmi* Ducis fortuna in illuſtri loco erat ſita, culti à Pontifice & ab Hiſpanis, quos ipſe viciſſim colebat, auctus ab illis ceſſione *Senæ*, ditiſſimaſque ditiones in pace ſapienti imperio moderabatur. Non eadem domeſticæ fuit fortunæ indulgentiâ, quæ penates ejus miſerè funeſtavit. Filius enim ejus *Garſias* cum à *Johanne* fratre, qui jam Cardinalis erat, diſſideret, eum in venatione ſolus ſolum interfecit: Quâ re Pater compertâ, Garſiam fraterno cadaveri admotum ſuâ manu viciſſim confodit, quam calamitatem *Helionora Toletana*, mater, inpartanto dolori morte proſecuta eſt. Coſmus è Republica & magnitudine rerum ſolatia quæſivit & invenit; hæc anno 1562. Biennio autem poſtea *Franciſcum* filium, conſilio novis principatibus firmandis non inſolito & confiſus ingenio juvenis, in Imperii ſocietatem adſcivit.

4. Porrò, dum bella ceſſabant in Italiâ, diſputationes otii comites inter Gallos & Hiſpanos de ordine dignitatis agitatæ ſunt. Galliæ Reges Hiſpanos non modo præceſſerant, verum hi quoque Anglis olim ceſſerant: Scilicet, Caſtiliæ Reges duntaxat, nunc omnibus unitis Hiſpaniæ regnis, accedentibus Indiis & tot aliis regnis late diffuſis primum ſibi locum

dari, ſaltem ipſi ne ſequi cogerentur, æquum cenſebant. Prima Venetiis contentio fuit, ubi Senatus pro Gallo judicavit. Secunda fuit Tridenti in Concilio, quod renovatum anno 1560 in quo Hiſpanus variis artibus locum obtinuit ſingularem. Tertia Romæ, ubi cum Pontifex arbiter æqualitatem variis modis tentaſſet, lis tandem pro Gallo deciſa fuit, Pentecoſtes feſto 1564. Hiſpanis proteſtantibus, qui exinde controverſiam illam ſæpe verbis & factis renovatam, ad noſtram uſque memoriam ſuſtinuere, quâ *Ludovicus* XIV. illos ad ſolennem renuntiationem ſubegit.

5. Pertinet etiam ad res Italicas Inſulæ *Melitenſis* obſidio, quam *Solimanus* Imperator mari continuo ſibi moleſtam per quatuor menſes immani apparatu oppugnavit; ſed amiſſis quindecim militum & octo claſſiariorum millibus frendens eam relinquere coactus eſt anno 1565. Bellum etiam *Corſicum*, quod ſuperioribus annis belli Hetruſci appendix fuerat, renovatum eſt à *Petro de Baſtelica* Corſo, indomiti & implacabilis in Genuenſes Corſicæ Dominos animi. Ipſe quidem humilis ortu, ſed uxorem duxerat nobilem & locupletem ex eâdem inſula *Vaninam Ornanam*. Hæc, Viro Conſtantinopolin profecto, ut à Turca peteret auxilium, à Genuenſibus perſuaſa fuerat, ut ſe Maſſiliâ Genuam cum liberis ſuis conferret, pertæſa jam pridem Viri tam aſperi & inquieti. Sed è fuga per amicos mariti retracta, ab ipſo domum rever-

reverſo propriis manibus ſtrangulata eſt. Solitus erat illam ut dominam reverenter habere vilis ipſemet erga feminam illuſtrem; Vultu igitur & oratione ſubmiſſâ dominam compellans, eam tantum crimen nonniſi morte expiare poſſe demonſtravit, quam accipere oporteret à ſervis Turcicis præſentibus. Illa vero gratiæ loco, ſi moriendum eſſet, ne ſervilibus ſed ipſius viri fortis manibus id fieret, rogare, nec Ille cunctatus aut miſeratione flexus in eodem reverentiæ geſtu, venia ab Hera ſua, ut loquebatur, capite nudo petita, faſciâ collo ejus injectâ, fauces eliſit anno 1567. Ipſe continuatis aliquot annis tumultuario in Corſica bello, proſcriptus à Genuenſibus tandem oppreſſus periit.

6. Sed Pio IV. Pontifice ſub exitum anni 1565. mortuo, initio ſequentis electus eſt Papa *Michaël Giſlerius* Cardinalis Alexandrinus humili ortus familiâ, quam, anteceſſoris ſui exemplo, ex *Conſilieriis* nobilibus Romanis ortam credi voluit; hiſque adeo ut *Giſlerios* ſe, quaſi olim ita dicti, vocarent, imperavit. Hunc Coſmus Florentiæ Dux non minus quam præcedentem Pium coluit, eumque ita ſibi devinxit, ut *Regis* Hetruriæ titulo & dignitate illum extollere decreverit. Sed cum hoc ipſi Coſmo, ut erat ſolidæ vir prudentiæ, diſpliceret, Regiam in Magni Ducis appellationem convertit; Cujus honorem & inſignia Romæ ſolenniter accepit anno 1569. Confirmationem facilius ab Imperatore, quam à *Philippo* Hiſpano impetravit approbationem.

7. Se-

7. Sequens annus nobilis eſt *Cyprio* bello, quod ob vicinitatem ad Italica referendum. Hæc inſula ab annis plus centum in Venetorum ditione fuerat, hereditario jure illis relicta à *Catharina Cornelia* Patricii Veneti filiâ, quæ uxor & heres *Jacobi Luſignani* Regis ultimi Cypriorum & à Senatu Veneto adoptata fuerat. Selymus Solimanni filius, Muſtapha Duce *menſe Julio* 1570. inſulam cum exercitu L. millium invaſit & primo Nicoſiam urbem mediterranéam à Nicolao Dandulo fortiter defenſam occupavit; dein Famaguſtam portum præcipuum terrâ marique obſedit, Defendente eam generoſiſſime *M. Antonio Bragadino*, donec ad extrema redactus & auxilii ſpe deſtitutus urbem, vitâ ſalvâ, dedere coactus eſt. Sed barbarus fide ruptâ, primo illi nares & aures præcidi, dein vivum deglubi juſſit, non minore Bragadini in tormentis quam in armis fuerat, conſtantiâ. Claſſis Hiſpanica, Duce *Doriâ* & Pontificia ſub M. Antonio Columna Venetæ ſe conjunxerat; ſed diſcordiâ, fœderatorum armis conſuetâ, factum erat, ut primò re infecta dilaberentur. Dein, amiſſa jam Cypro, urgente Pio Quinto Pontifice, denuo conjuncta, naves CLVI. bellicas continens, Duce omnium *Johanne Auſtriaco* Philippi Regis fratre naturali, conflixere cum Turcis apud Echinadas inſulas, haud procul *Actio* promontorio, ubi victus olim ab Auguſto Antonius. Ingenti clade ſuperati ſunt Turcæ, captis CXVII. navibus,

bus, viginti ſubmerſis, Viginti fere millibus hominum interfectis, quatuor millibus captis. Sed diſcordia quæ prius fœderatorum conſilia turbaverat, iterum in cauſa fuit, ne ullus præter gloriam tantæ victoriæ fructus conſtaret, Venetique ſibi conſulere, & pacem, victores licet, à Turcis emendicare cogerentur.

8. Pio V. in ſeptimo Pontificatus anno mortuo, poſt novendiale ſacrum ex more celebratum, Cardinales in conclave ingreſſi eadem nocte elegerunt *Hugonem BuonCompagnum* Bononienſem Juris utriuſque doctorem, qui *Gregorius* XIII. appellari voluit. Ab hoc eſt inter alia Juliani Kalendarii mutatio, detractis anno 1582. decem diebus. Quo autem in futurum annus exactè cum ſolis curſu conveniret, conſtitutum eſt, ut ſingulis quadringenis annis, dum res humanæ ſtabunt, adhuc triduum detrahatur, ſinguli dies tribus ſeculis prioribus, initio facto ab anno 1700. quo ita ſtylum recentem ſive Gregorianum undecim diebus à vetere Juliano diſcrepare oportebit. Sed plerique Proteſtantes hanc emendationem, Pontificis reſpectu, adſpernati ſunt & Juliano etiamnum utuntur, quaſi toto cœlo, ut quidam irriſit, errare conſueti.

9. Annus 1574. fatalis fuit *Coſmo* de Medicis magno Heturiæ Duci non tam ſenectâ quam morbis confecto, quem more potius quam magnitudine quidam non abſurde cum Auguſto compararunt, utrumque patriæ libertatis op-

preſſorem, juſto tamen regno & prudenti moderatione conſpicuum, foris & in Rempubl. validâ utriuſque fortunâ, domi improſperâ & funeſtâ, ut intelleximus, quod fatum etiam poſt fata utrumque infeſtavit. Enimvero *Franciſcus* filius, cui *Johannam*, Maximiliani Cæſaris filiam Pater vivus conciliaverat, eam poſt ejus obitum, magno domus ſuæ novique Principatus ornamento in uxorem duxit. At hæc cum filiam ei peperiſſet *Mariam* Henrici IV. Galliarum Regis poſtea conjugem, è vita deceſſit. Ipſe deinde captus eſt amore *Blancæ Capellæ* nobilis Venetæ ſed levioris notæ, quam duobus ſuſceptis liberis in uxorem magno cum dedecore ſuo duxit. Hæc autem ſuæ liberorumque ſuorum ſpei obſtare videns *Ferdinandum* Cardinalem Ducis fratrem, veneno illum tollere ſtatuit, idque nulli fidens ipſa miſcuit cibo, quem ſciens ei pergratum cœnanti curavit apponi. Sed monitus ille Fratriam cibo adfuiſſe parando, ſimulatâ infirmitate penitus abſtinebat, hortante licet *Blancâ* ad deſtinatos ei bolos nominatim. Quod Dux ipſe conſpicatus & doli neſcius, ut fratri ſuſpicionem eriperet, partem ferculi ab uxore commendati è longo arripuit avideque comedit, Neque moram fecit Blanca furore vecors reliquum in os ingerere: Et ſic ambo perierunt *anno* 1587.

10. *Gregorio* XIII. poſt tredecim Pontificatus annos defuncto ſurrogatus eſt, poſt acerrimam contentionem Cardinalis *Montalius*, ex humili

humili ruſticâ domo factus olim Monachus & per omnes Eccleſiæ gradus ad ſummum evectus faſtigium. Ante Cardinalatum uſus ingenio ſuo, contentioſè atque ſuperbe ſe geſſerat. Cardinalis creatus mirificâ modeſtiæ & infirmitatis ſimulatione, Candidatum papatus, nemine animum advertente, egerat. Cumque factiones in Conclavi conſpirare non poſſent, itum eſt ad hunc ut brevi moriturum; perſuaſis quoque factionum Principibus, eum in ſingulorum poteſtate futurum, quod ſummo illis artificio quaſi aliud agens inſinuaverat. Duravit ſimulatio uſque ad momentum electionis, quo incontinenti demonſtravit, ſe nullius fore quam ſuum & poſt *Julium* II. omnibus eoque ipſo imperioſiorem: ſine cunctatione progreſſus ad ea, de quibus Anteceſſores ejus dubitaverant, deteſtationem regis Navarræ & Principis Condæi, Reginæ Elizabethæ aliorumque, in quibus potentiam Papalem oſtentare poterat. Sedit ultra *ſectionis hujus* terminos.

CAP. VII.

De rebus Hiſpaniæ.

NOva rerum facies poſt exceſſum *Caroli* V. in Hiſpania quoque reluxit, profunda poſthac quiete, ſi Luſitanicos motus excipias, immerſa. Nam PHILIPPUS II. exemplo poſteris immobili futuro, ex Belgicâ mari vectus in Hiſpaniam, illic Monarchiæ ſuæ fixam ſedem collo-

collocavit, non tantum ideo, quod ditionum ſuarum hanc eſſe principem intelligeret, ſed etiam quod in illarum medio poſita, regimen ad omnes æquabiliter diffunderet. Ad orientem ſpectans Italiam, in quâ regnum habebat Neapolitarum & Ducatum Mediolanenſem, præter Siciliam & inſulas complures in mari mediterraneo. Ad Auſtrum erat Africa cum regno Tunetano aliæque poſſeſſiones. Ad occidentem novi orbis auri feræ regiones; à Septentrione Belgica & Burgundia vetus patrimonium avitæ & patritæ domus. Monarchia verè diffuſa, magnitudine potentiâque reliquis Mundi poteſtatibus terribilis, maxime propter imbecillitatem regnantium in reliquis orbis terrarum partibus, ut initio hujus ſectionis notavimus. Hanc magnitudinem Philippus Hiſpanicâ grandiloquentiâ augens, regnornm numeroſis ſuis titulis adjecit hoc elogium, *dominator in Aſiâ & in Africâ*, quod tamen & *Carolus* Cæſar uſurpaverat. Sed tam diffuſa magnitudo membris malè cohærentibus infirmitatem ejus in tempore detexit & poſtremo trntum non ludibrio expoſuit.

2. E Belgicâ deceſſit. Philippus *anno* 1559. *Auguſto* menſe, fœdæ tempeſtati quâ pleraque claſſis & regia ſupellex periit, ægre ſubductus. Nihil, cum primum appulit, prius habuit, quam per horridam Inquiſitionem omnes novæ religionis ſuſpectos ingenti numero indagare, damnare, comburere, magnâ cum pompâ & oſtentatione ſeveritatis, ipſe cum aula tota ſpecta-

ſpectator eſſe gaudens. Inter damnatos fuit etiam *Conſtantinus Pontius* & *Ægidius* Droſſenſis Epiſcopus, ambo poſt omnes alios in ſtramineis figuris, quod non ita pridem è vita exceſſerant, combuſti, ut tragoediam tot nobilium utriuſque ſexus hominum exitio flebilem, hoc quaſi ridiculo mimo clauderet. Pontius Carolo V. extremis annis à Confeſſionibus fuerat, qui animum ejus à multis erroribus & ſuperſtitionibus deterſiſſe credebatur. Quod Patris memoriam hac ratione Philippus dehoneſtabat, adeo non curavit, ut quidam ſcribant, nihil in mora fuiſſe, quominus patris ut hæretici memoriam damnaret, quam reputatio, quod ea res ipſum ſucceſſione regnorum indignum effeciſſet, Ita Galli ſcriptores. Verum utique eſt, cariſſima quæque ab eo præ religione ſpreta vel immolata fuiſſe, ut exempla docebunt.

3. Inter quæ fuit cædes filii ipſius primogeniti *Caroli*, quem cum hoc agere intelligeret, ut in Belgicam ſe clam conferret populiſque ibi conmotis ſe adjungeret; cumque præterea, ſi quando ſibi ſuccederet, illum Religioni & patriæ exitioſum fore crederet, damnatum ad mortem ſecreto ſupplicio adfecit, mortis genere incerto; Huic brevi adjecit uxorem Flizabethem Francicam, conſuetudinis cum filio ſuſpectam cum fœtu, cujus erat prægnans, ut à *Catharina* matre per teſtium depoſitionem approbatum fuiſſe narrat Mezeræus Gallus, anno 1568. Poſt eam duxit in uxorem Philippus *Annam* ſua ex

ſorore

ſorore & Maximiliano II. Imperatore neptim.

4. Eodem anno coepit & biennio geſtum eſt bellum *Mauriſcorum*, qui ex veteribus Mauris ſimulato Chriſtianiſmo adhuc immenſo numero in Bæticâ ſupererant & comparatis armis, Rege electo ſe rurſus in libertatem adſerere conati ſunt; novo etiam Rege, cæſo priore, creato, Bellum atrox cædibus infandis & omni genere cladium funeſtatum, de quibus copioſe Thuanus in *lib.* 48.

5. Intervenit deinde bellum Turcicum & celebris ad Echinedas victoria, Hiſpanorum maximè viribus & ducatu parta, de quâ in *Italicis* dictum. Inde Johannes Auſtriacus Philippi frater nothus in Africam cum exercitu xx. M. trajecit, ad preces *Amidæ* Regis Tunetani, quem alias Muleaſſem patrem ſive Aſſanem regno & oculis privaſſe diximus. Ipſe vero ab *Uluzali* paucis ante annis iterum ejectus ad Hiſpanos confugerat; ſed *Johannes* Auſtriacus ſibi regnum illud moliebatur adeoque expeditionem inſcio Rege nec dein ad modum probante ſuſceperat. Sub hyemem anni 1572, Tunetam cum Biſertâ urbe ab *Uluzali* viribus ſuis diffiſo deſertam occupavit & arce nova exſtructâ munivit, impoſito Rege *Mehemete* Muleaſſis filio, quod tam indigne tulit *Amida*, ut ne in mare ſe præcipitaret, vix à filio impediri potuerit: deinde Neapoli conſenuit. Verum Turcæ prius quam arx Tunetana à Gerbellone ei rei præpoſito, per rerum inopiam perfici po-

potuiſſet, claſſem cum XL. millibus armatorum, Sinane Bacha & Uluzali ducibus, miſere, qui primo *Guletam* ad fauces Tunetani lacus arcem, quam Hiſpani jam antea tenebant, *Portocarrera* nobili Hiſpano male eam defendente, & deinde novam arcem, auxiliis Hiſpanorum negligentiâ ſerius comparatis, expugnarunt, ac ita Hiſpani regnum Tunetanum in perpetuum amiſerunt; quod ſi quieviſſent, Guleta retentâ, facile obnoxium tenere potuiſſent.

6. Sequuta eſt expeditio *Sebaſtiani* Luſitaniæ Regis in Africam, ad reducendum *Mechmetem* Feſſæ & Marochonis Regem, à patruo *Abdala Melio*, cui regnum jure debebatur, pulſum. Erat *Sebaſtianus* Emmanuelis ex Johanne filio nepos, juvenis rerum & maxime belli imperitus, qui inani gloriæ & imperii amplificandi ſtudio ad bellum viribus ſuis majus properabat, diſſuadentibus aviâ & Patruo, nec non Rege Philippo. Per varias difficultates biennio res fere producta, ſuperante tandem Regisardore fatoque Portugalliæ proceſſit, adjuvante etiam Principe *Orangio*, qui juvenem magnæ ſpei & Philippi æmulum ſibi conciliare ſtudens, tria Germanorum millia Sebaſtiano in auxilium miſit. Rex adverſarius gravi morbo adfectus cum XL millibus, equitatu fere cunctis, contra Sebaſtianum XIV millia peditum, ſeſqui mille equites habentem conflixit, inter *Arzylam & Larriciam* menſe Julio 1578. Victi Luſitani & fere omnes deleti; *Melicus*, de cujusprudentia & fortitu-

X dine

dine præſentiâque in extremis animi, mira narrantur, ante plenam victoriam in lectica exſpiravit; Machmetes in fuga periit, ſubmerſus aquis. *Sebaſtianus* cum nullum fortiſſimi ducis & militis officium omiſiſſet, ab omnibus deſertus & captus, cum victores de poſſeſſione ejus certarent, ab uno ex illis interfectus eſt. Ita uno prælio tres Reges occubuerunt. Cadavere Sebaſtiani non reperto, de fide mortis ejus poſtea dubitatum eſt.

7. Succeſſio regni Portugalliæ ſpectabat ad *Henricum* Emmanuelis fratrem, defuncti Patruum magnum, Cardinalem, fere ſeptuagenarium, improlem; qui ultimo die anni 1580 mortuus ingentem de regno contentionem reliquit. Immanuel hujus Henrici frater, præter *Johannem*, qui regnavit, habuit filios *Ludovicum* & *Eduardum*, filiaſque duas, Iſabellam matrem Philippi II. & Beatricem Philiberti Sabaudiæ Ducis matrem. Ex *Ludovico* nihil creatum ſuperfuit, quam filius naturalis *Antonius*. Eduardus reliquit duas filias, *Mariam* Alexandri Parmenſis uxorem, ex qua filius *Rainutius* ſupererat, & *Catharinam* Johanni Bragantiæ duci nuptam. Si linealis erat Portugalliæ ſucceſſio, juris ratio filias & neptes filii præferebat filio filiæ, ac ita *Philippus* Caſtiliæ Rex erat excluſus, & lex vocabat filium filiæ primogenitæ Eduardi, *Rainutium Farneſium*. Verum ſi hereditaria ſucceſſio ibi obtineret, ſuppoſito jure primogenituræ & marium prærogativæ, *Catharina* Bragantina gradu

du

du uno propior Henrico quam Rainutius, hunc præcedebat: Philippus autem manebat excluſus, quia mater ejus per Eduardum fratrem excluſa fuerat: Ac ita Conimbricenſes Doctores Patrii juris periti ſtatuebant. Sed Philippi ratio ſic erat; Succeſſionem eſſe hereditariam, ſecundum ordinem graduum reſpectu ultimi poſſeſſoris: Se autem & Catharinam in eodem gradu diſtare ab Henrico & in pari gradu marem eſſe præferendum.

8. Hæc ratio per exercitum ſub Duce Albano validum fines Portugalliæ ingreſſum approbata cæteris prævaluit, cui *Johannes* Bragantiæ Dux & Rainutius Farneſius bona cum gratiâ ceſſere. Verum Clerus & populus à Caſtilianâ dominatione alieni *Antonium* Nothum, qui ſe dicebat eſſe legitimum, deſiderabant eumque Regem proclamarunt. Sed victus ab Albano, per octo menſes à Monachis, qui & Azores Inſulas ipſi conciliarunt, occultatus delituit, & tandem in Hollandiam & Angliam ſe contulit. Hinc è Galliâ claſſem mox & auxilia duxit in prædictas inſulas, ut ibi claſſi Americanæ aliiſque occaſionibus invigilaret. Sed victus eſt à Marchione Sanctæ crucis Hiſpanicæ claſſis præfecto, qui Stroſſium Gallicæ claſſis Ducem cæteroſque nobiles captivos, ut pacis violatæ reos & rebellium fautores ſuppliciis adfecit. Antonius in Galliam pudoris & infortunii plenus rediit anno 1581. Poſtmodum Anglicanis inſtructus auxiliis in novas Spes conſurrexit anno 1588. quibus æque

inrito ſucceſſu finitis, ille ſuas quoque ſpes vitamque finivit in Gallia. Hiſpani rebus ſuis in Luſitaniâ hoc modo ſtabilitis, magnitudinem ſuam nobili & commodiſſima acceſſione locupletarunt.

9. Hanc victoriam inſtrumentum ſequentis & majoris fore præſumebant. Ira in *Eliſabethen* Anglam, ſpes ſubigendi feminam gentemque longâ pace emollitam, religionibus in ſe diviſam, à qua Belgarum reductio penderet; fiducia opum Hiſpaniæ & Belgici exercitus indurati virtute belli, Philippum alioqui certis conſiliis intentum & prudentiæ laudatorem ad ancipitem expeditionem, invadendæ Britanniæ, immenſis victoriæ præmiis, impellebant. Et quia maris imperium ad hanc ſpem erat neceſſarium, hoc, paratâ immani claſſe, ut tum res erant, præfecto Medinæ Sidoniæ Duce, nobilitate quam rei maritimæ peritiâ clariore, ſibi primò adſerere ſtatuit. Conſtabat hæc navibus centum triginta ſex, quarum plurimæ prægrandes, qualis adhuc non viderat Oceanus; machinas portantes bellicas majores 520. hominum millia xxv. quibus Dux Parmæ xxx M. veteranorum fuerat additurus. Hiſpanica claſſis *Invicta* ab ipſis appellata, quanquam noſtro tempore vidimus alias ex Angliâ & Belgio prodeuntes longe potentiores, ſtatione Ulyſſiponenſi profecta *die tertio Maji* 1588. primum gravi tempeſtate coacta eſt ſe recipere in portum Coronæ. Die xxv Maji rurſus ſe mari commiſit & trigeſimo die venit in conſpectum Angliæ. Cum autem Dux Par-

Parmenſis nondum eſſet paratus, in patentiori æquore Canalis Britannici ſe ad anchoras continuit, donec ab Anglis, duce *Drakio*, vexata à die 21 menſis Julii, ſe recepit Caletum verſus, quo loco Parmenſis certo die, ſe illis adfuturum promittebat: Sed non poterat, cum quod claſſiarios juſto numero non haberet, tum quod Anglicæ & Batavicæ naves Flandriæ portus obſidebant. Interim Angli commodo uſi vento naves incendiarias Hiſpanis immiſere, quarum terrore funibus anchorarum ruptis, Auſtro vehemente provecti in mare Germanicum & tempeſtatibus vexati, diſſipati, naufragiis hauſti, ab hoſtibus capti, poſt ſeſquimeſtrem errorem, totam circumvecti Britanniam, quinto decimo ſeptembris die, amiſſâ majori navium parte, redeuntes in Hiſpaniam, luctum in aulam omneſque nobiliores intulere familias. quem Philippus ſatis ſibi conſtans in adverſis, certo tempore per Edictum finiri præcepit.

CAP. VIII.

De rebus Galliæ uſque ad finem belli civilis primi.

SEquuntur res Galliæ, Anglicæ & Belgicæ, in quibus præcipua hujus temporis mutationum materia continetur: Italiâ motibus ſuis pridem, ut & Germaniâ, quamdiu fata permittent, defunctâ. Innovatio Religionis apud Germanos nata, in Galliam, Belgicam & Britanniam propagata, belli quoque de Religione vices in eaſ-

dem intulit. In Galliam primum, ubi concipiendæ flammæ parata erat duplex factio, *Monmorantiorum* cum Principibus ſanguinis *Antonio & Henrico Borboniis*, quorum ille, ducta *Albretana* herede, Rex erat Navarræ, adverſus *Guiſios* Ducem & Cardinalem. Alter expeditior fomes erat in partibus Catholicis contra Reformatos adhuc ab illis oppreſſos, ſed ad vindicandum ſe paratos, ſub rege adoleſcente *Franciſco II.* qui inauguratus eſt d. xxi. Septemb. 1559.

2. Partes religionis latius diffuſæ alteram factionem ſub illis, ut ſolet in talibus, latentem ac in tempore erupturam tegebant. Quin ipſe Monmorantius Pater, à feminis ſuperſtitioſis & filio *Damvillâ* impulſus ſe Guiſiis ad defenſionem Catholiciſmi adjungebat. Reformatorum duces erant Borbonii fratres, maxime *Ludovicus* Princeps Condæus, & *Caſtilionæi* fratres quorum præcipuus erat *Gaſpar*, *Admiralius*. Sed *Guiſii*, quorum neptis Maria Stuartia Regi nupſerat, aulam & Regem occupavere, Conciliatâ ſibi Regina matre, quæ tamen callide momenta rerum & temporum obſervabat. Rebus ſuis ſtabilitis, Guiſii remotis à regimine Monmorantiis & Borboniis, ad ſupplicia Reformatorum converſi ſunt, Tribunali *Ardente*, ut vulgo dicebatur, in eos nominatim conſtituto, In quo inter alios innumeros, exuſtus eſt *Annas* Burgius Senator Pariſienſis, *vir* excellentiſſimæ virtutis.

3. Ignes tam diu arſerunt, donec ruptâ patientiâ, ingens conſpiratio, duce *Georgio Renaldio*, de

de capiendis Guiſiis, offerendoque libello ſupplice Regi, inita fuerit, mira fide ſecreti inter innumeros conſcios; donec per Advocatum Reformatæ confeſſionis *Avenellum* re detectâ, omnes qui armati die conſtituto ad regiam pergebant (tanta enim pertinacia erat, ut detecta conſilia tamen exequi vellent) capti & amplius MCC ſuppliciis adfecti fuerint: Cui carnificinæ præpoſitus *Franciſcus Olivarius* regni Cancellarius, vir doctrinâ & prudentiâ clarus horrorem tanti ſanguinis fuſi morte proſecutus eſt: Cui Regina mater ſua commendatione ſubſtituit *Michaelem Hoſpitalium* præcedenti nulla parte inferiorem.

4. Creditum fuit, principem *Condæum* hujus conjurationis fuiſſe conſcium, eumque, ſi res ſucceſſiſſet, caput ejus futurum fuiſſe. Deficiente autem probatione, dimiſſus & cum fratre in Aquitaniam profectus dolore metuque & ſpe impulſus totâ Galliâ res novas contra Guiſios moliebatur. Quibus detectis, ambo fratres vocati in aulam, etſi de periculo moniti, acceſſere. Nec mora, Condæus captus & capitis accuſatus damnatuſque Aureliæ, ubi tunc erat Aula & Ordinum Conventus, ſupremam horam manumque carnificis expectabat. Nec quicquam eum exemit, quam mors inopina Regis, qui ex ulcere capitis extinctus eſt *die* V *Decembris* 1560. ætatis decimo ſeptimo nondum expleto, cujus annum & quinque menſes in regno expleverat.

5. Carolo IX. Undecenni puero ſuccedente, Mater ejus tutelam *Antonio Borbonio*, ut primo

regii ſanguinis principi debitam, illo conſentiente, ſibi vindicavit. Sed Monmorantius Comeſtabuli, Condæo licet & Coligniis ſanguine junctus, ſe *Guiſio* domus ſuæ inimico & *Sant-Andreano* militum magiſtro, Reformationis odio, conjunxit. Quæ res aliâ Reformatis viâ profuit; Nam Regina mater illorum verita potentiam, hos exinde fovere cœpit, Religioni quoque per Edictum impunitatem & ſecuritatem ſancivit. Etiam brevi poſtea Colloquium *Poſſiaci* inter Catholicos & Reformatos, ſuper Religione, ſe, cum Rege Proceribuſque præſentibus inſtituit menſe Septembri 1561. Hoc fructu, quod veritas Dei apud aures Regis & Procerum liberâ Bezæ, Martyris aliorumque eloquentiâ fuit expoſita, etſi eloquentiæ non minor laus fuit Cardinalis Lotharingi. Adde, quod ab eo tempore major fuit Reformatorum libertas, firmata Edicto *Januarii* 1562. quo prædicandi illis data poteſtas, exceptis urbibus munitis & nominatim Pariſiis; cujus tamen ſuburbia concionibus reſonabant.

6. Triumviri, Monmorantius, Guiſius, Santandreanus irati ex Aula receſſere, ſolus *Admiralius* Reginæ placebat, etſi ad breve; Suſpectiore Condæi ambitione; Cujus frater *Antonius* à Triumviris, inanibus promiſſis, ſua inconſtantiâ & à *Franciſco Balduino* ICto & filii ſui naturalis præceptore ſeductus Reformantium partes deſeruerat. Hinc tuba belli civilis inſonuit, animis ad dimicandum paratis. Occaſio fuit, quod Guiſio ex Alſatiâ revertente, dum per *Vaſſia-*

cum oppidum tranſiret, ſtipatores ejus & aulici Reformatos in quodam horreo ſacris operam dantes infeſtaverant. Unde pugna & jactus lapidum, quorum uno Guiſius, tumultum, ut ajunt, ſedare volens, ictus eſt in facie. Quo viſo inermes aggreſſi reformatos Guiſiani, LX. interfecere, ducentos vulnerarunt. Hæc eſt *Laniena Vaſſiaca.* Quam ſequutus eſt introitus Guiſiorum in Pariſios & abductio Regis, à Fonte bellæ aquæ Lutetiam, coactâ ſequi Reginâ matre, quæ omni conatu ex conſilio Hoſpitalii id egerat, ut ipſa cum Rege media inter Catholicos & Reformatos manere poſſet, quo pax facilius coiret, auctoritate Regia partibus non permixta, quæ jam facta erat pars contendens: & ipſa cum ſuo jure Tutelari obnoxia Triumviris.

7. Abductio Regis eodem tempore facta eſt, quo Condæus à Regina vocatus accurrebat, ut Regem adverſus Triumviros defenderet. Quod cum fefelliſſet, cum duobus equitum millibus Aureliam properavit, quæ pridie à *Dandelotio Caſtilioneo* capta fuerat. Et mox ab ejus amicis multæ præcipuæque urbes toto regno ſunt occupatæ bellumque palam explicatum eſt. Condæus & Admiralius id omni ſtudio agebant, ut bellum hoc religiosè gereretur, & quantum in ipſis fuit, id præſtiterunt; ſed reliqui duces & milites non eâdem egere modeſtiâ, violatis templis & altaribus, imaginibus & reliquiis paſſim fractis, neque rapinis & cædibus abſtinentes, quas Pontificii in duplum repoſuerunt, ac ita hæc

 bella

bella nihil fuere quam contextus inhumanæ crudelitatis & vaſtationum. Sed Reformati mercenariis adhuc carentes militibus, exercitum diu continere non poterant; urbeſque longè plures ceperant, quam cuſtodire poſſent. Quare Triumviri auctoritate regia armati pleraſque brevi recuperarunt, cædibus & rapinis ubique immanes; imprimis Rhotomagi; Cujus in obſidione Navarræus Rex leviter vulneratus, cum Pariſios navi ſe conferret, extinctus eſt.

8. Condæus cum auxiliis è Germania ſuiſque amicis exercitum habens XI. millium, tentatis fruſtra Pariſiis, in Normandiam properabat, argentum & auxiliares ex Angliâ recepturus, ſed à Triumviris deprehenſus apud *Drocium* cruentâ pugnâ conflixit. Et vicerant Reformati, rupto corpore hoſtium præcipuo, parte tormentorum captâ, cum ipſo Monmorantio & Sanct-Andreano, qui & occiſus eſt; verum *Guiſius* animadverſo, Reformatos ad prædam feſtinantes ſine ordine vagari, cum ſuis tantâ vi illos invaſit, ut omnes in fugam egerit, capto etiam *Condæo*, qui in cuſtodiâ tantâ familiaritate cum Guiſio egit, ut ſimul ederent, cubarent hoſtes infeſtiſſimi intimorum inſtar amicorum. Pugnatum eſt d. XX. *Decembris* 1562. Tam latè ſparſerat ſe prima Catholicorum clades, ut multi etiam ſtrenui homines Pariſios uſque fugientes Hugonotarum victoriam nuntiaverint, quos inter Doſſonus, qui bellis Italicis ut intrepidus inclaruerat. Adeo ſicut nemo omnibus horis ſapit, ita nec fortes ſemper

per ſibi conſtant. Regina primis de victoriâ Condæi nuntiis parum conſternata, nihil aliud quam ita dixerat; *Ergo precandus erit Deus vernaculè!*

3. Primo vere ſequuta eſt obſidio Aurelianenſis, quâ ad extremum redactâ, dux Guiſius à Johanne *Poltrotio* nobili reformato, inermis uxorem recepturus ſclopeto volneratus ſexto die mortuus eſt, vir ſine controverſiâ magnus. Cædis auctor cum totâ nocte fugiſſet, mane ad eundem locum ſe vidit reverſum; Et equo fatiſcente captus, in tormentis Admiralii inſtinctu cædem à ſe factam declaravit. Qui edito ſcripto ſe purgans petebat reum ſervari, ut ſecum interrogaretur: ſed affectus ſuplicio parricidarum hanc invidiam Colignio reliquit inpactam. Hac occaſione captata, Regina pacem cum Principe Condæo, abſente ægreque ferente *Admiralio*, fecit d. 18 *Martii* 1563. minus commodam Reformatis, quibus exercitium Religionis longe magis reſtrictum fuit, quam in Edicto *Januarij* fuerat. Pace domi facta, omnes tàm Reformati quam Pontificii ad obſidionem *Portus Gratiæ*, quem illi Anglis tradiderant, feſtinarunt, eumque Julio menſe coëgerunt ad deditionem. Eodem tempore *Carolus* Rex annum ingreſſus tertium & decimum declaratus eſt, *ſuæ tutelæ* & regnandi capax, quaſi ex Edicto *Caroli* V. quo ætas 14. annorum præſcribitur. Sed *Hoſpitalius* in dignitatibus Reipubl. annum inchoatum pro impleto haberi diſputabat, allegans ad eam rem textum juris civilis,

non

non ſine præfatione veniæ expreſſa. Res acta eſt in Parlamento Rotomagenſi, multum indignante Pariſienſi Curia. Mater id augendæ poteſtati ſuæ, quo Principes ſanguinis ab inſpeſpectione rerum amoveret, feſtinandum putavit.

CAP. IX.

De Bello Civili ſecundo & tertio, & de Laniená Pariſienſi.

REgina mater, Guiſio mortuo, Reformatos æquè oppreſſos cupiebat, ut ſola rerum potiretur. Idcirco prætextu viſitandi Regnum filiamque Hiſpaniæ Reginam, ad fines regni cum filio Rege progreſſa, Bajonæ amplexa filiam, ibi cum Albano Duce, qui Reginam Hiſpaniæ duxerat, fœdus pepigit arcanum, ut is in Belgio, ipſa in Galliâ Reformatos eradicarent, *anno* 1565. Biennio poſt, *Albano* cum exercitu in Belgicam proficiſcente, Rex Carolus quaſi Hiſpanorum metu tranſeuntium, ſex millia Helvetiorum copiis ſuis adjecit, hoc animo, ut captis *Condæo* & Admiralio iiſque cum præcipuis Reformatorum Ducibus ſupplicio adfectis, nomen Huguenoticum deleretur. Sed moniti Condæus & Admiralius vim vi prævenire ſtatuerunt, collectoque celeriter exercitu, Regem Meldi agentem adire, Helvetios ejus diſſipare, inimicos ſuos pellere ſtatuerunt. Et ſi quàm ſecreto inceperant, tam celeriter perrexiſſent, actum fuerat

rat de Catholicis ; ſed artibus Reginæ conciliatoriis detentus Condæus, occaſionem Regi dedit evadendi Lutetiam Pariſiorum, qui nunquam ex animo ſuo delevit odium ex hujus fugæ memoriâ adverſus *Huguenotos.*

2. Ergo Condæus cum ſuis Caſtilionæis & MD. equitibus nec pluribus MCC. peditibus Lutetiam obſeſſum iverunt, ubi quadruplo numeroſior erat exercitus, & tamen occupatis aditibus, urbi commeatus intercluſerunt. Quæ res Monmorantium cum ſuis copiis urbe excivit, prope cujus muros apud Dionyſii fanum pugnâ commiſſa victi quidem ceſſere Reformati, ſed ancipiti acie & maximo honore ſuo, quod tam parva manu ſine tormentis bellicis Regium exercitum numero omnibuſque rebus ſuperiorem ſuſtinuiſſent, profligato etiam cornu, cui Monmorantius Comeſtabuli imperabat ipſoque ita vulnerato, ut poſtridie moreretur. Hæc *die* x *Novembris* 1567.

3. Interim *Lanovanus* ex Reformatorum Ducibus longè prudentiſſimus & ob probitatem ab ipſis Pontificiis laudatus Aureliam intercepit, aliaſque civitates alii paſſim & Condæus obviam profectus eſt *Caſimiro* Electoris Palatini filio, qui cum exercitu decem millium utriuſque militiæ Reformatis ſuccurrebat. Cum autem is ſine pecuniâ progredi nollet, Duces militeſque Condæani (tantus erat Zelus religionis) collata pecuniâ, exemplo inaudito, cum ipſis non ſolveretur, ſolverunt Germanis. Inde Carnutes obſeſ-

obſeſſum ibat Princeps; ſed cum ea res difficulter ſuccederet, plerique autem nobiles & voluntarii ipſius diffluerent, nec haberet unde Germanis ſtipendia præſtaret, in pacem conſenſit *die* 2 *Martii* 1568. Sed Rupella, quæ hoc bello ſe cum Principe conjunxerat, inter urbes, quæ Regis præſidia reciperent, eſſe noluit, adductis in eam rem privilegiis olim ſibi ob rem bene contra Anglos geſtam, à Galliæ Regibus indultis. Ideoque libera & exinde aſylum Reformatarum partium manſit.

4. Pax erat data Reformatis, ut deciperentur; Ipſi ubique cædebantur, diripiebantur; Condæo fiebant inſidiæ in Burgundiâ. E quibus ægre elapſus cum uxore liberiſque venit Rupellam, quo & *Admiralius* anima partium, Dandelotius frater ejus & Johanna Navarræ Regina, cum filio *Henrico*, qui poſtea Magnus fuit & omnes partium duces convenere. Bellum inde motum *Octobri menſe* 1568. Plurimæ urbes à Principibus captæ; magnâ parte hyemis uterque exercitus campos tenuit, Condæo quamprimum depugnare cupiente, quod & milites ejus voluntarii, moram non ferentes optabant; Andegavenſi Duce, Regis fratre, qui ſummum habebat imperium, prælio rem committere nolente. Ergo in hyberna diſceſſum.

5. Menſe Martio Regii apud *Iarnacum* ad Chorantam fluvium Principes, cum hi ſe reciperent, adſecuti ſunt, ac Admiralius in poſtremâ acie laborans auxilium Condæi antecedentis implorabat.

Qui

Qui accurrens ab hoſtibus numero longe ſuperioribus equo dejectus & captus eſt: Cum autem humi ob vulnus pedis collocatus eſſet, Montesquiovius cuſtodum Ducis Andegavenſis centurio, ab hujus latere diſcedens illum ſclopeto trajecit, non improbante Andegavenſi, quod laudare nihil opus erat, & omnes deteſtabantur. Clades reliqua fuit exigua, quod ſolus equitatus pugnaverat, peditatu jam prægreſſo: nec hoſtibus ullus è victoria conſtitit fructus; ſed *Dandelotius* Admiralii frater, omnium ardentiſſimus in Cauſâ, paulo poſtea morbo ſublatus eſt.

6. Initio ſequentis anni Dux Bipontinus (cui aderat Princeps Orangius & frater ejus Ludovicus à Duce Albano finibus Belgicis pulſi) partium zelo adductus, exercitum è Germaniâ firmum quatuordecim amplius millium utriusque militiæ per mediam Galliam (ſic tum illa patebat) trajecto Ligeri per pontem Charitatenſem, Lemovicum adduxit ibique è febri deceſſit. Admiralius Regiis, qui campo exceſſerant, jam ſuperior, cum rectà Lutetiam Pariſiorum tendere deberet, quod ſemper inſtitutum Condæi fuerat, Pictaviam urbem obſidione cinxit defenſam à Duce Guiſio, qui ex bello Hungarico redux magnis paſſibus ad gloriam Patris ibat; Reformati vero æſtate ibi fruſtra exactâ, viribus & numero minuti menſe Septembri ſoluta obſidione, à Regiis, tertiâ parte numeroſioribus, in campis *Moncontouriis* magnâ pugnâ victi ſunt; Equitatu Germanico, Duce

Ludo

9. Quare ita conſtituerunt Regii, nihil ſatius eſſe, quam inſidiis illos circumvenire & opprimere, dum Hiſpani Reformatos in Belgio extinguerent, juxta decretum Colloquii Bajonenſis. Sed Gallis alta occultandi ratio fuit, cujus electa eſt via tam deformis & profundæ ſimulationis, ut ei ſimilis in omni ſeculorum memoriâ non reperiatur. Reformati feroces quidem & obdurati pro Partibus, ſed laſſi infinitis belli malis, erant pacis cupidi, cujus ſunt illis datæ conditiones longe quam olim meliores & major libertas prædicandi; Admiſſi ad omnes Scholas, Hoſpitalia & Univerſitates, ad honores & dignitates, jus Recuſandi judices ſuſpectos, Cuſtodiendi per biennium quatuor urbes in ſecuritatem, *Rupellam*, *Montalbanum*, *Cognacum & Charitatem*. Addita reſtitutio Principatus Arauſionenſis aliarumque terrarum ad Naſſavios pertinentium. Jurata pax eſt à Rege, Regina, Principibus ſanguinis, Conſiliariis regiis omnibuſque Proceribus in aulâ præſentibus; ne quicquam omninò ad fallendum deſideraretur. hæc anno 1570.

10. Neque tamen iſta ſufficiebant ad prudentiſſimum Admiralium penitus in retia pertrahendum. Biennio ad hoc perficiendum opus fuit; & duo adhuc decipula adhibuerunt, matrimonium Regis Navarræ cum Margaritâ Valeſiâ Regis ſorore, & bellum Belgicum adverſus Hiſpanos. Primum verè perfectum; alterum tantum quod inchoatum, Ludovico Naſſavio

pecuniis hominibuſque inſtructo, quibus Montes Hannoniæ occupavit, ut ipſi Hiſpani ſe falli & rem ſerio contra ſe agi putarent. Res maxime arcanæ cum Admiralio per Telignium ejus generum communicabantur. Ita ipſe cum Regina Navarræ pridem in aulâ honorifice recepta, Lutetiam acceſſit, ut nuptias celebrarent & ultima decreta belli Hiſpanici ſtatim proſequendi perficerent. Admiralius ut Pater à Rege colebatur, Reformati tanto favore accipiebantur, ut ipſi Guiſiani & intimi Regis dubitarent, ſi Rex in ſe verteret ſimulationem, cujus falſa in ſinu matris egregiè perdidicerat. Legatus Pontificis nuptias turbare conabatur, Rex tamen pergebat & Vulgus murmurabat, eum rectâ pergere ad Huguenotiſmum: Pontificis tamen legato clam de animo ſuo adfirmans; *Utinam*, addebat manu preſſâ, *intima mentis aperire tibi liceret!* At interim Reformatis quaſi ad ſecuritatem ſuam frequentiſſime Lutetiam convenire permittebat ac hortabatur.

11. *Admiralius* interim tamen à variis ardentiſſime monebatur, ne ſe committeret Regi notæ crudelitatis & falſitatis, mulieri Italicæ perfidiæ, & reliquis hoſtibus infeſtiſſimis & quidem in ipſius mortem nominatim flagrantibus, maxime Guiſiis, qui illum Paternæ cædis auctorem creditum jam pridem devoverant. Quominus auſcultaret, hæc fecerunt; Averſatio mirifica à renovando civili bello, quod cum diſceſſu erat conjunctum; Cupido immenſa belli Belgici, cujus ipſe

ipſe ductor erat futurus, cum ob regni gloriam ſuumque in Hiſpanos odium explendum, tum ad amicum ſummum Principem Orangium adjuvandum, quarum rerum ſpes omnis diſceſſu periiſſet. Accedebant blanditiæ, quibus ſapientiſſimus quiſque caperetur, cum effectis ſolidis conjunctæ; Matrimonium impletum, bellum inchoatum, aliaque ejus voto reſpondentia. Denique, tam altè ſederunt hæc ejus animo, ut ne quidem ictu ſclopeti in mediâ urbe, veniens è Senatu, Guiſianorum operâ duplici vulnere læſus ad diſceſſum abripi potuerit. Non ſatis conſtat, quamobrem ille conatus occidendi ſolum Admiralium à Regis Conſilio ſit inſtitutus; cum is eo pertinere videretur, ut omnes Reformati Lutetiâ ſe proriperent: Creditumque fuit à multis, Reginæ fuiſſe propoſitum, Reformatos & Guiſianos ex cauſa cædis Admiralii committere; utroſque enim oderat, ut dein utroſque perderet. Sed Rex & Regina cum ictus ad mortem fefelliſſet, ſummam quidem indignationem & vindictæ in auctores ſtudium præ ſe ferebant. Cæterum, intellecto, multos, imprimis *Carnutum Vicedominum* impenſe urgere Admiralium, ut ſe ſuoſque eriperet exitio, dum facultas daretur; quibus gener ejus *Telignius*, cujus prudentiæ multum tribuebat Admiralius, urgente fato, reſiſtebat; decretum eſt à Conſilio Regio feſtinandam eſſe omnium Reformatorum Cædem: quam quidem omnium primo ajunt eſſe decretam Blæſis in eodem cubiculo, in quo

Guiſius Dux & hujus auctor lanienæ præcipuus dein obtruncatus eſt ab Henrico III. Rurſus eadem de re conſultatum eſſe, Præſente Andegavenſi Duce Regis fratre, apud Clodii fanum, eodem in cubiculo, ubi Andegavenſis idem, dein Rex Henricus III. ſimiliter interfectus eſt, tempore ſuo.

12. Sed nocte, quæ præceſſit feſtum *Bartholomæi*, 1572. dominicam diem, tertiam poſt vulnus Admiralio inflictum, juſſu Regis (quem tamen inſtante matre, fratre aliiſque in ipſo rei exequendæ articulo magnitudine ſceleris inhorruiſſe & hæſitaſſe ferunt,) ad ſonitum Campanæ majoris incepta eſt Laniena, à cæde Admiralii, quem *Behmius* Germanus Guiſii domeſticus in cubiculo ſuo confecit, precibus fuſis, ſingularem in Deum fiduciam & conſtantiam exhibentem; *Tu vero juvenis*, ait percuſſori, *canos meos reverere*; *quicquid autem feceris, vitam meam nihilo breviorem efficies*. Confoſſum Guiſio in area præſtolanti cadaver è feneſtra objectum eſt; parum cogitanti, ſimile ſe manere fatum. Illo detерſo & recognito, reliqua cædes peracta, omnium qui inveniri poterant, Reformatorum, ut nec ætati neque ſexui nec ulli mortis generi parceretur. Per ſeptem dies continuata laniena, tanto avidius, quod ſpoliandi prædaſque agendi facultatem, modo chartacea ſervarentur, Rex & Regina dederant; Quinque millia interfecta, par aut major numerus evaſit. Nobiliſſimi occiſorum, præter Admiralium

lium fuere *Telignius* gener ejus, in tegulis domus; Comes Rupifocaldius, veſperi cum Rege diu multumque jocatus, Marchio *Renilius*, à conſobrino, quicum ei lis erat de Marchionatu, interfectus; Baro *Lavardinus*; Franciſcus *Laforcius* cum filio primogenito; minor Jacobus inter Patrem & filium cubans parricidas fefellerat, ut ſcribit Mezeræus; Nam Thuanus hæc de *Franciſco Nompari Caumontio* ejuſque filio Jacobo refert; de La-Forcio nihil ejusmodi: Franciſcus *Quelletrius* dux è Britannia, cui ab uxore *Catharinâ Partheniâ Subiziâ* impotentiæ accuſato divortium intentabatur, & cujus cadaver cum reliquis ante Regiam projectum à Reginâ ejuſque puellis diligenter, ſi nota impotentiæ appareret, inſpectabatur. Qui in ipſa Regiâ divertebantur, eodem modo tractati, quos inter *Pilius* vir ſtrenuiſſimus, magnâ voce divinam precatus vindictam; quando hoc unum illis ſupererat: Nec enim armis ita ſubito oppreſſis uti licebat; ſolo *Antonio Guerchio* excepto, qui è lecto deſiliens pallium brachio obvolutum prætendens fruſtra ſe contra loricatos aliquandiu defendit. Neque è ſeptingentis domibus expugnatis, amplius unâ vim opponere potuit. Sed *Bironius* affectu reformatus, pro fortunâ ſuâ Catholicus, qui etiam atro libro inſertus erat, tormentis aliquot bellicis in parte armamentarii, cui præfectus erat, diſpoſitis ſeſe & amicos aliquot tu[illegible]os præſtitit.

13. Tertiâ die Lanienæ Rex, qui prius ſcriptis

literis factum Guiſianis imputaverat, ſolenni ſeſſione in magno Senatu celebratâ, ſe auctorem profeſſus, cauſam interfectorum cognoſci eoſque damnari juſſit; quod Chriſtophorus *Thuanus* Præſes imo corde dolorem premens recipere, & factum laudare quod execrabatur, ſuſtinuit: Quando aliter locutus ſibi quidem nocuiſſet, publicè aut privatim nulli profuiſſet. Enimvero non pauci, etiam Catholici, juſſu Regio vel operâ aut inſtinctu inimicorum, ut fit in talibus, ſublati fuerunt. Pecunioſum eſſe, prædium habere alii commodum, dignitatem alii deſideratam, id erat Huguenotam eſſe, quos inter *Joh. Lomenius* Regi ab epiſtolis, cum adverſario de fundo Verſaliæ litigans, hunc ei parvo pretio cedere, munere ſuo in alterius gratiam ejerare coactus, tamen ne pacta deinde reſcinderet, interfectus eſt. Petrus etiam *Ramus*, hic tamen Reformatus, à Carpentario in Philoſophiæ profeſſione collega & æmulo, immiſſis ſicariis, poſt extortam pecuniam, è feneſtrâ præceps datus eſt; Cadaver à diſcipulis Carpentarii flagris verberatum, viſceribus per viam ſparſis: quo territus exemplo *Dionyſius Lambinus* ejuſdem Carpentarii æmulus, etſi Pontificius, morbo è metu oppreſſus interiit. Dicendum & hoc; Monmorantios non fuiſſe evitaturos exitium, niſi præcipuus fratrum mature ſe ab Aulâ recepiſſet, ſine quo inimici illorum nihil ſe acturos intelligebant.

14. Biduo poſt Regis in Senatu ſeſſionem, publi-

publicatum eſt *Edictum*, quo Rex omnes ſuos ſubditos, nominatim Reformatos, in tutelam, modo publicis cœtibus abſtinerent, recipiebat, ne ſcilicet aufugerent; nam addebat literas ad Gubernatores Provinciarum & urbium, ut Reformatos more Pariſino tractarent. Cujuſmodi deformes fallacias recentiore memoriâ pari caſu vidimus adhibitas. Quare per omne regnum diffuſa eſt laniena, ſine diſcrimine ſexus, ætatis, ut, quod ſatis conſtet, amplius triginta millibus confecti ſint. In Burgundiâ & Britanniâ cum pauci eſſent Reformati, in Aquitaniâ & Occitaniâ, quod nimis multi eſſent, parcius ſævitum: Cumulus Aureliæ, Lugduni, Tholoſæ, Burdegalæ, Rhotomagi, Meldis, Trojæ & alibi factus eſt ad immanitatem, quæ facilius cogitari quam dici poteſt. Matignoni & Orteſii præfectorum Alenconiæ & Bajonæ generoſitas, recuſantium manus ſanguine civium cruentare, ſaluti fuit illis locis, & ipſis innoxium negaſſe juſſionibus regiis obſequium.

CAP. X.

De bello civili Quarto & Quinto.

NEmo dubitabat, quin Reformati his cædibus ita fracti & perculſi eſſent, ut nihil amplius ab illis metuendum foret: Maximè, ducibus eorum trucidatis vel captis, veluti Rege *Navarræ*, cujus mater ante lanienam deceſſerat, & Principe *Condæo*, qui minis Regis adducti Re-

ligionem ſuam, ægerrime tamen Condæus, ejuraverant. Sed omnis regii conſilii induſtria in latrocinio conſumpta fuerat, de bello non cogitabant: Quod ſi exercitum habuiſſent paratum neque ſpatium colligendi ſe Reformatis dediſſent, partes eorum forte penitus extinguere potuiſſent. Sed dum Aulici triumphant, Reformati à ſtupore ad conſilium revocati variis in locis ſeſe erigebant: Non modo Rupellenſes ſed etiam Sancerra & Montalbanum portas Regiis clauſerunt, aliæque plures in Languedociâ & Cebennis, juxta Bearnenſes, Turmatim etiam in campis apparebant; quos inter Veſinius cum xxv equitibus cc Montlucii equites vicit & magno illius vexillo ſpoliavit.

2. Contra hos motus Regii primo Rupellam miris rationibus tentarunt; ſed aures ſurdas, oculos vigiles invenerunt. Poſtea tres exercitus ſub totidem ducibus in diverſas partes miſerunt, à quibus nullo operæ pretio facto, res deſiit in duas obſidiones, urbium Rupellæ & Sancerræ: Sed hæc cum vi capi non poſſet, è longinquo clauſa munitionibus relicta eſt. Rupellæ cunctis viribus inde â menſe Februario 1573 inubuerunt; Nec erat quiſquam ullius in regno pretii, qui huc operas ſuas non conferret, ipſe Navarræus & Condæus adeſſe coacti ſunt. Libertas & Religio fecerunt, ut oppidani vim obſidentium incredibilem per octo menſes, etſi Anglicano auxilio deficiente, ſuſtinuerint. Quippe concordes nec ullius rei laborantes inopiâ; Regiis contra

tra diviſis in partes, qui tandem læti fuere, jam XII millibus hominum amiſſis, quod electio Ducis Andegavenſis in Regem Poloniæ & ſtipulatio à Polonis facta, ut omnes in Galliâ obſeſſæ urbes liberarentur, ſpecioſam ipſis occaſionem ſolvendi obſidionem darent. Cum autem Rupellani aliter quam pro omnibus Reformatis paciſci nollent, pax iterum coiit d. XXV. *Junii* 1573. Quâ libertas quidem conſcientiæ promittebatur, ſed abſque publico Religionis exercitio, exceptis Rupella, Nemauſo & Montalbano. Sancerra nihil habuit quam generale beneficium, etſi majorem quam ipſi Rupellani conſtantiam exhibuiſſent, paſſi per quatuor menſes incommoda horrendæ & omnibus ſeculis memorandæ extremitatis, duobus hominum millibus fame extinctis, Parentibus etiam filiam ſuam eâdem cauſa mortuam epulatis.

3. Sed novus Poloniæ Rex, parum hoc honore delectatus ægre ad iter expediebatur, quod Rex inpatiens moræ adſiduò urgebat. Moleſte enim ferebat, fratris ſui auctoritatem matris favore ſuffultam indies creſcere ſuæque umbram facere; imprimis quando illum pridem ex matris conſilio Legatum omnis militiæ ſupremum creaſſet, quo titulo parum aberat, quin Regiam poteſtatem cum illo partitus videretur. Cum autem quo Rex impatientior, eo Dux tradior ad abeundum fieret, idque matris ſponte uſu venire crederet: ille ad minas progreſſus matri quoque aditum ad ſe prohibuerat; quod illa morum ejus gnara

non contempſit; verum & Henrico filio celerem abitum injunxit & reditum celerem, quod ſatis conſtat, ei promiſit ac etiam præſtitit: Quando Rex ab eo tempore febri lentâ correptus non diu ſupervixit. Diſceſſit Henricus in Poloniam menſe *Octobri* 1573.

Bellum Quintum.

4. Jam pridem, maxime in obſidione Rupellæ, formata erat factio nova, quam *Politiorum* vocabant: Eorum qui miſſis de Religione contentionibus, hoc agere ſe dicerent, ne quid Res publica regni caperet detrimenti, leges ſervarentur, populo conſuleretur & Ordines convocarentur. His ſe adjunxerat *Franciſcus* dux *Alenconius* Regis frater unicus, cum Navarræo & Condæo, quorum fiduciâ Reformati novum bellum, ſine novis cauſis, inchoaverunt Martio menſe 1574. Sed re detecta, Alenconius & Navarræus retenti ſunt apud aulam & bellum Reformatis durius incubuit, quos *Matignonius* in Normandia pleriſque locis ejecit, capto Mongommerio, qui brevi Pariſiis capitis ſupplicio adfectus eſt, non tam belli civilis cauſa, quam cædis fortuitæ Henrici II. Piaculum factus. Eodem tempore Monmorantius & Coſſæus militum Magiſtri tanquam rei conſpirationis Politicæ, cum in aulam imprudenter veniſſent, plaudente populo Pariſienſe, dati ſunt in cuſtodiam. Condæus etiam quæſitus evaſit Argentoratum, ubi Pontificiam religionem coactè indutam ſponte depoſuit ac ejuravit.

5. Sed

5. Sed Rex *Carolus* interim, morbo laborans violento, ſanguine non modo per conductus apertos, ſed etiam per poros cutis regurgitante, vivere deſiit xxx *die Maji* 1574 ætatis xxv regni xiv Poſtquam Matri dum ſucceſſor abeſſet, regimen regni detuliſſet, quod à Senatu & Lutetiæ Magiſtratibus agnitum omni Regno ſignificatum eſt, cum hiſtoria morbi, quo Rex deceſſerat, clauſulâ peculiari adjectâ, id fieri ad tollendas ſuſpiciones hominum, quæ maxime ejuſmodi excuſationibus aluntur. Omnes ſcriptores in eo conveniunt, fuiſſe Carolo propoſitum, exhibere poſthac Regem juſtum & exactum; cui rei facultas ingenii & judicii non erat impar: Sed mos temporis ac aulæ ejus omnis impietatis & infamiæ plenus eum planè corruperat, ore blaſphemiis & dejerationibus, animo perfidia & ſimulatione pleno & ſanguinis fundendi cupidiſſimo.

6. Tempore morbi; fore dixerat, Uti frater ſuus, à quo res maximas ſperari non ignorabat, quia magna jam geſſerat, hominum expectationem eluderet: quod eventus inſigniter approbavit. Cum enim ex Poloniâ reverſus eſſet, eo quo diximus in *Polonicis* modo, (iter per Sabaudiam faciens Duci reddidit generoſe juſtèque magis quam politicè Pignerolium, Savilianum & Peruſiam, quæ loca inde à pace Caſtro Cameracenſi adhuc tenuerant Galli) totum ſe voluptatibus, viro, nedum Regi indecoris amicorumque adulationibus dedit, à quibus ad faſtum & ſum-

ptus

ptus inſanos, inde ad immodicas exactiones abreptus, expectationem heroicæ virtutis brevi in odium & contemptum univerſalem corrupit. Qui auctus eſt infelicibus belli principiis contra Reformatos, quibus ſe *Damvila* Monnorantius aliique Politici conjunxerunt, & Princeps *Condæus* exercitum pro ſuis in Germaniâ conducebat, ardore illorum domi quoque creſcente, ut etiam feminæ in partes venirent; *Magdalena Senetæria* Guidonis *Miralmontii* vidua adoleſcens, ſexaginta ſtipata nobilibus favorem ejus ambientibus aliâque non ſpernendâ manu bellum in Arvernis ſtrenuè faciebat, inter alia Montalto Duce Regio copiis vitâque exuto.

7. Interim *Alenconius* regis frater, eluſis cuſtodibus, evaſit in Bituriges, menſe Septembri 1575. palam præ ſe ferens inimicitiam Guiſiorum & vindictam minaſque ſpirans, cui ſe Reformati Proceres adjungebant, etſi Paſtores & plebe non immerito illi diffidebant; Quippe Regina mater illi hoc ipſo anno menſe Novembri inducias impoſuit ſemeſtres. Sed Henricus Borbonius Princeps Condæus cum Caſimiro Palatino exercitum Germanicum initio ſequentis anni duxit uſque in Arvernos, & Henricus alter *Borbonius* Rex Navarræus evaſit è cuſtodiâ in Aquitaniam, cujus Præſes erat, ubi amicis & ſociis abundabat. Condæi & Alenconii exercitus conjuncti ſunt apud Molinas, quibus ſi Damvila Monmorantius & Navarræus ſuas copias conjunxiſſent,

ſent, habebant Regios in poteſtate, pacemque & fortunas ſuas conſtabilire potuiſſent. Sed male concordes, ſinguli ſuis commodis ſeorſim ſtudentes, accedente Reginæ matris induſtriâ in diviſionibus & Alenconii inconſtantiâ, nihil effecere, niſi pacem, cujus Edictum fuit *de* xv. *Maji* 1576. Conditionibus tamen luculentis, libertate publici exercitii Reformatis per omne regnum data. Lanienâ Pariſienſi damnatâ. Conceſſis tribunalibus bipartitis, in quibus Reformati juxta Catholicos res judicarent; quibus & omnes reliquæ dignitates paterent, cum poſſeſſione plurium Locorum ſecuritatis cauſa; præter conditiones pecuniarias & pro Ducibus partium præfecturas.

CAP. XI.

De bello civili Sexto, Septimo & furoribus Henoticis.

Conditiones Reformatis noviſſima pace conceſſæ meliores erant, quam ut durare poſſent, eæque tantum indignationis movere Catholicis, ut ex variis ſocietatibus, quæ pridem in variis urbibus & provinciis adverſus eos coierant, una generalis Unio Catholica non ſponte Regis formata ſit; quæ res non minus Regi quam Reformatis periculoſa, his quidem plurimum nocuit, illum penitus evertit, & regnum ad extremos ruinæ terminos perduxit. Cum enim in Comitiis apud Bloeſios convocatis initio anni 1577, Ordines in hoc eſſent, ut Du-

cem Unionis à Rege flagitarent, ipſe eam laudare, ſignare, Ducemque ejus ſe profiteri coactus eſt & declarare, ſe nullam niſi Catholicam religionem in regno ſuo toleraturum.

2. Hæc erat indictio *ſexti* Civilis belli, cui Princeps *Condæus* in Edicto *ſuo*, nomine Regis Navarræ ſuoque & omnium Reformatorum publicato generoſe ac intrepide reſpondit. Sed facta verbis non reſponderunt, diviſis inter ſe partium Ducibus, Navarræo male conſulente, quem Lanovius aliique deſeruerunt, ita ut Dux *Andegavenſis* (ita vocandus impoſterum Alenzonius) & Maijennenſis, cum ſingulis exercitibus emiſſi, neminem qui ſe opponeret, invenirent; neque tamen ita multum præſtiterunt, niſi quod Mayenenſis *Brouagium* Rupellæ vicinum occupavit. Erat credibile, ſi Rex in tanta eorum confuſione & corruptione, ſummâ vi illis incubuiſſet, opprimi potuiſſe *Cauſam*. At Rex, qui ingratiis ad arma impulſus fuerat magiſque Guiſios timebat, præter opinionem illis pacem conceſſit, reſtrictâ aliquantulum libertate religionis exercendæ, *initio Octobris* 1577.

3. Pace factâ, Rex ſe totum ſuis amicis & luxui ac voluptatibus dedit; frater ejus expeditionem Belgicam, de quâ *ſuo loco*, ſuſcepit. Etiam novus Equeſtris ordo centum equitum, nomine *Spiritus ſancti*, inſtitutus eſt, pro ſolis magnatibus Gallis, Ordine *Michaëlis*, qui numero eviluerat, nihilominus conſervato. Tunc etiam *Geneva* Allobrogum contra Sabaudum qui

qui cum Hiſpanis faciebat, in tutelam recepta fuit. Sed brevi reditum eſt ad arma menſe Aprili 1580. Navarræo & Condæo incipientibus, illo in Aquitaniâ, hoc in Picardiâ, per cauſam non impletarum pacis conditionum. Navarræus Montacutum per inſidias, Cahorium vi armatâ & cæde magna in ultionem ſanguinis Reformati ab illis fuſi tempore feſti Bartholomæi, cepit, & Condæus *Laferam* in Picardiâ. Sed Rupellani quieſcebant, rati arma temere eſſe mota, laudante Lanovio: Cæteri undique Regiis viribus opprimebantur, nec erat ulla ſpes, niſi in exercitu è Germaniâ, quem *Condæus*, peragratâ incaſſum Angliâ & Belgicâ, in Palatinatu per *Caſimirum* colligebat; cujus metu, & æmulatu Ducis Andegavenſis, qui ſub umbra pacis ad Principatum Belgicum adſpirabat, denuo poſitum eſt bellum hoc *ſextum*, conditionibus iiſdem pro corpore Reformatorum, quæ priori pace conceſſæ fuerant, ſub finem ejuſdem anni 1581.

4. Hujus tempore pacis, quod fuit quinquennii, Rex Henricus, ſuo luxu & favore immoderato Ducum Epernonii & Joyoſii, in cujus nuptiale feſtum ultra quatuor milliones effudit, quibus alii ſumptus immenſi, inutiles & conſequenter omne genus commentorum extorquendi pecunias è populis, accedebant; his rebus inexhauſtum colligebat odium & contemptum ſui, quem ineptæ religiones, quas excogitabat, & ridicula devotionis imitamenta, quæ exercebat,

bat, emendare non poterant: Sed tandem in nervum erupere, ſublato è vivis *Andegavenſi* ipſius fratre, Belgicis rebus evoluto menſe Junio 1584. cujus morte excitata ſunt hominum ſtudia ad ſpem ſucceſſionis: Quando ſatis conſtaret, ex morbo Regem eſſe gignendi impotentem, & *Henricus* Navarræus, cujus etſi ultra decimum gradum à præſenti Rege Henrico remoti, jus indubitatum erat, per hæreſin excluderetur, Regina mater nepotem ſuum ex filiâ, Lotharingiæ Principem admovere ſtudebat; Henricus *Guiſius* Carolum Borbonium Navarræi Patruum excitabat, ut dein ab illo in ſe omnia derivaret; ſed hæc in animis; Alia dictis præferebantur.

5. Rex qui Legitimo ſucceſſori favebat, ut fautor hæreticorum traducebatur, eaque res juncta acerbitati exactionum animos populorum adverſus eum inflammabat; Guiſii fœdus cum Hiſpanis ſecretum inivere ſub finem *anni* 1584. quo pecuniis ad res novas inſtructi ſunt; quas movit è continenti Guiſius eodem tempore, quo Regi ab Ordinibus Belgicis imperium offerebatur, occupatis repente pluribus locis, conductis militibus, etiam è Germania. Sic tamen res ejus male procedebant, utcunque ſimulatâ ſecus audaciâ præ ſe ferret: quâ nihilominus timidum Regem ſubegit, ut omnia quæ vellet, ei concederet, nominatim Edictum de perſequendis Reformatis.

6. Hæc fuit tuba *ſeptimi* belli, medio anno 1585. quo Navarræus & Condæus ſe junxere

Mon-

Monmorantiis, quorum interitus erat in victoria Guiſiorum. Sed Condæus Andagavenſi caſtello ſubventurus ita ab hoſtibus circumventus eſt, ut copiis ſuis diſſipatis, in Angliam aufugere cogeretur, unde vere primo 1586. rediit, auctus ab Elizabetha decem navibus bellicis & L millibus ſcutatorum, quibus Rupellam obſidione navali liberavit & *Royanum* occupavit, unde *contributiones* ex viciniâ opulentiſſimæ proveniebant. Magis adhuc Reformati diſcordia & æmulationibus adverſantium juvabantur, quibus factum ut Guiſius interim & Mayenius fratres cum ſingulis exercitibus ad ſummam rei parum effecerint neque plus *Joyoſius*. Epernonius autem in Provinciâ exercitum regens, Guiſianis magis quam Reformatis adverſabatur.

7. Prætèrea, Germani, quorum Legati nuper à Rege contemptim habiti fuerant, Reformatorum auxiliis erant intenti, quorum exercitus liberum in Galliam, ut tunc res erat, introitum habebant. Exercitum in Alſatia collegere ſex millium equitum, totidem peditum, quibus aderant Helvetiorum ingens numerus: ut nihil ad pacem æquam Reformatis in Galliâ conciliandam deeſſet, præter Ducem, qui pro abſente Caſimiro erat *Fabianus* Baro à *Dona*, Vir egregius ſed ad tantum oneris minime factus. Cum hi ſuperato Sequanâ, in Bellovacos veniſſent, ibi ſubſtiterunt, eoque tempore Gallia præter hunc exercitum alebat alium æque numeroſum ſub Rege, tertium ſub Duce Gui-

nem ſuam, condemnatam ſupplicio adfeciſſent, niſi prægnanti hactenus parcendum judicaſſent. Sex menſibus à morte Viri filium peperit, qui vixit & familiam propagavit, de quo fama exivit, puerum menſibus XIII. à morte Patris eſſe natum & tamen à Pariſienſe Senatu, qui & matrem innocentem pronuntiaverat, filium quoque Legitimum eſſe declaratum, quod & in ſcripta quædam influxit.

9. Per omnem Galliam, Italiam & Hiſpaniam, Laudes Guiſii, ut Herois, qui ſolus Germanos profligaſſet, incomparabilis cantabantur, inprimis à Pariſienſibus adorabatur, dum iidem contemptus & odii in Regem indicia non premebant; ideoque is æger animi illorum præcipuos capere & reliquorum exemplo punire decreverat. Habebant Collegium *Unionis*, à quo per ſedecim Lutetiæ regiones *ſancti fœderis*, ut loquebantur, res curabantur. His cum Regis conſilium innotuiſſet, ut omnia in civilibus turbis plena ſunt proditorum, per literas & nuntios Guiſium rogabant, ut ſibi adeſſet, alioqui perituris. Adfuit *die nono Maji* 1588. & Regem ſalutavit, qui re ſubitâ non potuit animum ſatis ad cædem ejus quam decreverat, obfirmare. Cuncta erant plena funeſtis conſiliis, nec deerant qui palam dicerent, Regem eſſe tondendum; Mompenſeria Dux offenſa Regi, de ſe contemptius loquuto, forficem, qua id fieri deberet, oſtentabat. Rex Edicto exteros abire Pariſiis, domosque jubebat explorari, quod

cives non patiebantur. Ergo noctu quinque vel ſex millia militum maxime Helvetiorum in urbem introduxit. At mox ad arma, cives munire vicos, tendere catenas, ponere cuſtodias ad Regiam uſque, cæſis prope centum Helvetiis, & reliquis militibus exarmatis. Neſcivit *Guiſius* eſſe perfectè malus & ferire gladio, quem ſtrinxerat; habebat in poteſtate Regem & paſſus eſt eum elabi in Carnutes; ubi tempus habuit, determinandi animum ad cædem Guiſii, ſi daretur occaſio, perpetrandam, quo ut perveniret, multâ opus eſſe fraude intelligebat.

10. Ergo cum Guiſio, matre parariâ, gratiam reconciliavit, ignovit Pariſienſibus injuriam ſibi rebellione ipſorum illatam, ridiculâ proceſſione, cum paſſionis dominicæ apparatu Regem ſolenniter deprecantibus. Edictum petentibus *Henoticis* condidit, quo ingenti jurejurando adfirmavit, ſe Hæreticos exſtirpaturum, nec ullam pacem aut Edictum in gratiam *Hugunotarum* facturum; Guiſium amice & fraternè recipiebat, complectebatur, arcana quæque cum illo communicabat; Dum interea Dux *Neverius* & *Logniacus* cuſtodum privatorum centurio ſovebant odium ejus & decretum adverſus Guiſium. Ordinibus apud Blæſos congregatis, novo jurejurando firmavit Edictum adverſus Reformatos, juſſitque legem eſſe Regni fundamentalem. Ordines interim in hoc erant, ut arbitrariam Regum poteſtatem, quæ à tempore *Franciſci I.* radices egerat, eradicarent, ipſam legi-

legibus ſubmitterent, aliáque Regi ingrata agitabant, quæ omnia à *Guiſio*, in quem omnium ſtudia vergebant, profecta arbitrabatur; ut qui in Regiæ poteſtatis ruinâ ſuam fundare decreviſſet. Certùs eum tollendi è medio, ut obnoxium haberet, ſummam apud illum animi ſui amicitiam fiduciamque ſimulare perrexit, quam ſolenni jurejurando, tactis Aræ myſteriis & communicatis inter ſe, ut ajunt, unius hoſtiæ partibus iiſque deglutitis, firmavit. Dux iis rebus adductus eſt, ut in ipſâ arce Bloeſiana hoſpitium caperet, ſeque inimico præberet, cum urbem haberet amicis plenam armatis, qui nec eum de periculo monere ceſſabant. Ipſo mane diei XXIII. Decembris, cum eſſet in Conſilio, ſecretum chirographum ſudario adfixum accepit; *Eriperet ſe, ni mori mallet:* Adſcripſit, *non auſuros:* quemadmodum omnes alias ſpreverat admonitiones; Tantopere fidebat adſeveratione Regis & cohortatione Lugdunenſis Archiepiſcopi amici intimi, ſe ipſum & amicum ſuum decipientis, eo, ne ſpem Cardinalatus pro ximam à regiâ commendatione ſperatam amitteret.

II. Vocatus ad Regem *Guiſius* in proximum conclave, novem ex ſtipatoribus corporis, quos Rex ante lucem, ipſe candelam præferens, ibi collocaverat, in illum irruerunt, & miris modis reſiſtentem confecerunt, aliud nihil quam hæc verba prolocutum; *Vah proditorem!* Ita iiſdem artibus, quibus Coligniu n alioſque Reformatos Lutetiæ circumvenerat, ipſe periit,

 vir

vir alioqui magnis animi corporiſque dotibus ornatus. Frater ejus Cardinalis eodem modo vocatus ad Regem trucidatus eſt à ſatellitibus. Rex quaſi nihil amplius quam cæde inimicorum ad difficultates omnes ſuperandas opus eſſet, monitus eſt erroris à matre, cum ei rem peractam ipſe referens adjeciſſet, *Nunc demum rex ſum Domina*; Satin' igitur, mi fili, inquit, curaſti quo Pariſii & reliquæ urbes majores in poteſtate tuâ ſint? Odium Regis à longo tempore collectum & Guiſii incredibilis amor in cauſa fuit univerſæ defectionis à Rege: Cujus hiſtoria & ſequela pertinet ad ſequens *intervallum*.

CAP. XII.

De rebus Anglicanis.

MAria Regina, quæ ſub finem anni 1558. exceſſit è vivis, non amaverat *Eliſabethen* ſororem, cum quod ex pellice matris ſuæ natam, tum quod ab hæreſi non alienam exiſtimaret: Quin ita multorum tulit opinio, diu futurum fuiſſe, ut illam deſtinato exitio addiceret, niſi *Philippus II.* Mariæ maritus in diverſa fuiſſet ſententiâ; quod ita videret eventurum, ut Elizabethe ſublatâ, *Maria* Scota, Franciſci Galliarum Regis uxor, Angliæ ſucceſſioni admoveretur. Quâ re fieri potuiſſet, ut Anglia Galliæ, maximo Hiſpanicæ monarchiæ præjudicio, adjungeretur.

2. ELI-

2. ELISABETH igitur unica ſoboles Henrici VIII. ſuperſtes ex *Annâ Boleniâ*, decreto Ordinum regni jam olim declarata ſucceſſionis, non obſtante natalium ejus controverſia, capax, Regina proclamata & vere primo anni 1559. inaugurata, non fefellit opinionem de illa præſumptam; Quippe eodem anno ſuperſtitiones veteris doctrinæ primum auctoritate ſuâ, dein Ordinum regni conſenſu abolevit; etſi cum primum Miſſa abrogata fuit, ſex tantum ſuffragiis hanc ſententiam prævaluiſſe referunt Scriptores.

3. Secundum hæc omnes Reginam ut ſupremam non modo in civilibus ſed etiam in Eccleſiaſticis Dominam juſſi ſunt agnoſcere, duplici jurejurando præſtando, fidelitatis & *ſupremati æ* quod vocant, quorum poſtremo Regina *caput Eccleſiæ*, excluſo omni jure Pontificis Romani declaratur, quod ſemper in Angliâ exinde valuit, donec ſub *Wilhelmo* III. Rege glorioſiſſimo, nuper ob graviſſimas rationes abolitum intelleximus.

4. Quod autem hæc mutatio non modo ſine bello ſed etiam ſine ullo motu perpetrata fuit, non tam prudentiæ, quæ maxima fuit in illâ, & cujus pars erat graduum in vertendo rerum ſtatu obſervatio, quam ingens in Anglis reformationis ſtudium, quod longe majorem populi & Cleri partem ſub Regibus Henrico & Eduardo jam pridem occupaverat & quod Mariæ Reginæ perſecutio magis auxerat & incenderat, quam cohibuerat: Epiſcopi tamen omnes, exceptis tri-

bus, mitras ſuas quam religionem mutare maluere; Nec tamen Epiſcopatus abrogari placuit. Exiſtimatum enim eſt a prudentioribus, Eccleſiæ regimen presbyterio ad formam Genevenſem, cum popularibus aut optimatium Imperiis potius quam Regno convenire; Ideoque dignitates Epiſcoporum Clerique ſubordinati functiones cum ritibus quibuſdam ſacris, quos alii Proteſtantes aboleverant, in Angliâ retinendas putarunt; adeò firmiter, ut Regina Regeſque ſequentes, ſine Clero veteris, inſtituti, coronam ſibi non conſtare putaverint.

5. Res hujus Reginæ in domeſticas & forenſes diſtingui poſſunt. Illæ rurſus in privatas vel publicas. Ad privata, præter ejus virtutes & vitia, pertinent imprimis matrimoniorum conditiones oblatæ. De virtutibus ejus, ne de corpore, quod fuit heroide dignum, loquamur, bene dictum eſt; quicquid de juſtâ, clemente, piâ, prudente, generoſâ Principe dici poſſet adulatoriè, de illâ vere prædicari licere; Addamus & doctrinam in feminâ Rege, Latinæ ac Græcæ inſtitutionis; nec omittemus frugalitatem, in regibus infimo loco minime ponendam virtutem, modo ſalvâ dignitate, quam illa magnifice conſervavit, adminiſtretur. Per hanc illa reditus patrimoniales regni & ſubſidia à civibus impetrata, quæ pro magnitudine rerum quas geſſit, modica fuere, non in luxum aut ſubſtructiones ſplendidas, ſed in regni tutelam & ſubſidia vicinorum, præcipue in augmentum rei navalis, opportune impendit. Ut qui gloriæ Eliſabethæ

do-

detrahunt inde, quod opera illius nomine inſcripta non extant magnifica, parum intelligant, quantum monumenta gloriæ in æterna poſteritatis memoria, inſcriptionibus ædificiorum præſtent. Si vitiis non caruit, ut eſt conſentaneum, ea tamen in publicum non eruperunt, excepta muliebri æmulatione, quæ deſiit in ſævitiam adverſus cognatam *Mariam Scotorum Reginam*, cujus mors facilius excuſari quam defendi poteſt, ut infrà videbimus.

6. Conditiones matrimonii non defuiſſe virgini pulchræ, xxv annos natæ, duobus regnis dotatæ facile præſumi poteſt. Nec unquam amatores adſpernata nulli tamen ſe addixit, vel animi magnitudine non ferentis ſocium, vel metu, quæ eſt conſtans opinio, quod nunquam mater ob arctitudinem, vitâ ſalvâ, fieri poſſet. Primus ejus nuptias concupivit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, diſpenſationem à Pontifice, propter commodum utriuſque incomparabile, facile impetrandam oſtentans. Nec enim Papa Britanniam, nec Philippus Belgicam, hiſce confectis nuptiis, amiſiſſent. Hac conditione repudiata, ut aliqua parte domus Auſtriaca teneret Angliam, Maximilianus Imperator in cauſa Religionis moderatus *Carolum* filium ſuum ei commendabat. Poſt illum Ericus è Suetia, miſſo Johanne fratre ſuo, qua de re diximus in *Suedicis*. Poſtea *Adolphus* Holſatiæ dux aliique diverſis temporibus in Anglia Scotiaque plures. Etiam pro *Carolo IX.* Galliarum Rege, Mater ejus reginą tractavit, cui reſpondit *Eliſabeth*,

Carolum ſibi *nimis eſſe magnum & parvum*; Magnum nimis, ne Angliam haberet ut dependentiam regni ſui; parvum, ætate. Sed frater Caroli & Henrici Regis *Franciſcus* Andegavenſis Dux, adoleſcens, cum ipſa quadragenaria & amplius eſſet, ultimus ac inſtructiſſimus adfuit, remque eo deduxit, ut nemo, ne intimi quidem Reginæ, de negotio confecto dubitarent, etiam ut Legatus Ordinum Belgicorum *Aldegondius* publicè ad ſuos rem eſſe peractam adſeveraret, denique pignus fidei annulum Andegavenſis haberet; Et tamen omnia retro in irritum ceſſerunt; relapsâ identidem ad virginitatis propoſitum Reginâ; quod ipſa aliquando regni ſui Ordinibus enixe conjugium illi, ſine perſonæ demonſtratione commendantibus, ſub pectore fixum hærere declaraverat. Cumque alio tempore iidem vehementius inſtarent, ut nuberet vel ſucceſſorem declararet, idque verbis reverentiæ terminos excedentibus, quibus tum adhuc Regum aures non adſueverant, illa ratione & auctoritate potius quam vi, matrimonium ſui quidem eſſe arbitrii, ſucceſſorem autem declarare periculoſſiſimum exemplis hiſtoriæ adductis eſſe demonſtravit.

7. Porro, quod in tanta Galliæ, Scotiæ, Belgicæque perturbatione, res ſuas *Elizabeth* domi foriſque non modo tutas, ſed etiam proſperas & amplas habuit, ſine dubio poſt Deum prudentiæ ejus merito adſcribitur, ut tamen hæc ipſa vicinarum gentium diſtractio plurimum ad ejus

ſecu-

ſecuritatem & gloriam contulerit: Quando, ſi res Gallicæ & Hiſpanicæ florentes fuiſſent, illa nec Pontificem neque vicinas poteſtates ſuo arbitratu, ut inſtituit, offendere, neque factionem domi contrariam adeo facile cohibere potuiſſet. Nunc verò dum civibus ſuis pacem & religionem præſtat, fieri non potuit, quin ex Gallia & imprimis è Belgica innumeræ in Angliam familiæ, ſuas artes omniumque rerum commercia ſecum ferentes migrarent, regnique frequentiam & divitias in immenſum augerent; maxime quando maris imperium penes illam ſolam fuit. Quod longè maximi eſſe momenti non minus ex veterum ſententiis, quam recentiori conſtat experientiâ.

8. Adverſitates hujus regni internæ, in conſpirationibus Pontificiorum evanidis ſed moleſtis & periculoſis orſæ atque conſumptæ ſunt; maxime, poſtquam *Maria* Scotiæ Regina à ſuis male habita, ut ſequenti capite videbimus, ad Eliſabethen confugit, anno regni ejus expleto *decimo*. Nam quod antea nonnulli Regiæ ſtirpis in ſuſpicionem adducti & cuſtoditi ſunt, cautionis potius quam periculi inſtantis causâ factum videtur. Sed *Maria* Scota, Galliarum regio illuſtris matrimonio, pridem poſt obitum *Mariæ* Anglæ, hujus quoque regni nomen & inſignia adſciverat, idque jure, ſi *Eliſabeth* illegitima eſſet, indubitato; quia conſtabat, eam eſſe neptim Margaritæ, quæ fuerat Henrici VII filia primogenita. Hoc fuit initium fera-

lis

lis inter has principes feminas ornatiſſimas diſcordiæ; Quam intendit importuna Scotæ, poſt Viri quoque mortem flagitatio, ut quando Eliſabeth regnum occupaverat, ipſi duntaxat jus ſucceſſionis Ordinum decreto adjudicaretur; non ignarâ Eliſabethe, quantum de ſecuritate regni ſui delibaret hujuſmodi declaratio, nec id diſſimulante, cum diceret, nolle ſe vivam linteum mortuale ſuper os ſuum adducere. Quare non eſt mirum, ſi nihil omittendum putavit *Eliſabeth*, quo Scotam domeſticis turbis, quas ipſa foverat, intricatam ab omnibus deſertam in ſuam poteſtatem redigeret: Nec unquam, ut ſupplicem in conſpectum ſuum admitteret, quod præjudicium liberationis fuiſſet, adduci potuerit. Inter ipſam & populum Proceresſque ejus Arbitram ſegerens, contumaciam quidem civium adverſus Principem ſuam verbis palam deteſtata, remedium tamen, quod erat in promptu, adhibere curæ non habuit.

9. Hinc motis hominum animis favore calamitoſæ majeſtatis, varia domi foriſque ad illam libertati adſerendam & Eliſabethen, quod cum illius ſalute conjunctum erat, perdendam, inita ſunt conſilia: Quanquam Thomas Hawartus, præpotens dux Norfolcius Pontificiæ addictus religioni ad ejus nuptias ac liberationem, diſtinctè ab Eliſabethis interitu, ut adfirmabat, animum adjecerat. Regina rem ut erat accipiens, primo quidem ignovit; quod arma ſaltem cum Ducibus Northumbriæ & Weſtmerlandiæ, qui

exer-

exercitu IV M. peditum & DC equitum collecto in Septentrionali Angliæ parte res novas moliti & oppreſſi fuerant, non ſociaſſet: Verum ita, ut conſiliis ejus intenta, cum ad nuptiarum ſpem relapſus eſſet, denuo captum ſummo ſupplicio adfecerit, anno 1575.

10. Illigatus erat conjurationi *Epiſcopus* Roſſenſis, Mariæ captivæ apud Anglam legatus; qui ſe jure Gentium & ſanctitate legationis tuebatur. Conſulti JCti, an Reginæ ſuo regno privatæ & captivæ legatus, illic ubi capta erat, jure gentium frui poſſet, reſponderunt, ſi jure privata eſſet, non poſſe, ſecus poſſe; Regina vero cum id decidere nollet, objecit Roſſenſi, illum jus legationis violaſſe, quo proinde nec uti poſſet; replicavit ille, ſe non viâ juris ſed viâ facti, ſi vera eſſet accuſatio, violaſſe legationem, (ut diſtinctio juris & facti, nunc adeo celebris, arbitrario ſenſu, minime nova ſit Anglis) Idem, Anglos & Scotos contra ſe invicem ut inimicos natos, non poſſe teſtes in judicio produci adfirmabat. Ipſe aliquandiu cuſtodiâ maceratus poſtremo impune dimiſſus eſt. Eodem tempore Johannes *Stary* Anglus JCtus, Regis Hiſpaniæ miniſter juratus eique jam diu ſubjectus, in Angliâ captus, ob hæc conſilia proditionis accuſatus & ſupplicio adfectus eſt, refutata ejus exceptione, quod jurisdictioni Anglicanæ, civis alieni factus Imperii, amplius non ſubeſſet. Hac ratione, quod is qui ſubjectus imperio natus eſſet, ei ſe nunquam, ut Angli ſta-

ſtatuebant, ſubducere poſſet. Idem reſponderunt, *Norfolcium*, qui ſe fateretur communicaſſe conſilia cum civibus externi, ſed Angliæ foederati principis, ſi eſſent male erga Reginam animati, cum hoſtibus Angliæ tractaſſe videri; nec inſolens videri, ut Princeps aliquis amicus, cives ejuſdem hoſtes haberentur. hæc ob uſum diverſi temporis adjicere placuit.

11. Sed quamdiu *Maria* vivebat, nec Hiſpaniæ regis miniſtri in Belgicâ, nec Guiſii cognati in Galliâ, nec Pontificii in Anglia, nec amici in Scotia, quanquam inimici inde plus ei nocuerint, à conjurationibus abſtinere poterant, quarum ultima & maxima *Walſingamii* Elizabethæ à Secretis induſtria detecta, plurium ſupplicio deleta eſt, anno 1586. Quo tempore *Leiceſtrius* Comes Reginæ tuendæ ſtudio, formulam fœderis, cui plerique Proceres nomina dedere, commentus eſt, tacito perdendæ Scotorum Reginæ conſilio, *Adſociationem* vocarunt; cui *Maria*, quo ſpectaret intelligens, ſuum quoque nomen, ut quâ nemo Eliſabethis incolumitati magis faveret, adſcribi deſideravit. Nihilo ſecus nova lex Ordinum rogatu de perduellione lata eſt, quæ præſenti rerum ſtatui melius quam antiquæ leges conveniret, Denique ſic Ordines, ſic Reginæ conſiliarii exiſtimabant, *Eliſabethen* & religionem, niſi Mariâ ſublatâ, ſalvam eſſe non poſſe, perviceruntque, non parum illâ ſeu verè ſeu fictè repugnante, ut judices ad eam examinandam mitterentur in Arcem

Fo-

Foteringheam in Comitatu *Northamptoniæ*; poſtquam Leiceſtrii ſententia, ſatius videri, ut veneno vel aliter clam tolleretur, repudiata fuerat.

12. *Maria* diu multumque proteſtata contra judicium, cui nullo modo ipſa, optimo jure ſe Reginam ferens, ſubjici deberet, cum Judices non tam Regni jus quod abdicaſſet, ei negarent, quam jus territorii in quoſlibet ibi repertos urgerent, denique ni reſponderet, ſe adverſus contumacem Proceſſuros minarentur, tandem ſe defenſioni, ſine advocatis, commiſit. Accuſata fuit, quod in conſilia invadendi Angliam & perdendi Eliſabethen conſenſiſſet, in quam rem iteræ quædam ipſius & confeſſiones *Navii* ac *Curlii* ſcribarum ejus, quod tales literas ob ore dictantis exaraſſent, producebantur; Quanquam autem illa perſiſteret in negando, ſe quicquam præter liberationem ſuam tractaſſe, cum tamen de facto ſatis conſtaret, judices eam perduellionis condemnarunt, eamque ſententiam Ordines regni ad executionem urgere non deſinebant propoſitis Reginæ *Agabi & Benhadadis* exemplis iræque divinæ interminationibus; ſi quidem Eliſabeth ſanguinis ſui & dignitatis rationem ſaluti Eccleſiæ & populi præferret: hæc enim ſola ſpecies adulationis, ut coacta videretur, ſupererat; Etſi revera ſatis conſtat, & Ordines ita ſerio exiſtimaſſe, & Eliſabethen inter metum periculi & infamiæ diu multumque fluctuaſſe, donec evicta metu precibuſque & renovatis identidem

tidem male coctis conſpirationibus, mandato executionis ſubſcriberet: quod Davidſonio Scribæ ſuo hac lege, ne cuiquam ſine novo juſſu ſuo traderetur, dedit cuſtodiendum. At hic perſuaderi ſibi paſſus, vel credens ſe Reginæ gratum facturum, quod ipſâ quaſi inſciâ res perageretur, diploma judicibus delegatis tradidit; qui nihil cunctati, *Mariæ* quarto à lata ſententiâ menſe in aula arcis, ubi cuſtodiebatur, ſecuri, manu carnificis, caput amputarunt, die VIII Februar. 1587.

13. Narratio plena affectuum, conſtantiæ, modeſtiæ & religionis, qua in extremis uſa dicitur, (etſi more Catholico illi mortem obire prohibitum ſit) non eſt hujus loci, Camdenus & Bakerus videantur. Sed miram intellecta re, perſonam egit *Elizabeth*, indignatione, luctu, ſqualore, vindicta etiam in *Davidſonium*; teſtata ſuperos & inferos ſe invitâ rem eſſe perpetratam: Quæ omnia non tam ſimulationi, licet illa non abfuerit, adſcribenda; quam proprietati actionis voluntariæ quidem ſed cum morſu animi decretæ, quales in magnis rebus commiſſas pudor & pœnitentia & tumultus pugnantium ſequitur affectuum. Non defuerant ampliſſimæ interceſſiones, cum Scotiæ Regis, *Mariæ* filii, tum *Henrici* Galliarum; Etſi neque tum Guiſiani, neque diu poſtea quidam reliquis oculatiores, etiam Proteſtantes, adfirmare ceſſaverint, Legatum Gallicum occultis inſtructum fuiſſe mandatis ad accelerandum Mariæ interitum,

eo

eo quod Guiſiani, Mariæ exaltatione, in exitium Henrici corroborarentur. Sed neque dedecoris, quod Gallia in hoc exemplo ſubiit, magnitudo, nec inutilitas, quando Angli ſatis ultro erant incitati, neque res ipſa tantam prævaricationem credere permittit; Maxime ſi verum eſt, quod Angli prolixe & ex comperto narrant, Galliæ legatum in ipſo ſententiæ & executionis intervallo novam fabricatum eſſe conjurationem: Niſi & hanc iſti acuti occultis mandatis, ut novo metu reginam ſcilicet præcipitem agerent, adſcribere malint. Ne dicam, mali tam incerti & longinqui metum adeo præſentis & funeſtæ in animo Henrici, perfidiæ contra fratriam ſuam, nullo modo locum facere potuiſſe.

13. Summa omnium fere populorum Principumque propter Mariæ ſupplicium indignatio non fecit tamen ut mortuam ulciſcerentur, qui vivam adjuvare ſuperſederant. Ipſe filius, Scotiæ Rex, dolorem ſuum ſucceſſionis Anglicanæ ſpei ſacrificavit & ſi quid molitus fuiſſet, factionem Elizabet in Scotia paratam habebat in contrarium, quemadmodum & in Gallia Belgicaque partes Reformatorum in eundem finem ſedulo fovebat, ubi res nunquam magis quam hoc tempore turbatæ fuerant. Sed ex Hiſpania claſſis illa invincibilis, cum nova *Sixti V.* Pontificis deteſtatione ſequenti anno prodiit; cujus ſucceſſum in *Hiſpanicis* intelleximus. In eventum deſcenſionis terreſtrium copiarum, nihil ad ſummam diligentiam ab Eliſabetha Proceribuſque, populo ad

omnia paratiſſimo, reliquum erat factum; excitandiſque hominum ſtudiis, nec ipſa quicquam viſitando exercitum, equitando per medios ordines, alloquendo milites hortandoque omiſerat: Quando ſatis conſtabat, ſi Hiſpanienſis exercitus cum Duce Parmenſi in Angliam fuiſſet expoſitus, nullis ibi munitis urbibus, populo belli imperito, nihil ab extremo periculo defuturum fuiſſe, nullo ex ulla parte Mundi auxilio expectando. Bonum factum, quod multos è fœderatis Belgis, ordinum ductores ſuæ gentis, ibi exercitos adhibuerat; quam proinde ſcholam belli per annos LX. & amplius Angli apud ſe otioſi diligenter excoluerunt. Caput rei vero & ſumma ſalutis fuit, quod Angli tum rei navalis ſcientiâ potentiaque omnibus in orbe terrarum populis prævalebant, à quâ proinde ſecundum Deum profecta eſt victoria; quando eum qui mari potitur, inter gentes mari prætextas, neceſſario rerum potiri vetus eſt dictum, hodieque veriſſimum & compertiſſimum. Ità cum triumpho Londini acto longè ſplendidiſſimo, tempus hujus ſectionis exivit.

CAP.

CAP. XIII.

De rebus apud Scotos actis.

REginâ Scotorum *Mariâ* in Galliam digreſſâ, Mater ejus dicta Gubernatrix incidit in novæ Religionis initia, cœtibus tumultuoſis, templorum direptionibus & Nobilium novæ addictorum doctrinæ coitionibus intonantia, quæ adeò fruſtra cohibere conata eſt, ut etiam Proceres illi imperium abrogare non dubitaverint, XXIII Octobr. 1559. etſi hactenus in vanum, quod copiis eorum diſſipatis, auxilium ab Anglis petere coacti ſunt; Quibus adductis & Gallis auxiliaribus in urbe Lethâ obſeſſis, Regina vidua in arce Edimburgenſi, morbo ex mærore animi contracto, deceſſit anno 1560. neque multo poſt de pace convenit, eâ lege, ut Galli & Angli è regno diſcederent, omniumque rerum oblivio à Reginâ ſanciretur.

2, Sub exitum ejuſdem anni, *Franciſco* Gallia-rum Rege ſubitâ morte defuncto, MARIA vidua, cum Socru non benè concordans & in parvis rebus prima, quam in magnis ſecunda præoptans eſſe, fato tracta ſuo in Scotiam redire conſtituit; etſi non deerant, qui exemplo Patris & Matris, quos ambos Scoti deſperatione ad mortem adegiſſent, cui nunc de religione tumultus accederent, metuque ab Eliſabethe Angla, quam offendiſſet, eam deterrerent. Nihilo ſecus claſſe, quam Angli animo non amico obſervabant,

nebuloſâ caligine tecta feliciter in Scotiam appulit, anno 1561. Ubi Proteſtantium Religionem inveniens ſtabilitam, nihil aliud, quam ut unam ſibi Miſſam pro ſua familia privatam habere liceret, nec id quidem ſine contradictione, impetravit. Sed cum illius apparatum more Papali ex regiâ ſupellectile, quam è Galliâ advexerat, auxiſſet, Prædicatores, quos inter facile principem locum tenebat *Johannes Knoxius*, Calvini auditor, vehementis vir ingenii facundiæque, Nobilitatem excitarunt, ut vi Reginam ſub Leges, quibus abolita erant ſacra Pontificia, cogerent. Id enim in ſupremum Magiſtratum fieri licere Theologi *conſtanter* reſponderunt. Sed tum quidem nihil actum.

3. Regina tumultibus quibuſdam *anno* 1563. defuncta, ſequenti anno *Henrici Stuarti* juvenis pulchri ipſa pulcherrima ſuique conſobrini amore capta, nupſit ei ſubito, non tam nolente quam adſenſum non præbente *Elizabethe* Regina rebus Scotorum ſe valide ingerente; Proceribus etiam ignaris, nomen Regis cum marito ſuo communicavit, quod abſque Ordinum conſenſu non licere exiſtimabatur. Sed ut fit in repentinis amoribus, primo adfectu expleto, cum ad animum Regina revocaret, quanto Regis toto terrarum orbe maximi vidua, de gradu ſe dejeciſſet, virum contemnere cœpit, ejuſque nomen antea præpoſitum in Actis publicis poſtponere, dein penitus omittere, eumque ab omni publicarum rerum adminiſtratione removere cœpit;

pit;

pit, dum omnia apud illam poterat *David Rizius* muſicæ magiſter Italus; Quod ægerrime ferens Rex juvenis, nobilium aliquot ope conſilioque, ad Reginam in anguſtâ cella cœnantem adiit, Davide ut *Buchananus* ait, cum uxore Comitis Argatheliæ, menſæ regiæ adſidente; ut Cambdenus & alii ſub Rege *Jacobo* Mariæ filio prodiderunt, apud diverſam menſam guſtante. Qui aderant extractum Davidem, dum Rex Reginam amplexu morabatur, in alio proximo cubiculo confoderunt. Regina pauliſper a Rege conjuratiſque laxiore cuſtodiâ obſervata, brevi aliorum, ut fit, auxilio evaſit in libertatem, Regemque maritum ipſum in poteſtatem redegit, cædis auctores proſcripſit, aliquos etiam ſupplicio adfecit, & dein filium peperit, cui poſtea *Jacobo* VI. nomen fuit, die XIX *Junii* 1565.

4. Regina partu levata maritum odiſſe perſeverans animum adjecit ad *Jacobum Hepburnum* Comitem *Bothwelium*, qui exinde ſolus apud illam valebat. Regem exinde ſatis conſtat, primo tentatum eſſe veneno; quod gravi morbo vix eluctatus in gratiam ab uxore qualitercunque receptus eſt; ſed Edimburgum vocatus adhuc æger ſeorſim à Palatio in ædibus aliquandiu deſertis & ſolitariis, collocatus eſt, in quibus *die* x. *Febr.* 1566. nocte eadem, quâ Regina ad eum viſitaverat, ſtrangulatus & in hortum abjectus; domus dein pulvere pyrio ſubverſa eſt. De auctoribus hujus cædis prima fama exiit, Regem à *Jacobo* Comite *Moravio* fratre naturali

Reginæ & Jacobo Duglaſſio *Mortonio* Comite eſſe interfectum; quorum quidem *Moravius* Edimburgo tunc abſuerat & mox abiit in Gallias peregrinatum; eaque opinio Regis Jacobi tempore & auctoritate, contra *Buchanani* teſtimonium, qui Reginam & Bothwelium auctores prodit, eſt propagata: Sed rerum argumentis refellitur: Odio Reginæ, adverſus maritum, vindictæ ob cædem *Rizii* ſtudio palam declarato, diſpoſitione hoſpitii Regii ad cædis opportunitatem præparati; affectu erga *Botwelium* diu antea manifeſto, jam continuato & poſtea literis autographis abunde probato: quem tamen Bothwelium Angli ſub Jacobo Scriptores, cædis quoque Regiæ miniſtrum & executorem fuiſſe fatentur; Cui acceſſit, quod Regina brevi à cæde peracta eidem *Bothwelio* nupſit, poſtquam à Judicibus ad id ſelectis ab *inſtantiâ* parricidii abſolutus fuiſſet. Modus conglutinandi nuptias fuit Raptus, quo Regina apud quendam in itinere pontem excepta Dumbarum abducta eſt, ubi Bothwelius per divortium ab uxore, quæ ipſa marito adulterii litem intendere coacta fuit, ſeparatus eſt, & nuptiæ mox Edimburgi celebratæ.

5. Tanta infamia in gente libera & flagitiorum rudi ſine motu abire non poterat; Mortonius Comes aliique plures conjurati primo Bothwelium & Reginam in campum progreſſos vi comprehendere conati ſunt; quas inſidias Regina virili adſumpta veſte, fugâ *Dumbarum* arrepta

arreptâ evaſit: Quo loco munito ſi ſe continuiſſet, conjurati cito dilapſi fuiſſent. Sed irâ ac adulationibus ſuorum majeſtatem regiam armis vindicare ſtatuit, exercitu collecto ſatis numeroſo. Sed cujus major pars in conſpectum adverſæ partis apud Muſſelburgum adducta pugnare detrectavit: Quâ re dedere ſe Proceribus, Bothwelio fugâ prius elapſo, coacta, Edimburgum equo inſidens, vili & brevi induta tunicula, facie lacrymis & pulvere fœditâ, per ora populi, antecedente vexillo, in quo depictus erat Rex interfectus cum infante regio cælitus ultionem precante, traducta eſt. Capta Regina regnum ejurare & in filium transferre compulſa eſt *a. d.* VIII. *Kall. Auguſti* 1567. & *Jacobus* frater ejus nothus è Gallia hoc ipſo tempore redux factus ab Ordinibus *Prorex* declaratus eſt, Reginâ apud ejus matrem *Jacobi V.* Regis olim concubinam in Lacu Levino cuſtodiæ datâ; unde tamen brevi per *Georgium Duglaſſium* Proregis ipſius fratrem uterinum exempta, collecto per Hamiltonios alioſque Moravii æmulos exercitu, à Prorege, tametſi viribus inferiore ſuperata eſt, haud procul Glaſcuâ *die* XIII *Maji* 1568. unde fugâ in Angliam ſe recepit, ubi per undeviginti annos captiva quem exitum habuerit infelix Regina, vidimus. Bothwelius in carcere Danico, piraticâ aliquandiu exercitâ, periit.

6. Prorex autem *Iacobus* Moravus à *Iacobo Hamiltonio* Archiepiſcopi Andreani ex ſorore nepote

ſclopeto ex inſidiis trajectus eſt *Edimburgi a. d.* x *Kal. Febr.* 1573. Vir prudens, gravis & ſtrenuus; Religionis in Scotia inſtauratæ juxta *Knoxium* præcipuus auctor. Poſt ejus obitum rebus turbatis, *a. d.* VI. *Id. Julii* Interrex primo creatus eſt, *Matthæus Stuartus* Lenoxius Comes, Regis avus; idemque mox, Angliæ Reginâ ſuadente, *Prorex* electus; qui arcem naturâ & arte munitiſſimam *Britannodunum* ductu militis gregarii, qui uxorem virgis à præfecto cæſam ulciſci cupiebat, ſtratagemate ſingulari cepit, ubi captus *S. Andreæ* Archiepiſcopus, ob parricidium Regis & Proregis, ſuſpendio necatus eſt. Sed poſt XIV menſes adminiſtrationis, cum Sterlini Ordinum ageret Comitia, quæ ab adverſa parte Reginæ nomine, Edimburgi habebantur; hi intellecto, Sterlinum male cuſtodiri, urbem primo diluculo ingreſſi, omnia tam neglecta deprehenderunt, ut ne canis quidem illos allatraverit, adeoque Proregem & pleroſque regiarum partium Proceres captivos abduxerint, in quo tumultu ipſe Prorex vulneratus brevi vitam finivit, ut Buchananus; Remotum tutelâ regiâ ſcribit Bakerus.

7. In hujus locum ProRex electus eſt *Johannes Areskinus* Marriæ Comes, quo poſt XIII menſes vitâ defuncto, in promptu non fuit, quis locum ejus ſuppleret; factionibus perpetuo bello Scotiam lacerantibus: Sed poſt interregnum aliquot menſium electus eſt tandem *Jacobus Duglaſſius* Comes Mortonius, educatione

Regis

Regis permiſſâ Alexandro *Areskino* Marriæ Comiti, cui hereditario jure partes illas competere ajebant. Mortonio ſe oppoſuere *Kircaldius* arcis Edimburgenſis præfectus & *Lydingtonius* acerrimi Vir ingenii; Sed Prorex Anglicanis inſtructus auxiliis eos brevi ad deditionem arbitrariam coegit, & Præfectum alioſque ſuſpendio necavit, *Lydingtonius* Letham miſſus, in cuſtodia deceſſit, veneno, ut creditur, interceptus. Ab eo tempore cum Mortonius in tertium annum prudentia ſingulari præfuiſſet, excepto quod avaritiæ nomine infamatus & in odium adductus erat; Proceres ejus æmuli pervicerunt, ut Rex decimum tertium ingreſſus annum, exemplo Galliæ Regum, major in Comitiis declararetur, eique conſilium XII. magnatum, quos inter *Mortonius*, adjunxerunt. At hic injuriam ſibi factam non ferens, Rege in ſuam poteſtatem redacto & in Sterlini arce cuſtodito, cuncta ſui faciebat arbitrii. Sed cum alii Proceres, Duce *Atholio Comite*, ad illum in ordinem redigendum copias colligerent, Anglici interventu Legati compoſitis rebus, Mortonius ſe domum ſuam recepit, Atholius non ſine veneni ſuſpicione deceſſit.

8. Rex ab eo tempore convaleſcens auctoritate ſuſpicaces ſuorum animos in ſe vertit, amicitia *Eſmii Stuarti* Albinæi, Patris conſobrini, in aula Gallica Guiſiorum favore imbuti, quem inde rebus in Scotia vertendis miſſum vulgo credebant; Id accidit anno 1579. quo Rex eum

Lenoxii Comitatu aliiſque honoribus extulit, ſpreto quicquid Angli & harum partibus addicti monerent aut moverent. Imo hujus princeps factionis *Mortonius* Regi imperioſæ memoriâ tutelæ exoſus & proditionis ab *Arranio* accuſatus, acerrime licet intercedente *Eliſabethe*, quaſi Regis Henrici cædis particeps capite mulctatus eſt. Quæ res ejuſdem factionis primores in fugam, alios ad vindictam excitavit; cujus occaſionem nacti, cum Rex ſolus *Lenoxio* & *Arranio* digreſſis ageret, Perthæ illum in vicinam arcem Reuthenum invitarunt. Ubi vi & neceſſitate retentum compulerunt, *Anguſium* Comitem Mortonii agnatum & amicum ab exilio revocare, Lenoxium relegare, Arranium carceri mancipare, literiſque ad Elizabethen ſcriptis hæc à ſe ſponte facta profiteri. Lenoxius in Galliâ brevi poſtea deceſſit, Proteſtantium fidem ad extremum vitæ, contra quam Scoti crediderant, profeſſus. Eo mortuo, conjurati cum neque ſemper Regem cuſtodire poſſent, neque remotis inimicis ſuis, amplius id neceſſarium putarent, is ſe fugâ è manibus eorum eripuit & in Fanum Andreæ ſe contulit, ubi Nobilibus undique ad eum adfluentibus, conjuratis tamen veniam, petentibus dedit, quam ſolus eorum *Wilhelmus Reuthenus* Comes *Govrius* petendam putavit, faſſus ſe non in re, ſed in formâ rei peccaſſe. Cæteri, Comes Marrius, Lyndſæus aliique ſibi conſuluerunt; hæc anno 1583. At ſequenti anno conjurati novam Regis captivitatem

tem moliti, re detectâ, in Angliam aufugerunt, ſolo *Govrio* capto, qui Sterlini accuſatus & capite mulctatus eſt.

9. Educatus erat Rex in religione Reformatâ, cujus diſciplina apud Scotos more Geneventi non Anglicano fundata fuerat, abolitâ Epiſcoporum poteſtate, Claſſibus & Preſbyteriis inſtitutis: Idque Moravius, Mortonius & cæteri, quos Rex jam perſequebatur, auctores fuerant. Is ex adverſo Epiſcopale Eccleſiæ regimen laudabat, Presbyteria ut popularis potentiæ fomenta peroderat; adeoque tandem Epiſcopos & Clerum, in Ordinum Conventu non ſine multâ difficultate multorumque ingratiis introduxit & ſtabiliri curavit anno 1585. ſancitâ pariter Anglicanâ Regis Superioritate, tam in Eccleſiaſticis quam in Civilibus. Sed hæc Concionatores non retinebant, quominus & acta Reginæ matris, cujus honori filius ſtudioſe conſultum volebat, & præſentia Regis Ordinumque decreta publicè proſcinderent & detrectarent; In jus ea cauſa vocati negabant Regi jus eſſe de Eccleſiaſticis judicandi: Quæ res conſolidavit odium inter Epiſcopales & Presbyterianos, horumque diram in animo Regis averſationem ad poſteros transmittendam peperit. Sed *Elizabeth* factionem ſuam in Scotia ſic oppreſſam videns, Anguſium Marriumque comites aliosque ſuos pecunia inſtructos in Scotiam miſit, qui collecto celeriter octo millium exercitu, Edimburgum properarunt, ubi Regem in arce obſeſſum

ſeſſum coëgerunt, Arranium alioſque ſuos inimicos dimittere, ſeſe in gratiam recipere, præcipuis locis & muneribus præficere, fœdus Anglicanum renovare, aliaque ipſorum arbitratu conſtituere, manente tamen regimine Eccleſiaſtico ſecundum formam Anglicanam.

10. Auctoritas Regia Proceribus ita ſubjecta temporis tamen lapſu & æmulatione Procerum paulatim reſtituta eſt. Interea venit tempus, quo Mater Regis in Anglia capitis ſupplicio adfecta eſt; quod, ut res erat, ægerrimè tulit; Legatum Elizabethis auctoritatem defugientis Scotiæ fines ingredi vetuit; ultionemque, ſi vires adfuiſſent, parabat. Sed domi non minus factionem videns paratam pro Anglis, quam hoſtium vires ſe multo majores, ſatisfactionem aliquando admiſit & dolorem ſuum ſpei ſucceſſionis, quam Elizabeth oſtentabat, Anglicanæ remiſit; denique, anno ſequente adverſus claſſem Hiſpanicam vires opesque regni ſui, cum Ipſa vellet, Anglicis obtulit conjungendas, anno 1588.

CAP. XV.

De rebus apud Belgas actis, uſque ad Brielam captam.

P*Hilippus* Hiſpaniarum Rex, Belgarum Princeps, pace Caſtro-Cameracenſi facta, ſe recepturus in Patriam, de Belgis in obſequio retinendis non immerito ſollicitus erat; quia terrarum ſitus longiſſimè ab Hiſpania remotus, in medio inimicarum gentium; populi natura ab Hiſpanorum ingeniis aliena erat: Idque diſſidium augebat indignatio & metus, ne ſuis adſueti Principibus Hiſpanorum *Provincia* fierent. His communibus cauſis accedebat in Proceribus ambitio, luxus & paupertas pro magnitudine ſumptuum, quibus, ne cederent Hiſpanis, ſe atterebant, & quidem adſiduo, dum hi ad breve pompam Bruxellis agerent. Ita Philippus expedire judicabat, ut exhauſti minus auderent, quod in contrarium vertit. Acrius telum fuit Religio, quæ plebis animos penitus inſederat, & quæ in Germaniâ & Angliâ plenam hac parte vigere libertatem, in Galliis eandem armis vindicari videns eodem ſtudio flagrabat. Materiæ ſatis ad civile bellum; at non aliter quam ſi Plebs & Nobilitas conjungerentur.

2. Non latuit hæc animorum diſpoſitio prudentem *Philippum*; qui propterea ne in Provinciam ſe redigi putarent, Hiſpanum illis nullum ſed Margaritam ſororem ſuam naturalem Octavii Parmæ & Placentiæ Ducis conjugem præpo-

poſuit univerſis & Brabantis nominatim; Primores autem Belgas reliquis nationibus, quos inter *Lamoralium* Comitem Egmondanum *Flandris, Wilhelmum* Principem *Arauſienſem* Hollandis Zeelandis & Ultrajectinis; *Friſiis*, Tranſiſalanis & Groninganis *Johannem Lignaum* Comitem Arenbergium, ac ita porrò alios aliis non alienigenas præfecit. Senatum etiam duplicem, *Status* qui dicebatur & Ærarii, priorem ad regimen, alterum ad reditus publicos, æquè indigenis implevit. De religione nihil remittere certus Edicta Patris contra Sectarios exerceri juſſit & ad continendos in quiete populos numerum non ſpernendum Hiſpanicæ, Italicæ & Germanicæ militiæ in locis limitaneis, quaſi adverſus hoſtes futuros collocaverat. Prima in his fuit offenſio; quod Ordines & nominatim Aurei velleris equites ſervitutis Hiſpanicæ compedes illas metuentes, exteros in pace dimitti peterent, indigenam militem ad hoc ſufficere dictitantes. Nondum à Gallis in finitimas ditiones illa vis dominationis quæ poſtea invaſit, penetraverat: Ideo etſi ægerrime Philippus illas preces apud animum ſuum ferret, & jam tum de vindicta in auctores cogitaret, non potuit tamen, quin promitteret, externum militem abductum iri; etſi non eduxit tamen, niſi poſt ſeſquiannum, cum poſt *Zerbiacam* cladem adverſus Turcas majoribus copiis indigeret.

3. Profectus inde in Hiſpaniam menſe Auguſto 1560. *Margarita* Conſiliarium & Rectorem ap-

appoſuit *Antonium Perenotum Cardinalem Granvellanum*, filium *Nicolai Perenoti* Burgundi Carolo V. à Secretis & à Conſiliis præcipui, qui vicarium habebat *Viglium Ayta Suichemum* nobilem Friſium, doctrinâ, prudentiâ & gravitate eximium. Ex horum ſuggeſtione *Margarita* certos pro Rege homines à novarum cupidis rerum diſtinguebat, honores conferebat, maxima quæque diſponebat, nec niſi ab his digeſta Senatui proponebat. Non tulere Proceres hanc viam; ſed in rixas & querelas erupere: Quin auſi ſunt Arauſionenſis, Egmondanus & Hornanus Comites à Rege per literas petere, ut Cardinalis revocaretur in Hiſpaniam. Quod ægrè, cum diu reſtitiſſet, eo quod nihil certi, generalia duntaxat adverſus eum proferrent, vereque Rex neminem ſibi Granvellano fideliorem crederet, importunitate ſuâ pervicerunt, anno 1563; non tamen quin eam rem alto animo reconderet.

4. *Philippus* Rex ita porro exiſtimabat, ſi hæreſes extingere poſſet, Proceres facile in officio manſuros. Eradicandis autem hæreſibus præter ſupplicia, doctis & vigilantibus opus eſſe Paſtoribus: cæterum, pauciores in Belgis Epiſcopos eſſe quam præſens rerum ſtatus ferret. Igitur, cum Pontificis conſenſu, in Belgicâ tres Archiepiſcopatus multoque plures Epiſcopatus introduxit, in quibus homines doctrinâ zeloque ferventes collocavit. Sed populus ita perſuaſus erat, id eſſe initium Inquiſitionis Hiſpanicæ introducendæ; Clerici autem veteres idem

dem ægerrime ferre; maxime quod novos Epiſcoposex monaſteriorum reditibus ali oporteret:adeo ut tertius Regi ordo inimicus accederet Clericorum, qui non minus quam cæteri ad leges & *Ordinum* jura Conventuſque generales ex omni corpore Provinciarum provocabant. Idque non modo in Brabantia & Flandriâ, ſed in extrema quoque Friſiâ expoſtulatum; Rege pernegante; propterea, quod diverſam ſingulæ gentes Rempubl: conſtituerent & vim unitam querentium adverſus ſe fortiorem fore judicaret. Ergo arte eos tractabat, Egmondano Comiti legato ad ſe miſſo, prolixè promittere, diverſa Margaritæ præcipere, nihilque magis quam Edictorum in hæreticos executionem urgere, cui Egmondanus & Arauſienſis in ſui præſidii locis non parentes ſcripto ſe excuſarunt. Neque diu poſtea Nobiles ingenti numero congregati foedere inito compromiſerunt, ſe non paſſuros, ut cuiquam religionis causâ moleſtia crearetur, eâque gratiâ libellum ſupplicem Bruxellis Margaritæ ſuo ſociorumque abſentium nominibus obtulere, quadringenti numero, quini incedentes, quorum ultimi erant *Ludovicus Noſſovius* Arauſienſis frater & Henricus *Bredrodius* agmen cogentes. Tanto, licet inermium numero, perculſa *Margarita*, à Barlæmontio Comite hoc ſolatii accepit; nihil eſſe quod reformidaret, omnes *eſſe mendicos*; quia plerique domuum ſuarum juniores aut ære alieno gravati erant. Quod ſupplicantibus relatum, ab illis ut cognomen, præeunte

Bre-

Brederodio in convivio, adſcitum eſt, ut ſe *Geuſios*, id eſt, mendicos in Regis gratiam profiterentur, idque ſtatim numis cuſis & inſignibus *mendicorum* pro ſe famuliſque ſuis induti prætulerunt, manſitque factionis nomen in futurum. Reſponſio ad ſupplicationem fuit, ut eſſe debebat, dilatoria, *die* VI *Aprilis* 1566 Sed *Geuſii* non diſtulere conciones ſuas, ad quas etiam armati conveniebant. Primo in agris, tum in urbibus, denique in ipſa templa fractis imaginibus ſacriſque violatis omnibus, irruentes; quod malum è Flandriâ & Brabantiâ menſe Auguſto per omnes Provincias graſſatum in extremam quoque Friſiam penetravit: Arembergio Præſide cum Senatu fuſtra auctoritatem, quando vis juſta deerat, opponentibus, ejuſdem *anni* 1566 menſe *Septembri*.

5. Rex & *Margarita*, quibus conjunctio Nobilitatis & plebis, ſemper, ut erat, Bellum videbatur, aliud præ ſe tulerunt, aliud apud animum ſuum conſtituerunt. Primo quidem permittere conciones ad tempus, vim templis fieri vetare; promittere adventum Regis, moras nectere, dum miles conveniret & cum virium non poeniteret, intonare pro auctoritate; præſertim cæſo apud Ooſterweelium haud procul Antwerpiâ, Barone *Tholoſano* cum ſuo milite collectitio 13 Martii 1567. & redactis eodem menſe in poteſtatem Valenceniis, qui rebellionem induerant. Nobilitas & plebs nullo duce, quam tumultuari prompta fuerat, tam ſegnis ad bellum

nihil parare. Solus Arauſienſis in cœtu Nobilium *Dendermondæ* Egmondanum ad arma paranda excitaverat, nullo effectu, Egmondano animum deſpondente & Geuſios in Flandriâ perſequente. Ergo ſuccubuerunt omnes omniaque domi pacata, plena exiliis vicinia, vinctis carceres, patibula cadaveribus; miſſi in Hiſpaniam legati *Montigniacus* & Bergenſis Marchio juris gentium non habuere copiam, male ad mortem uſque habiti: Plane ſi hactenus contenti fuiſſent Hiſpani, forte manſerat integrum Philippo Belgium. Duntaxat, ſi ipſe Rex cum pœnis & præmiis adfuiſſet; quomodo olim *Carolus* Pater ejus ob ſolam Gandavenſium rebellionem non erat cunctatus per inimicam Galliam accurrere ad incendium extinguendum & extinxerat: quemadmodum & Philippus è Belgio diſcedens ſpem fecerat, ſe diutius ſeptennio à Belgis ſuis non abfuturum. Nocuit cum gravitatis & ſecuritatis reputatio, tum ἀπραξίας dulcedo, quæ paulatim Regiam Hiſpanicam occupavit & peſſumdedit.

6. Tum quidem *Philippus* occaſionem redigendi Belgas ad abſoluti metas imperii, ſine quo nunquam ſecurus eſſe poterat, negligendam non putavit; In quem finem delectus ſeveritatis miniſter *Ferdinandus Alvarez Toletanus Albæ* Dux, belli ſtrenuus, animo immitis: qui cum exercitu valore magis quam numero terribili Belgicam ingreſſus eſt Auguſto menſe 1567 Et quanquam exercitui duntaxat præpoſitus *Margaritæ* majus imperium agnoſcebat, hæc tamen rem po-

potius quam dicta reputans, miſſione impetratâ, in principio *anni ſequentis* abiit in Italiam.

7. Dux Albanus interim præſente adhuc, licet ignarâ Margaritâ, *Egmondano & Hornano* Comitibus in cuſtodiam conjectis, Tribunal extraordinarium in ſeditioſos erexit, ad quod ex omnibus provinciis quoſlibet primâ inſtantiâ reos, ſine dubio contra leges, ſiſtentes ſe, non ſiſtentes condemnavit, bona publicavit omniaque ſuppliciis & terrore complevit. Inter abſentes condemnatos fuit *Arauſienſis*, qui gnarus aulæ & Albani, veniâ regis enixè petitâ, ſuo diſceſſu Ducis adventum prævenerat. Ad hunc ſe exſules undique recepere, multi etiam in ſylvas & maria digreſſi latrociniis & piraticâ victum iraſque exercebant; Undè Geuſii ſylveſtres & maritimi dicti, nulli injuriarum generi in monachos & omne genus cleri parcentes. Sed Arauſionenſis cum ſociis ære collecto & à Germanis quibuſdam adjuti exercitum collegere, quo res Belgicas tentarent, tam à parte Friſiæ quam Brabantiæ. In Friſiam *Ludovicus* Naſſavius cum fratre Adolpho ingreſſus proſperum habuit initium; victo & cæſo Comite *Arembergio*, qui hoſtes omnium rerum inopes, morâ conficere volens, ab Hiſpanis ad prælium adactus erat, apud Heligerlæam veteris præfecturæ Groningenſis pagum die 24 Maji 1568, ubi Adolphus quoque Ludovici frater occubuit. Hæc res populorum animos vehementer excitarat & ſi Arauſienſis eodem tempore à parte Brabantiæ paratus

tus fuiſſet, ingens defectio expectari potuiſſet. Verum Albanus ſubito mentes hominum aliò vertit, *Egmondano* & *Hornano* Comitibus, juxta alios plures. in foro Bruxellenſi maximo omnium ſtupore capitis ſupplicio adfectis, die V *Junii*: & *die* XXI menſis ſequentis *Ludovicum Naſſavium* apud *Iemingam* Friſiæ orientalis ad Amaſin pagum, Germanis ejus ob non ſoluta ſtipendia pugnam detrectantibus, profligavit. Arauſionenſem vero cum exercitu XX millium agro Leodienſi cunctando, inſectando, pecuniæ commeatuſque inopiâ laborantem brevi ad receſſum in Germaniam coegit.

8. Tum vero *Albanus* urgere propoſitum, ſtabilire Epiſcopos, inquiſitores, ſævire in hæreticos, rebelles, intendere vim dominationis, & omnia miſeræ ſervitutis mala ingerere: quibus ira Numinis adjecit crebras inundationes his regionibus, quam aliis terræ motus ſunt, infeſtiores. Præcipua calamitas, kalendis Novembris anni 1570 cum aliis regionibus tum Friſiæ potiſſimum incubuit, quam ruptis aggeribus totam fere velut uno fluctu operuit oppreſſitque oceanus, immenſa hominum, pecudum omniumque rerum clade, numero tamen incerto; etſi vulgo ad XX hominum millia periiſſe traduntur, idque in maritimis provinciæ, quæ nuſquam omnis ultra VIII milliaria procurrit, partibus duntaxat.

9. *Albanus* interim pacatâ omni Belgica, perpetuitatem victoriis additurus, id agendum cenſuit, ut exercitum è mercenariis exteris perpetuum, Belgarum ſumptibus aleret. Quod ſi adſeque-

ſequeretur, fundamentum Monarchiæ univerſalis ſolidiſſimum *Philippo* parabat; Quando per hunc exercitum in Europæ meditullio poſitum non modo Belgas, ſed Germaniam quoque diviſam, Galliam turbis civilibus ardentem & Angliam belli terreſtris expertem in adſiduo metu retinere & occaſionibus invigilare poterat. Ad ærarium militare conſtituendum petiit ab Ordinibus ſingularum provinciarum, ut ſemel Centeſimam omnium bonorum ſuorum; venditarum autem rerum immobilium vigeſimam, mobilium decimam partem, quoties venderentur, Regi præſtarent. Apparebat Albanum non adhuibuiſſe peritos artis exactoriæ & tributoriæ, quales Italia tum jam produxerat & Galli adhibuerant. Si paulatim & per gradus iviſſet, facile ad eundem ſcopum ſummamque perveniſſet: Hæc ejus ratio erat ſtolida & in gente mercatoriâ nullam facultatem habebat. Sicut manifeſtum eſt, eum graviter in iſtoc articulo impegiſſe, ita in hoc peccavit, quod nullam portuum reique maritimæ rationem habebat; ſi enim modicam habuiſſet claſſem, nihil humanitus ei nocere poterat, ut Vigliusaliique non deſiterant utrumque monere: ſed fruſtra. Ordines plerique in decimam conſentire nolebant; Bruxellenſes officinas clauſerant & nihil vendere quam decimam ſolvere malebant. Conſtans opinio eſt, eum decreviſſe ab urbe primariâ initium facere, ſuppliciis aliquot mercatorum, quorum metu reliqui ad ſolvendum adigerentur; quando ſubitus rumor inceſſit, *Brielam*

 extre-

extremæ Hollandiæ oppidum eſſe captam à *Guilielmo* Lymæo Comite *Markio*, duce Geuſiorum aquatilium, qui rogatu Albani ex Anglia exacti cum aliquot navibus in portum Brielanum delati urbem occuparunt, Kalend. *Aprilis* 1572,

CAP. XVI.

De bello Belgico à Brielâ captâ uſque ad fœdus Gandavenſe.

A *Briela* captâ, belli Belgici flamma continuo exarſit & duravit uſque ad inducias anni MDCVIII, etſi verum ejus initium ſit à primâ expeditione Principis Arauſionenſis anno 1568. Fuerat animus *Lumao*, ſpoliata Brielâ, cum ſuis diſcedere; Sed primo ventis adverſis, quibus in hunc portum nolens volens impactus fuerat, retardatus, mox urgentibus undique nuntiis de Fliſſinganorum & omnis fere Zeelandiæ, Hollandiæ, Gelriæque defectione temeritatem in ſpem vertit; maxime quod paulo poſt *Ludovicus Naſſavius* Montes Hannoniæ, felici ſtratagemate ceperat & *Arauſienſis*, qui civitates deficientes in fidem acceptas ducibus & conſiliis fovebat, cum exercitu non minore quam ante quadriennium duxerat, ſuperato Mosâ captâque Ruremundâ *Albano* Montes obſidenti imminebat. Scilicet, hi fructus erant favoris, quo Rex Galliæ *Carolus IX.* cauſam exſulum Belgicorum ſublevabat, tam validâ ſimulatione, ut *Albanus* ipſe rem ſerio agi ſuſpicatus Hollandis Zeelandiſque

que tantiſper omiſſis, omnes vires ad recuperandos Montes Gallis vicinos intenderet. Sed fraude *Caroli* Regis Lanienâ Pariſienſi detectâ, Belgarum ſpes pulcherrimæ ad ſummas anguſtias & extremæ ruinæ metum reciderunt. Gelricæ Friſicæque civitates, quarum aliquæ ſe partibus adjunxerant, continuo ad officium, ſine magnâ clade, redierunt, exceptis Zutfanienſibus, qui diutius cunctati cædis & prædæ cauſam Hiſpanis præbuerunt.

2. Arauſionenſis interim in Hollandiam, exercitu dimiſſo, cum paucis copiis abditus, ſuum corpus ruinæ ſupponens, civibus inculcabat, unicam in deſperatione ſpem reponendam. In quâ ſententia firmati ſunt clade Naerdenſium, qui primo cunctati, mox urbem dediderant, ac in templo, juſſu *Frederici*, Albani filii congregati, valvis ſubito apertis, omnes promiſcuè, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine, tam ibi, quam per urbem crudeliter avareque direpti, interfecti ſunt. Quæ res ita animavit Harlemenſes, ut non habitâ ratione imbecillitatis inopiæque multarum rerum, vim ſuſtinere decreverint: Et ſuſtinuerunt ad VII. menſes, non minus ſuæ fortitudinis quam hoſtilis imperitiæ in poliorceticis argumento: donec ad deditionem coacti pœnas immanes conſtantiæ dederunt. Alcmarienſes obſidionem per quatuor menſes fortiter ſuſtinuerunt adverſus XXVI. hoſtium millia, ipſi exiguo adjuti præſidio. Quæ res Hiſpanicæ terrorem potentiæ vehementer imminuit, magiſque adhuc

 cla-

clades eorum navalis (hac parte virium ubique erant inferiores Hiſpani) haud procul *Horna* mari Friſico, duce *Maximiliano Boſſuvio*, qui captus eſt, accepta: Quæ res geſtæ ſunt anno 1573. Reliqua ſucceſſori ſuo *Ludovico Requeſenio* Albanus componenda vel ſubigenda relinquens, ſub finem ejuſdem anni deceſſit in Hiſpaniam, dirâ ſui memoriâ Belgis relictâ; honorifice contra vulgi expectationem à Rege receptus; etſi dein aliâ occaſione in vinculis aliquandiu habitus; donec Luſitaniæ occupandæ poſtremo Dux electus felici exitu vitam clauſit.

3 *Requeſenius* manſueti vir ingenii, neque bello inglorius, ad res utrovis modo, poſt experimentum ſævitiæ infauſtum, reſtituendas, ſelectus à Rege, brevi nihil ſe clementiæ oſtentatione profecturum animadvertit. Ergo ad rem navalem, quâ Batavi Zeelandique prævalebant, converſo ſtudio, *Medioburgi* obſidionem claſſe deductâ ſolvere conatus eſt: ſed victus aliquoties, fœderatis deditionem ejus urbis impedire non potuit, factam menſe Februario anni 1574. Terreſtri bello meliores Hiſpani, *Davila* Duce, *Ludovicum Naſſavium* cum novo ad fratrem exercitu properantem, apud *Movicam* pagum haud procul *Neomago*, nequaquam pro tanti Ducis vigilantiâ, ſolutis ordinibus deprehenſum copiis vitâque exuerunt, unà cum fratre *Henrico* & *Chriſtophoro* Electoris Palatini filio. Quæ res Hiſpanos Leidam obſidentes mirificè recreavit; Et tamen hanc civitatem, agris inundatis, non ſine mirificâ Dei ad-

adminiſtratione deſeruerunt. ſub finem *Octobris* 1574 annoque ſequenti jus ſedemque Academiæ *Leidenſes* acceperunt.

4. Sequens annus à parte Hiſpanorum, ſtipendiis militum non ſolutis, ſeditionibus, populationibus agrorum urbiumque, nominatim Antwerpiæ, tranſactus eſt; à parte Batavorum deliberationibus, cui ſe domino, quando Hiſpanus non placebat, traderent, Anglis recuſantibus: Tentata deinde pax à Maximiliano Imperatore, conventu Bredæ acto; Sed nihil actum, inde ſuperbiâ hinc diffidentiâ. Hollandiæ Zeelandiæque miſerrimus erat ſtatus. Amſtelodamo Hiſpanis addicto, ab iiſdem inſeſſo; Ziriczæa nuper etiam captâ: Mercatura pacis amans perire, agri urbeſque vaſtari: Nec ulla ſupremi interitus mora, niſi ab hoſtium difficultate pecuniaria. Mox alia mota eſt machina; *Requeſenius* die v *Martii* Bruxellis mortem obiit repentinam, anno 1576. Cumque nullum Succeſſorem, quam poteſtatem à Rege acceperat, ſubitâ vi morbi nominaſſet; Senatus regius adminiſtrationem ſuſcepit; Idque Rex approbavit; ſuadente *Joachimo Hoppero* Friſio Secretis in Hiſpaniâ Belgicis admoto; qui vaticinatus exitum, qualem vidimus, *Albani* conſiliorum, opinionem apud Hiſpanos *ſapientiæ* acquiſiverat. Sed ipſius conſilio æque mox infelici reperto, ipſe quidem ex animi dolore mortem contraxit, heic omnia in tranſverſum acta mirificiſque turbis involuta ſunt: Unde poſt infinitam confuſionem, Dei

bonitate lux aliquando nova & Reſpublica notabilis educta eſt.

5. Hiſpano milite ſeditioſe paſſim agente ſibique ſolutionem crudeliſſimis civium exactionibus vindicante, Senatus illos Regis & Patriæ hoſtes judicavit; diſſentientibus, qui pulſis Hiſpanis, univerſam defectionem augurabantur. Nec tamen ita Senatus libertatis amatoribus ſatisfaciebat; Sed his ſuſpectus & militibus exoſus erat. Unde factum, ut *Glimeſius* Brabantiæ Prætor, paucis conſciis, patientibus cunctis, unâ peditum centuriâ ſtipatus omnes Senatores, effractis Curiæ foribus, carceri mancipaverit. Quæ res militum ſeditiones magis indies accendit, qui tandem omnes Antwerpiam coacti, illam denuo ex arce invaſêre prælioque commiſſo ceperunt & ferro, flammâ, ſanguine, ſtupris, prædationibus omnia miſcuere *die* v. *Novembris* 1576. deſideratis civium militumque octo vel decem millibus.

6. His malis perculſi Ordines nullum promptius remedium, quam cum Hollandis Zeelandiſque & eorum ſociis inire fœdus, invenerunt, quod *Gandavi* ſancitum, hac ſumma; Placere tolli offenſiones hoſtiles, coli pacem inter omnes Provincias, Jungendas eſſe vires ad expellendos Hiſpanos, Religionis cultum in *ſtatu* manſurum, *quo* tunc ubiviseſſet, *die* VIII. *Novembr.* 1576. Hac re Hollandi Zeelandique plurimum allevati; concordia inter nationes, ut ſequentia docebunt, ſtabilita non fuit.

CAP.

CAP. XVII.

De rebus Belgicis à pace Gandavenſi, uſque ad Unionem Ultrajectinam.

QUo tempore pax Gandavenſis inter Belgarum populos ſancita fuit, *Johannes* Auſtriacus Philippi frater naturalis, accurrit ad excipiendam Hiſpanici in Belgis imperii ruinam. Et fœdus recens frangi non poſſe videns probare videri voluit, Hiſpanos inexpiabili odio gravatos Mediolanum ablegavit, multiſque blanditiis eo rem perduxit, ut ante exitum ejuſdem anni, quaſi Regius Gubernator, Bruxellis reciperetur. Sed cum precario nollet eſſe contentus imperio, dedit operam, ut Germanorum militum Duces ſibi addictos, perque illos præcipuas urbes in poteſtate haberet; novis interim cohortibus clam conductis & Hiſpanis è Lombardiâ revocatis. Tunc ipſe quidem ab arce Namurcenſi, ex inſidiis occupatâ fecit initium; at in reliquis urbibus deſtinata conſilia non habuerunt exitum, manipularibus Germanis Duces ſuos *Johanni* devotos in Ordinum poteſtatem tradentibus. Quo tempore Caſpar de *Robles* Billius, Friſiæ & Groningæ Præfectus, vir ſtrenuus, prudens & Regi fidus à militibus ſuis per ſeditionem Groningæ captus locum fecit Georgio Comiti *Rennebergio*, cum imperio ab Ordinibus in Friſiam, Tranſiſalaniam & Groningam miſſo, contra *Johannem Auſtriacum*.

2. Jam

2. Jam quidem omnes erant pro Libertate, ſed nullo auctore, quem concordes ſequerentur. Erant duæ factiones, Optimatium & plebejorum. Hi volebant *Wilhelmum Arauſionenſem*, qui adhuc in Batavis Zeelandisque ſuis latebat, & pervicerunt, ut Bruxellas vocatus, Brabantiæ Protector, *Ruartum* vocant, crearetur. Optimatium factio, quibus ſe Eccleſiaſtici, religionis cauſa, jungebant, quorumque multi ſe nulla re *Arauſionenſi* deteriores putabant; duas illi machinas oppoſuere. Nam & *Areſchotium* ducem, Flandriæ Rectorem creatum ipſi æquaverunt, & *Matthiam* Rudolphi Imperatoris fratrem, qui Regis nomine Gubernator omnis Belgicæ foret, Viennâ clàm, meritoriâ rhedâ propere vectum exciverunt. *Wilhelmus* utramque machinam ſummâ induſtria excepit, alteram removendo & pro ſe vertendo alteram. Nam *Areſchotius* à plebejorum factione non ignaro Wilhelmo, Ducibus *Ryhovio* & *Embyſio*, Gandavi captus & in cuſtodia, quaſi cum Auſtriaco faceret, habitus eſt. *Matthiam*, quem plebeji domum eſſe remittendum muſſitabant, ſibi conciliavit, juvenem flexilis ingenii, ſub cujus illuſtri umbra ipſe latere, vimque omnem ac poteſtatem Legati titulo, quem accepit, exercere poterat; priores vero poſſeſſiones ſuas, quæ interim à malis ſuis reſpirabant, *Hollandiam, Zeelandiam, Friſiam, Ultrajectum*, mox & Gelriam, cui *Johannem* fratrem præfecit, independenter à Matthia retinebat, hæc ſub exitum anni 1577.

3. Ha-

3. Hactenus conſilia, quibus *Wilhelmus* magis quam armorum ducatu valebat. Sed initio ſequentis anni *Johannes Auſtriacus* hoſtis declaratus fœderatorum copias apud *Gemblourium* negligenter agentes gravi clade contudit. Quod cum imperii incertitudine factum Ordines viderent, ita decreverunt; Sexcenta millia florenorum ſingulis menſibus ipſi in ærarium conferrent; hujus libera in uſum belli adminiſtratio *Matthiæ*, *Wilhelmo* & Senatui committeretur. Hoc erat tempus, quo ſi *Wilhelmus* Arauſionenſis acer in armis erat & milites, æque ac cives, regere & circumagere poterat, ſuas & Ordinum res ſtabilire potuiſſet. Sed hujus bellici vigoris & unionis inde dependentis defectu, ad exteros confugiendum fuit. Nam *Franciſcus* Andium Dux, Galliæ regis frater, cum valido exercitu finibus Belgicis appropinquabat & Hiſpanos à fœderatis notabiliter avertebat; qua re *Defenſoris Belgicæ Libertatis* honore ab Ordinibus eſt adfectus. *Elizabeth* Angla ſuſpectam habens Gallorum hac parte potentiam, auctor fuit, ut *Johannes Caſimirus* Princeps Palatinus, cum Germanicis copiis conduceretur, eumque in uſum decies centena millia florenorum mutuo dedit *Ordinibus, pro ſervitio Regis Catholici & pro conſervatione Provinciarum in ejus obedientia*, ut erant verba inſtrumenti obligatorii; Sic enim omnes domi foriſque *Philippo* illudebant. Interim ejuſmodi conditiones ipſa ſuis auxiliis pepigit, ut Ordines ſine ejus conſenſu nihil magnæ rei,

pace

pace belloque agerent, nullum fœdus ſine ſuo conſenſu inirent, omnes lites ſuo arbitratu componerent; Quæ res etſi quo tenderent, facile apparebat, Anglos tamen milites, ne ſcena nimis pateret, de *Caſimiri* erga ſe obſervantiâ certa, nullos miſit; proteſtata ſæpius, etſi nemo illam incuſaret, ſe Belgarum imperium minimè adfectare.

4. Caſimirus cum IV equitum & V. millibus peditum conductus, cum ejus numeri duplum, Reginâ ſine dubio ita volente, adduxiſſet, res magis difficultate pecuniariâ & ſuſpicionibus inteſtinis implicuit, quam numero promovit. Ordines, maxima pars adhuc Pontificii, diffidentes illi, ut ardenti Reformato, *Boſſuvium* Comitem ſummo ſuorum militum imperio præfecerant, aliâque parte *Alenzonius* ſe Catholicis venditans multos colligebat fautores, quem Caſimiri Conſiliarius *Petrus Peutericus JCtus*, virulento libello edito, in odium Belgarum adducere ſtudebat. Ipſe Caſimirus à Gandavenſibus, qui Pontificia ſacra penitus in urbe agroque ſuſtulerant, arceſſitus urbem illam ſuo præſidio ſine Ordinum & Arauſionenſis conſenſu occupabat & Comitatum Flandriæ ſibi moliebatur, ambitioſus apud plebem & concionatores, qui præeunte *Petro Datheno*, caput illud fœderis Gandavenſis, quo utraque Religio permittebatur, impium & *Wilhelmum* illud obſervari cupientem *Atheum* declarabant. Qui tamen ipſe Gandavum profectus, Caſimiri, brevi in Angliam ac

inde

inde in Germaniam regreſſi male coƈta quidem conſilia diſcuſſit; diſcordias vero tollere non potuit: Catholici enim fœdus Gandavenſe ruptum querentes, tertiam factionem inter Hiſpanos & Ordines *Male Contentorum* formarunt ſedemque belli *Meenam* in Flandria elegerunt, quo factum, ut Belgica trium generum exercitibus dilaceraretur. Quibus turbis uſuvenit, ut *Ordines* exercitum alentes XIV M. equitum & XXX M. peditum nihil ad belli ſummam agerent; neque plus *Johannes Auſtriacus*, qui à Rege fratre, quod ambitioſa conſilia, Principatum Belgarum ipſi ab Arauſienſe oblatum & Angliæ bellum aut matrimonium agitare credebatur, deſtitutus: & miniſtro à ſecretis fidiſſimo Joh. Eſcovedo juſſu regis interfecto privatus *Kal. Oct.* ex animi dolore vitam cum morte commutavit anno 1578. quo etiam tempore Dux *Alenzonius* operam ſuam male penſatam queſtus, in Galliam ſe recepit.

5. Hoc ſuum tempus egregie obſervavit *Alexander Farneſius*, Parmæ & Placentiæ Princeps, Philippi ex ſorore *Margaritâ*, quam habuimus, nepos, Belgarum rebus Johannis Auſtriaci loco præpoſitus, capto ſtatim ab ingreſſu anni 1579. *Trajectu Moſæ.* Sed plus arte perfecit, animadverſo, fœderatorum Proceres invidere Arauſionenſi, Catholicos & Reformatos inter ſe infeſtos eſſe; Re cum præcipuis compoſitâ, duas integras gentes Hannoniam & Arteſiam, Inſulas in Flandria, Sylvam ducum

in Brabantiâ renuntiantes fœderi Gandavenſi, ſibi conjunxit; quibus acceſſit, aliquandiu poſtea *Rennebergius* Friſiæ, Tranſiſalaniæ & Groningenſium præfectus; ardentiſſimus antea partium ſtudio; qui ſe jam fœderi unionis Ultrajectinæ, de quo mox agemus, adjunxerat. Verum tamen præter *Groningam* nihil magnopere Parmenſi conciliare potuit, Arauſionenſi hac gratia Campos uſque, ne latius ſerperet malum, progreſſo, & Friſii captis atque dejectis arcibus, Pontificia ſacra ubique aboleverunt, menſe Februario 1580. Rennebergius obſeſſo incaſſum Stenovico, non diu ſuæ perfidiæ ſuperſtes fuit, mortuus dolore, ut ajunt, pœnitentiæ apud Groningam, Vir alioqui doctus & generoſus ſuorum magis quam ſuo abreptus conſilio.

6. Hæ confuſiones in cauſa fuere Fœderis, quo *Wilhelmus* ſuos veteres populos arctius abſque præjudicio fœderis Gandavenſis conjungendos putavit, quod initum eſt Ultrajecti, unde nomen habet *Unionis Ultrajectinæ* & ſignatum die XXIII *Jannuarii* 1579. Cujus ſumma hæc eſt; *Unio provinciarum perpetua cum prohibitis alienatione & ſeparatione; perinde ac ſi una eſſent Reſpublica; ſalvis cujuſque juribus & prilegiis; ſine ulla poteſtate unius in aliam, ſed controverſiis ordinaria viâ vel per arbitros componendis art.* 1 *&* 16. *Mutuum auxilium contra omnes art.* 2. 3. 4. *Exactio tributorum & vectigalium per omnes populos æquabilis.* 5. 6. *Nec unquam in alterius præjudicium*, 18. *Receptio præſidiorum, ſub jureju-*

jurejurando ſingulis locorum magiſtratibus præſtando. 7. *Neceſſitas militandi omnibus impoſita ab anno* 18 *ad annum* 60. 8. *Pluralitas ſuffragiorum valitura, exceptis belli, pacis aut fœderum & contributionum cauſis.* 9. *Singulis fœderatis non licere fœdus inire ſeorſim.* 10. *Plures verò in hanc unionem recipi poſſe.* 11. *Valor monetæ ex decreto communi.* 12. *Libertas religionis pro cujuſque Provinciæ arbitrio.* 13. Libertas recedendi è monaſteriis atque ordinibus ſacris aut in iis remanendi, *cum alimentis ad vitam duraturis.* 14. 15. *Si qua Provincia neget juſtitiam ſuis vel exteris, reliquarum ſit inſpectio & emendatio.* 17. *Si cujus Provinciæ Legati abſint, præſentes omnia quæ ad unionem pertinent, adminiſtraturos, iiſque abſentes etiam obligatum iri.* 19. Reliqua minoris momenti omittimus. Subſcripſere Gelri & Zutphanienſes, Hollandi, Friſii, Ultrajectini, Tranſiſalani, Groningenſes; Friſii poſt Ultrajectinos, ac ita locum deinceps in publicis obtinuerunt; etſi antea Friſii præceſſerant; quod uſu venit, quia non pariter, ſed per partes nec ſine præviâ contentione adfluxerant. Præcipuæ quoque civitates Brabantiæ & Flandriæ ſeſe eidem fœderi conjunxerunt: repudiatâ pace, quam Legatus Cæſaris, Comes *Swartſenburgicus* apud *Coloniam* indicto conventu, conficere ſtudebat, irrito ſucceſſu, quando nihil de religione remittebatur; multo minus *Arauſionenſis* conditionibus ampliſſimis, ſi res ſuas ab Ordinibus ſejungere voluiſſet, auſcultavit.

CAP. XVIII.

De rebus in Belgio geſtis à tempore initæ Unionis Ultrajectinæ, uſque ad mortem Wilhelmi Arauſionenſis.

SI Fœdera & uniones juratæ veram animis concordiam & juſtum rebus adminiſtrandis ordinem dare potuiſſent, Fœderatorum res minime tam deſperatæ erant, ut libertatem ſuam nullo modo tueri potuiſſent. Diſcordia & confuſio omnium rerum fecit, ut Ordines ita exiſtimarent; eò ſe eſſe redactos, ut aut veteri aut novo Domino ſubjicere ſe cogerentur. A vetere nihil æque eòs avertebat, quam deſperatio veniæ & Religio, de quâ nihil quam liberum è Patria diſceſſum, impetrare poterant. Ergo ad *Franciſcum* Andegavenſem relapſi, illum Brabantiæ Ducem, Flandriæ Comitem, reliquarumque nationum Principem, certis conditionibus adſciverunt, tractatu ſignato *die* XXIX *Sept.* 1580. Cui tamen Hollandiæ & Zeelandiæ Legati non prius ſubſcripſere, quam Dux ipſis proprio chirographo caviſſet, ſe illas Provincias relinquere Principi Arauſionenſi; cui non ita pridem Ordines illorum populorum Summam in ſe poteſtatem, ſive jus *Superioritatis*, abſque titulo Comitatus, detulerant: Ita ut Andegavenſis hac parte nihil quam nomen & externam demonſtrationem habiturus eſſet. His rebus intellectis, ArchiDux *Matthias*, qui ſuum nomen adhuc partibus commodaverat, accepto commeatu,

meatu, ab Ordinibus honeſtè dimiſſus, non diſceſſit tamen ante menſem *Octobrem* 1581.

2. Specimen novi Ducis fuit, *Cameraci*, quod Hiſpanus obſederat, liberatio & Caſtri Cameracenſis occupatio, menſe *Auguſto* 1581; quibus peractis, in Angliam ad nuptias, ut credebatur, Elizabethes profectus, ac inde re infectâ digreſſus, menſe *Febr.* 1582. venit Antwerpiam; poſtquam Ordines Edicto ſuo *die* XXVI. *Julii* 1581. Regem *Philippum* ipſo jure commiſiſſe *imperium*, *Principatum & juriſdictionem ſuam in populos Belgicos*, *qui poſt hac ei nulla ſubjectorum officia debituri*, *præſtituri eſſent*, declaraverant. Ratione redditâ, quod cum Rex multa contra leges & privilegia, quibus obſervandis jurejurando obſtrictus erat, feciſſet vel fieri juſſiſſet, quæ res prolixè recenſentur, nullis tamen precibus aut interceſſionibus flecti potuiſſet ac ita *præfractæ tyrannidis* reum ſe feciſſet. Juxta hoc decretum *Hagæ Comitis* factum, Magiſtratus & Judices per omnem Belgicam jurejurando renuntiare Philippo Regi ſeque inimicos ei fore coacti ſunt promittere. Quod non eſt mirum, à multis aut recuſatum aut ægre fuiſſe præſtitum: quo pertinet exemplum memorabile *Fecconis Rhalæ*, Senatoris Supremæ Friſiorum Curiæ, Viri moderata ſemper conſilia ſequuti, libertatem amantis neque regem averſantis. Cui cum regii nominis deteſtatio, à Senatu quamdiu poterat dilata, nec tum ſine indignatione quorundam præſtita, in ſolenni Conventu proponeretur, *Rhala*

è ſtatu ſanitatis *eodem momento* in repentinam mortem conceſſit, Nonis *Decembris* 1581. Quo tamen notabili caſu alium quenquam non eſt memoriæ proditum fuiſſe deterritum.

3. *Andegavenſis* inauguratus & juratus Princeps Belgarum, veniens è regno arbitrariæ poteſtatis & ejuſmodi cônſiliariis cinctus, Legitimi conſuetudine imperii & nimiâ *Wilhelmi* Principis Ordinumque auctoritate offenſus, perſuaderi ſibi paſſus eſt, nihil eſſe potius, quàm ut præcipuis civitatibus in poteſtatem redactis Principem non precario ſed vi ſolida ſubnixus ageret. Quare in principio anni 1583. exercitus Luſtrandi prætextu juxta alias urbes *Antwerpiam* ipſo meridie invaſit & jam occupabat; quando à civibus inſidiarum ſuſpicione præparatis, cum cæde mille quingentorum, magna parte Nobilium, repulſus brevi poſtea dedecoris plenus in Galliam reverſus eſt, ubi ſequentis anni menſe Majo ex hac vita deceſſit.

4. Interea temporis, Fœderatorum res magnis paſſibus retro cedebant, *Dunkerka*, *Mena*, *Dixmuda*, *Neoportus*, *Ipra*, *Bruga*, *cum Dammona* Parmenſi traduntur, & hæ quidem ultimæ proditione *præfecti ſui Principis Chimæi.* Dein Zutphania à Præfecto *Wilhelmo* Comite Montano Arauſionenſis adfine neglecta an prodita; ipſo brevi poſtea tranſeunte ad Hiſpanos. Friſiæ res adverſus Groninganos difficulter tuebatur *Bernardus Merodius*, Wilhelmi *Arauſionenſis* Legatus, ab hoſte foris, domi Ordinum diſſen-

ſione

ſione vexatus. Ideo ſenectute gravis & tot malis impar locum *Wilhelmo Ludovico* Arauſionenſis ex fratre nepoti, magnæ ſpei juveni ceſſit.

5. Tanta mala ſolus *Wilhelmus* prudentiâ & conſtantiâ ſuſtinebat, fere jam redactus ad ſeptem Ultrajectini fœderis ſocias gentes, poſtquam è Brabantiâ, cujus ruinam non poſſe præverti videbat, ipſe jam quoque Gallicarum ſtudio partium ſuſpectus, ſedem ſuam in Hollandiam tranſtulerat. Tantum enim perfidia Andegavenſis odii in populis excitaverat, ut ne quidem neceſſitati, quando nullum aliud præſidium uſquam apparebat, cedere vellent; ipſumque erga *Wilhelmum* ſuum, qui reconciliationem Gallicam ſuaderet, minus æquos ſe præberent. Ideo cum ſimulatione Comitiorum Medioburgi habendorum eò ſe contuliſſet, poſtea Delphos habitatum conceſſit, ibi ſe tutiorem ratus futurum, in medio gentis ſibi addictiſſimæ, cui ſine exceptione fidere poſſet; ſecus ac Antwerpiæ, ubi jam *Menſe Martio anni* 1582. à ſervo cujuſdam mercatoris, præmio quod Hiſpaniæ Rex in caput Arauſionenſis Edicto proſcripſerat invitati, *ſclopeto* in gutture vulneratus & ægrè ſanatus erat: Quanquam ne Delphis quidem fato ſe ſubducere potuit.

6. Sperabat, ſe Hollandiam vicinaſque Provincias ſitu naturali, concordiâ pertinaciaque populi; denique, propriis externiſque ſubſidiis ſervaturum, & Principatum ſibi non ignobilem in hoc angulo parabat, initium ab Hollandiâ

factus, quæ co'lato pridem in eum *jure ſuperioritatis* quod vocant, Comitis honorem titulumque, poſt Alenzonii exceſſum, parata erat addere. Sed hoc conſilium intercepit manus nefaria parricidæ, hominis Burgundi, Balthaſaris Gerardi, qui mirificè durato ad facinus animo, Principem in urbe ſibi devota, prodeuntem è triclinio, ubi pranſus erat, & ſcalas conſcenſurum, ſclopeto, duplici plombo onerato, trajecit, ita ut globi ſiniſtrum latus ingreſſi per dextrum in parietem incuterentur; quo adhuc, in veſtibulo monaſterii *S. Agathæ*, nunc in hoſpitale converſi, globulorum veſtigia, cum inſcriptione factum & tempus indicante ſervantur. Prolocutus hæc verba, *Miſerere Deus hujus populi*, & rogatus à ſorore nunquid animam Chriſto commendaret, *Ita*, nec amplius quicquam locutus expiravit *d*. x. *Jul*. 1584. Parricida non minore pertinacia ſupplicium dirum ſuſtinuit quam facinus perpetraverat. Princeps annum ætatis LII. fere impleverat, corpore valido, mente validiore, memoria judicioque excellente; de prudentia cæteriſque virtutibus res geſtæ aliique ſcriptores loquuntur. Comis, jocoſus & flectendi homines artifex, non copiâ ſed efficaciâ verborum, & ardente geſtu magis quam facundiâ & blanditiis, fiduciâ recti libere ſemper agens & quod res erat ſuadens. Rei militaris ſatis peritus, ſed tractandis armis imperioque militari nunquam deditus; Quæ facultas ad magna nitenti notabiliter defuit. Fructus laborum ſuorum ipſe nullos,

los percepit, damnis odioque mulctatus, dum vixit, ſed luculentos ad heredes filios tranſmiſit, quos ipſe fecit magnos & hi memoriam illius illuſtrem reddidere. Tres reliquit, *Philippum* ex unica *Maximiliani* Comitis Burani filia, quem Hiſpani Lovanio abductum & ſuo more educatum fecere ſuum. *Mauritium* ex *Anna* Saxonicâ *Mauritii* Electoris filiâ; quæ ob aſperitatem morum ab illo divertit; & *Henricum Fridericum*, ex *Aloyſiâ Coliniacâ* magni illius Franciæ *Admiralii* filiâ, & *Telignii* viduâ. uterque dignus tanto Patre filius, qui effigiem operis ab illo delineati ſuis virtutibus impleverunt. *Filias reliquit plures ſuis locis memorandas.*

CAP. XIX.

De rebus Belgicis à morte Wilhelmi Arauſienſis ad exitum anni 1588.

HIſpani, *Wilhelmo* ſublato, factionem ſupra tot improſperos ſucceſſus, Ducis interitu vacillantem ſummâ vi impellere & dejicere conati, *Antwerpiam* Caput *Belgarum* id temporis habitam, ſimulque *Bruxellam* & *Gandavum* non oppugnando, cui impares erant, ſed èlonginquo obſidendo, ad deditionem modicis exercitibus cogere inſtituerunt. Quæ res admirabili *Parmenſis* induſtriâ non minus quam felicitate proceſſit, dum *fœderatis nemo qui ſummæ rei curam haberet*, præſidebat. Gandavenſes *ſe menſe Septembri ejuſdem anni*, *Martio menſe* ſequentis anni *Bruxellen-*

ellenſes, dedidere, quos paucis antea diebus *Neomagenſes* in *Gelriâ* præceſſerant. Sequuti *Mechlinienſes* in *Julio*, & in *Auguſto Antwerpienſes*; in quorum obſidione quicquid ars & audacia, terræ, aquarum, ignis & ventorum favore, furore, comminiſci potuit, ad oppugnandum tuendumque certatim adhibitum, poſtremo in obſeſſos verſum, *Parmenſis* gloriam ſupra hujus temporis Duces extulit; qui reliquas civitates, quas adhuc armis non poterat, epiſtolis ad gratiam reconciliandam hortabatur; *quando in Antwerpia ſummam rei Belgicæ omnes ſitam arbitrabantur.*

2. Etſi autem hac viâ parum proficiebat, nihil tamen *poſt quinque maximas Civitates*, præter alias minores, uno anno ſabactas, arduum videbatur, & *fœderati* rebus ſuis deſperatis, ambiebant, à quibus in tutelam & ditionem acciperentur, *Galliæ Regem* primo, qui numeroſa Legatione aditus & oratus abnuit imperium: Idem mox *Angla* rogata recuſavit; *Tanta deſperatio animos & Belgarum & omnium exterorum occupaverat!* Auxilium tamen *Angla*, *quod non ſine ſummo periculo ſuo Hiſpanos Hollandia Zelandiáque potituros intelligebat* promiſit, *quinque millia peditum* & *equites mille*, pignori pro ſolutione ſuppoſitis, *Fliſſingâ*, *Briela* & *Rameken*ſi caſtello, locis & ſibi opportunis & maximi Belgis momenti. Dux hujus auxilii *Robertus Dudleus Leiceſtriæ* Comes appulit in *Zelandiam*, menſe *Decembri ejuſdem anni* 1585. Ubi inter alios eum ſalutavit *Wilhelmus*

mus Ludovicus, *Friſiæ* Gubernator; quo abſente, *Hiſpani* per hyemem, *Taxi* duce, congelatis paludibus, *Friſiam* invaſere, duo millia militum ſub *Stenone Malteſio* Dano, qui imprudentius conſuluerat, in pago *Boxum* prope Leovardiam cæciderunt, omnemque in poteſtate provinciam habebant; niſi Deus immiſsâ pluvia, quaſi ex machinâ ſuccurriſſet, *hoſtibus e regione paludoſa tanquam victis fugatiſque recedentibus.*

3. Dici non poteſt, quantâ *Leiceſtrius* gratulatione gaudioque ab omnium ordinum hominibus ſit exceptus, ut, quanquam auxiliarium duntaxat militum Dux erat, continuo *Gubernator Generalis* cum majore poteſtate quam fuerant alias & quam poſtea fuere Gubernatores, ſit conſtitutus; datâ inter alia ipſi facultate, dimidiam partem *Conſilii Status*, quod tunc unicum rebus Foederatorum univerſis perpetuo præſidebat, ſuo arbitratu conſtituendi, reliquos è duplici numero nominatorum eligendi; Addito, Adſeſſores ejus conſilii nil niſi *conſiliarios* fore, utpote *quorum ſententias ſequi non teneretur*. Quibus rebus ipſa Regina non fictè offenſa, de *Ordinibus* queſta, *Leiceſtrium* increpuit, quod cum illa jus Imperii recuſaſſet, ipſeprincipatum ſibi formare videretur: cujus plane conatus viam, ille, ſicut in liberis populis fieri ſolet, audacter inſiſtere viſus eſt. Ea res ita ſe habuit;

4. Mors *Arauſionenſis*, cujus auctoritas omnia in Hollandiâ viciniſque populis compacta tenuerat, Rempublicam, ut erat, in ſitu naturali ſuo

detexit; quem patuit eſſe talem, *ut in eâ tres factiones viverent ac inter ſe committerentur, colliſione plus minus duraturâ, dum vivet Reſpublica; niſi quando unius ad breve prævalens auctoritas, reliquas operuit potius quam extinxit*; exceptâ etiam *unâ & alterâ natione, in quibus hæc oppoſitio minus evidens fuit*. Partes illæ fuere, *Gubernatoris*, *Optimatium & Plebis*, in quarum priore militares & qui inter Optimates erant inferiores; in ultimâ fuere Concionatores, *exceptis Novatoribus, qui ſemper Optimatibus addicti & protecti fuerunt*. Optimates in his partibus non erant illuſtres, cujuſmodi in *Brabantiâ, Arteſiâ, Hannoniâ*; ſed origine plebeji opibus ingenioque, non hereditario, ſed electivo jure Reip. regendæ compotes facti. Operam quoque dederat *Arauſienſis*, ut Ariſtocratia, ſicubi ſtrictior eſſet, laxior & populari ſimilis fieret: unde pro ſex urbibus in Hollandia Novendecim Imperii participes factæ, cum Nobiles pariter unum ſuffragium valeant. In *Friſia*, ubi Nobilitas tenet agros, & ubi Urbes, in quibus fere plebs eſt, olim à regimine prope erant excluſæ, id actum, *ut pars ſaltem quarta juris publici civitatibus vindicaretur*, quæ & ibi *cum Gubernatore* dein arctiſſimè conjunctæ fuerunt.

5. Nempe, contra Optimates, *quorum erat Authenticum jus Reipubl.* prior & poſterior fere ſemper conjunctæ fuere partes, eamque conjunctionem *Leiceſtrius* imprimis curæ habuit, obtrectando optimatibus, & concionatores plebeſque *ſpecie religionis* ſibi conciliando. Quâ in re multum ei profuit, quod Optimates *diſciplinæ Eccleſiaſticæ* fe-

ſere adverſabantur & *Conſiſtoria* ſibi adverſa reputantes, quantum poterant, *cohibere gaudebant.* Quorum patroni viciſſim plebi inculcabant, *jus ſupremum non eſſe penes Proceres*, *ſed penes populum*, cui iſti rationem reddere cogerentur. Contra quam ſententiam Ordines Hollandiæ decretum ſive diſputationem publicam ediderunt *d.* 16. *Octobris* 1587.

6. His rebus interim factum, ut omnibus non modo foris ab hoſte infeſtis, ſed intus etiam diffidentiæ rixarumque plenis, nihil in rem communem ſalutare conſuleretur, *Sluſâ* urbe, quam Parmenſis obſederat, neglectâ, *Daventria* & *Zutfaniæ* caſtello proditione *Stanlæi* & *Jorkii* Anglorum, quos *Leiceſtrius* illis locis præfecerat, hoſti traditis; ſed inſidiæ quoque civitatibus Hollandiæ occupandis, nominatim *Dordraco Leidæque* factæ ſunt, ubi proditores quidam capite & *Hugo Donellus Juris Anteceſſor* exilio mulctati ſunt. In *Friſia* quoque his artibus uſi ſunt, ubi *Curia*, quæ publici & privati juris adminiſtrationem, ſub Ducibus Saxoniæ, Carolo Cæſare, Philippo Rege, juxta Gubernatorem habuerat, nunc in ordinem redacta nihil quam juſtitiæ civilis & criminalis poteſtatem retinuerat. *Heſſelus Ayſma* Curiæ Præſes, cum Leiceſtrianis conſpirans, validam in diverſis partibus factionem concitaverat, cui fovendæ *Leiceſtrius* ab *Ayſma* edoctus comitia *Franekeram* indixerat, literis ad ſingulas urbes & pagorum juriſdictiones, *prætérito Gubernatore*, *Legatiſque Ordinum*, penes quos eſt

jus Comitia calandi, ſcripſerat, ſuam pollicitus præſentiam; omnia democratice pro dominatione. Sed in Friſiâ validâ manu diſcuſſa ſunt illa conſilia, abrogato Ayſmæ præſidio, quod & ipſum ut regium inſtrumentum ſupprimi placuit, & *Leiceſtrius* tandem à *Regina* litium illarum certiore factâ, revocatus eſt in Angliam, ſub finem *anni* 1587. Cum paulo ante Ordines Generales perpetuas Seſſiones Hagæ Batavorum, quæ antea interruptæ fuerant, habere inſtituiſſent, *Conſilio Status*, in quo erant Gubernatores & Angliæ legati, Collegio Ordinum Generalium ſubordinato. *Mauritius* quoque Wilhelmi filius jam pridem Hollandiæ Gubernator, non ſine Leiceſtrii invidiâ conſtitutus, ab illius diſceſſu, reliquis etiam Foederatarum imperiis gentium, ſingularum non univerſarum præpoſitus eſt, exceptis Friſiis, qui ſuis rebus præfecere *Gulielmum Ludovicum Wilhelmi* ex fratre nepotem & generum; duxerat enim *Annam* ejus filiam, quæ brevi *ſine liberis obiit.*

7. Sed dum per haſce Leiceſtrii turbas rei quoque pecuniariæ minus conſuleretur, milites variis locis tumultuabantur, reſque erat in extremo periculo, ſi Parmenſi occaſione tam rarâ in mentem veniſſet uti. Sed Deus ita conſuluerat, ut is interim totus eſſet in apparatu expeditionis Anglicanæ, *cujus victoriæ foederati Belgæ acceſſio futuri præſumebantur.* Quod cum hi perinde exiſtimarent, operam dederunt, ne *Parmenſis* è *Flandriæ* portubus à ſe obſeſſis copias

pias ſuas educere poſſet. Quæ non ex minimis cauſa fuit abortus famoſæ illius expeditionis, de qua in Hiſpanicis & Anglicanis egimus: quando ſatis conſtat, ſi veteranus Parmenſis exercitus in Angliâ ſemel fuiſſet trajectus, rem longè maximi futuram fuiſſe diſcriminis. Leiceſtrius eodem anno *Londini* mortem obiit, cujus fortuna omni Anglia præcipua, non minus virtuti & prudentiæ, quam regio favori adſcripta fuiſſet, niſi *Belgico* regimini admotus, animi imprudentis, ambitioſi, adulationibus obnoxii, *Speciè magis quam valore virtutis præditi*, fidem feciſſet.

CAP. XX.

De Imperio Turcico.

ETſi magnus eſt è *Belgica* tranſitus in *Turciam*, ad ſequens tamen intervallum, Turcicis illibatis, pergere non licet. Extrema *Solimani* Imperatoris inritamque Melitenſis inſulæ oppugnationem habuimus in *Italicis:* A qua expeditione *Pialis* Præfectus, *Bacham* appellant, rediens Inſulam *Chium* ſub *Genuenſibus* proximè libertati agentem perfide in poteſtatem redegit *anno* 1566. quo anno ipſe in obſidione *Zigethi*, *Solimannus*, quemadmodum in *Hungaricis* retulimus, ex hac vitâ deceſſit, Succeſſore SELYMO filio, reliquis antea ſublatis filiis, ut *priori Sectione* vidimus.

2. Initiis imperii celebratis & juſtis Patri factis *Selymus* inducias Octennales cum *Maximiliano*

Im-

Imperatore fecit anno 1568. hac fere deſtinatione partium, *ut ſingulis octenniis renovarentur*. Summa conditionum fuit, *Quiſque uti poſſidebat ita poſſideret*; quod Maximiliani commodo ceſſit, propter notabiles progreſſus, quos *Lazari Schwendii* ductu trans *Danubium*, cis & ultra *Tibiſcum* noviſſimè fecerat.

3. Etſi autem militaris admodum, ut *Solimanus* fuerat, Selymi non erat animus, Imperii tamen genius diu quieſcere non poterat: Quin *Cypri inſulæ regnum Venetis ademerunt anno* 1570, ut jam in *Italicis*, quia Cyprus Venetiæ ditionis erat, diximus. Pervenerat ad hos à *Catharina Cornara*, Jacobi regis viduâ & filii ſui herede anno 1470. Is Jacobus vulgo *Rezages* dictus, erat filius nothus *Johannis Luſignani*, cujus *Carolotta* filia legitima primo nupta fuit *Johanni Luſitano*, dein ſecundis nuptiis *Ludovico Sabaudo* juncta, à Jacobo, *Mamaluchorum* auxiliis inſtructo pulſa erat *Cypro*, & *Jacobus* inde Suetano obnoxius vixit. Unde jus *Turcarum*, qui *Mamaluchis* à ſe devictis ſucceſſerant, item jus Sabaudicæ domus, quæ Regum Cypri titulum præ ſe fert, intelligitur. Veneti poſt *centum fere annorum poſſeſſionem*, Turcis, ut antea dictum, fecere locum. Sed paulo poſtea, cladem ad *Echinadas* maritimam accepere graviſſimam Turcæ, de quâ ſimiliter *in Italicis* dictum, & quidem hac *vires eorum maritimæ penitus conciderunt*, ut nunquam Chriſtianis hac parte virium comparare ſe potuerint. Tunetanum inter Hiſpanos & Turcas bellum retulimus in *Hiſpanicis*.

4. At

4. At *Selymus* vino & venere exhauſtus impletis octo plus minus imperii annis, febri contracta extinctus eſt anno 1574. Succeſſore AMURATHE III. filio, qui imperium à quinque impuberum fratrum, *quos ſe coram ſtrangulari juſſit*, nece, more *Othomannico* auſpicatus eſt. Deinde *belli Perſici* in multum poſt ſe temporis initium fecit, adverſus *Iſmaelem Sophum Tecmazis* filium, qui juniori fratri paucos dies rerum potito ſucceſſerat; ipſe adhuc junior prælatus erat *Muhameti Hodabendæ* primogenito Tecmaſis filio, cæteris, eo quod tranquillioris ingenii eſſet, poſtpoſito. Receperat *Iſmael* ſupplicem, *Curdum* Chaldææ Præfectum ab *Amurathe* proſcriptum; quam occaſionem hic belli *Perſis* inferendi cupidus arripuit, eoque per 15. annos magno ſucceſſu continuato, Caſbi etiam Regiâ Perſarum captâ, poſtremo tamen adverſis conflictatus pacem hac lege dedit, *ut quiſque utipoſſidebat, ita poſſideret*, quæ ratio luculentâ *Turcas* acceſſione in *Meſopotaniâ* locupletavit; ac ita hujus quidem *ſectionis* exiit intervallum. *Thuan.* 67. 73. 77. 80. & 84.

CAP.

C A P. XXI.

De ſtatu Eccleſiarum.

Quanquam externus Eccleſiarum ſtatus ex ſuprà dictis intelligi poteſt, ordine tamen conſueto Pontificia, Lutherana, Reformata, Heterodoxa breviter perſtringemus. Concilium *OEcumenicum* aliquoties inchoatum & interruptum denuo *indictum* fuit. (Hæc *enim vox ut media inter continuationem & novationem*, de qua graviſſime dubitatum erat, placuit) à *Pio IV. Pontifice* in annum 1561. feſtum Paſchatis; abruptà cunctatione per decretum in Galliâ factum de *convocando Nationali Concilio*, quod merito ut ſedi Papali periculoſſimum abhorrebant, nec aliter *quam per univerſale Concilium* averti poterat. Hanc indictionem *Petrus Paulus Vergerius* olim Epiſcopus *Juſtinopolitanus* & Pauli III. legatus, qui Germanos ad initia Concilii invitaret, nunc ipſe pridem ad *Proteſtantes* digreſſus, edito libro oppugnavit, docens, nihil minus ab hoc Concilio, quam *æquum de Controverſiis judicium* expectandum; Omnia ad oppreſſionem adverſæ partis eſſe comparata. Nec aliter Proteſtantes populi Principeſque legationem Pontificis accepere, pleriſque eam nequidem in regna ſua admittentibus; Germani civiliter auditos refutarunt. nec aliter Helvetii; Quanquam *Tigurinus* Conſul Ordinum Helvetiorum *Præſes*, literas *Papæ* acceptas oſculatus erat: quod Pontifex ſingulari cum

cum gratulatione publice in Conſiſtorio deprædicavit. Cæterum, quanta cum difficultate, quibus artibus & quâ methodo *Pontifices & Tridentini Patres*, ad exitum ſibi propoſitum, hac viâ pervenerint, integris libris de hoc Concilio ſcriptis traditum hujus inſtituti modum excedit. Concluſum eſt die IV. *Decembris* 1563. Cardinali Lotharingio exclamationes intonante, Qui ab initio cum Legatis Gallicanis XXXIV. articulos *Reformationis* propoſitos ex Mandato Regis & Cleri, ut videre licet apud Mezeræum in *Henr. IV.* urgere conſtituerat; ſed rebus in Galliâ morte fratris ejus mutatis, deſtitit, Omniaque ad Papæ libitum adminiſtravit, etſi *quod ad regimen Eccleſia attinet*, Canones Tridentinii in *Gallicana Eccleſia*, cujus juri multis modis adverſantur, nunquam recepti fuerunt.

2. Biennio poſtea *Pius IV.* deceſſit, *accelerato voluptatum intemperantia fato, quibus poſt Concilium metu reformationis ſolutus, effuſius indulſit, etiam iracundus, impatiens, invidus, acerbus, vafer & ſummus diſſimulandi artifex*, ut *Thuanus* eum deſcribit; avunculus *Caroli Borromæi*, quem in Cardinalium ordinem, ſanctimoniâ vitæ celebrem cooptavit. Succeſſor ejus etiam *Pius* vocari voluit, Inquiſitionis accerrimus exactor; de quo & reliquis *Pontificibus*, quod ſatis heic ſit, *in Italicis*, & tota ſectione de cæteris ad externum Eccleſiæ ſtatum pertinentibus actum.

3. Sed in *Germania Proteſtantium* res adverſus Pontificios pace publicâ munitæ, conten-

tione *de Cœna Domini* admodum turbatæ ſunt, *Melanchtone* in partes *Swinglianorum* aperte declinante, aliis acerbe reſiſtentibus, inter quos *Matthias Flaccius Illyricus* familiam ducebat. Hæc factio *Melanchtone* principio anni 1560. defuncto, prævalere cœpit, *Jacobo Andreæ Schmidlino*, *Brentio*, *Selnecero* & *Chemnitio* præcipuis auctoribus, dum Principes fruſtra *Naumburgi* concordiam tentarent, *Friderico* Palatino & *Auguſto* Saxone moderantibus, *anno* 1561. Sed *Argentinæ*, ubi adhuc cauſa *Reformatorum* floruerat, cum inter *Zanchium* & *Marbachium* eadem contentio ferveret, ille tandem Marbagio cum ſuis *Ubiquitariis* locum cedere debuit, *Clavennam*, bonâ cum Senatus veniâ digreſſus, anno 1563. Quo pacto *Fridericus* Palatinus ab eâdem factione Pontificiis junctâ in *Comitiis Auguſtanis* exagitatus ſit & quomodo ſteterit, Sacris bibliis à *Joh. Caſimiro* filio *Patri in Publico Ordinum* Coſneſſu exhibitis, è quibus ſe rationem fidei reddere paratum profitebatur, *ſupra* commemoratum eſt, *anno* 1567. manſeruntque *Reformati* in poſſeſſione uſuque pacis Religioſæ, ſub umbrâ *Confeſſionis Auguſtanæ*, à qua ſano ſenſu intellecta ſe minime alienos ferebant, maximè poſtquam *Melanchton* Confeſſionis auctor verba de Euchariſtia concepta nonnihil inflexerat, ut à Reformatis quoque admitti poſſet; Unde factum, ut plerique *Lutherani* ſe deinceps Auguſtanæ Confeſſionis *invariatæ* ſectatores profiteri cœperint. *Calviniani* libenter, ut ſolent, qui viribus inferiores ſunt, cum illis

ſyn-

ſyncretiſmum inſtituiſſent, ſicutin *Polonia Sendomirienſis* Eccleſia ſancivit & exercuit, *anno* 1570. Quod exemplum tamen non habuit ſequelam.

4. In ipſâ *Saxoniâ* digladiabantur *Vittenbergenſes* Melanchtonis ſectatores & *Jenenſes*, *Flacciani*, quos Elector *Auguſtus* conventu *Dreſdæ* celebrato 1571. in concordiam adducere ſtuduit, Formula conſenſus publicatâ ex ſententiâ maximè *Vittenbergenſium*, quam *Jenenſes* repudiarunt. Auguſto deinde *ab uxore Daniæ Regis ſorore* in alia omnia deducto, novus *Torgæ* conventus indicitur, ubi *nova Formula Concordiæ* ſancitur, quâ *Ubiquitatis* dogma in throno collocatur, cui cum *Vitembergenſes* Theologi, *Caſpar Cruciger*, *Henricus Mollerus*, *&* *Chriſtophorus Pezelius* ſubſcribere nollent, rigidæ cuſtodiæ, cum *Caſpare Peucero* Melanchtonis genero, dati ſunt *anno* 1574. & formula *Torgenſis* poſt biennium in *Bergenſi* monaſtrio recuſa, tanquam Eccleſiæ ſymbolum exiit, *liber Concordiæ* dictus: neque tamen à reliquis *Auguſtanæ* confeſſionis ſociis æque probatus eſt, multis *Fridericum Palatinum* ſpectantibus & moderata laudantibus, quod egregie patuit in *Comitiis Ratisbonenſibus* anno 1576.

5. At *Friderico* morte ſublato *ſub finem anni* 1576. Reformata res admodum labefactata eſt, *Ludovico* ejus filio primogenito *Ubiquitariis* addicto, Cujus juſſu *Zacharias Urſinus* aliique *Heidelbergâ* dimiſſi à *Johanne Caſimiro* Reformatorum Heroe recepti & *Neoſtadii*, Scholâ ibi fundatâ, collocati ſunt *anno* 1578. Quinquennio

poſtea mutata rurſus eſt ſcena, *Ludovici Palatini* morte, cujus filii tutor factus *Johannes Caſimirus*, *Ubiquitariis* faceſſere juſſis, Neoſtadienſes *Heidelbergam* reduxit, omniaque in priorem ſtatum reſtituit. Neque multo poſt in ipſâ *Saxonia* inſignis mutatio facta, morte *Auguſti* Electoris, uxore jam præmortuâ. Nam *Chriſtianus* ejus filius unicus, diverſâ perſuaſione imbutus, abrogato *Concordiæ* libro & *Ubiquitariis* ſepoſitis, corpus doctrinæ Philippicæ reſtituit & Eccleſiarum reformationi incubuit. Quæ res ſi ætatem tuliſſet, univerſa Proteſtantium Germania paulatim *Calviniſmum* induere potuiſſet. Ea res accidit anno 1586. *menſe Februario*. At ſequenti menſe per quatriduum habita eſt diſputatio *Mompelgardenſis*, inter *Theodorum Bezam* & *Jacobum Andreæ*; cujus exitus Bezæ à ſcholaſticis diſputandi tricis deſueto minus fuit glorioſus, nec adeo partibus felix. Hactenus enim *Lutherani* cum dogmate ſuo *Ubiquitatis* enormi diſputando & populari judicio inferiores, in hoc Colloquio dederunt operam, ut *Prædeſtinationis* doctrinam à Calvino maxime illuſtratam, at æque minus popularem exagitarent: idque ab eo tempore inſtitutum importunè preſſerunt.

6. Majori laude, ut *ad Gallica* tranſeamus, *Beza* pridem exierat è colloquio *Poeſſiaco*, quod illuſtri loco, Rege Reginâque nec non Proceribus coram habitum eſt anno 1561. per quod *Chriſti cauſam ſuprà nubes ſublatam* ſcribit Calvinus. Eloquentiæ laus Cardinali Lotharingio & Bezæ maxima tribuitur; prudentiam in hoc

pleri-

plerique deſideraverunt, inter alia, quod dixiſſet; tametſi hoc nihil à notiſſimâ illorum ſententiâ diverſi continebat; *Corpus Domini tam procul à cœnâ, quam cœlum à terrâ diſtare.* Quæ vox Catholicorum aures tamen ita offendit, ut abrumpendi Colloquii prætextum inde rapuerint: poſtquam Cardinali minus bene ceſſerat artificium committendi Germanos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, quos Lutetiam arceſſiverat, cum Reformatis; quod hi præmoniti prudenter eluſerunt. Præter *Bezam* aderant *Marloratus*, *Martyr & Viretus*; Calvinus apud *Genevam* ſuam manebat, ſcribendo aptior quam dicendo & invidiæ declinandæ: Etiam ob morbos; Quibus confectus menſe Majo anni 1564. ex hac vitâ deceſſit, cum vidiſſet doctrinam ſuam non minus latè quam erat *Lutherana*, receptam & ſtabilitam; In *Galliâ, Magnâ Britanniâ, Belgica, Helvetiâ*, magna parte *Germaniæ, Poloniæ*, *Hungariæ* & alibi. Nihil ejus Judicio ſolidius & defæcatius, in hoc adeo *Luthero* præſtantior, quod is ſua ſæpe refinxit, hic nihil unquam mutavit. Moribus etiam gravior & caſtigatior, etſi ὀξύχολος & *iracundior* quam par fuit, altero tamen hac etiam parte longè moderatior. Summus diſputator & *ratiocinator*; & tamen nemo validius, Rationem non eſſe Principium notitiæ rerum divinarum & adſtruendi αὐθεντίαν ſacræ ſcripturæ, inculcavit. Nemo ab Enthuſiaſmo alienior, nec tamen diſertius quiſquam de *teſtimonio Spiritus Dei in mentem immiſſo & à ratiocinatione*

diſtinctè locutus eſt, quod à reliquis ejuſdem temporis *Theologis* magnâ voce prædicatum, à ſequentibus iiſdem verbis agnitum, etſi non idem omnes ſentirent, à pleriſque ejuſdem licet profeſſionis, noſtro tempore negatum & inriſum eſt.

7. Sequutum eſt Edictum in Galliâ libertatis religioſæ menſe Januario 1562. de quo cæteriſque Edictis & belli pro religione motu copioſe *in Gallicis* egimus. Bella iſta, *ne de jure eorum dicamus*, *Reformatam* religionem mirificè deformarunt & plebem à ſimplicitate ac animorum devotione, quæ fuerat in veteribus, ad odia ſævæque contentionis ſtudia tranſlatam cædibus & rapinis adſuefecere: quod malum è *Galliâ* tranſiit in *Belgicam*, ubi *Geuſii* ſylveſtres & maritimi nihil feritatis aut crudelitatis in Pontificios, par pari his referentes, omiſerunt; Pertinent hæc, ad *ſtatum Eccleſiæ interiorem*, & ad dignoſcendum id quod *alias* diximus, Reformationes noſtri temporis ad *ſententias magis quam ad mores* pertigiſſe, non modo in plebe, ſed & in ipſis *Eccleſiaſticis*, quâ de re *Calvinum* videre licet *in libro de ſcandalis*; etſi *Ipſe* aliique Theologi non pauci in ſcriptis ſuis haud minorem internæ pietatis quam diſputandi acuminis indicia reliquere, nec unquam animæ piæ ſanctæque prædicationi Veritatis ipſique martyrio defuere. Sed ab omni ævo compertum fuit, *Perſecutiones*, ſupplicia & patientiam *auxiſſe rem Chriſtianam*; armis etſi ad *defenſionem* comparatis & juſtis non tantum *pietate animorum* ſed & *numero* eſſe diminutam.

7. In

8. In Anglia & Scotia quominus Reformatio, quæ rerum ibi potiebatur, pace gauderet, ingenium gentis an proſperitatis fecit; obortis contentionibus ſuper *regimine Eccleſiaſtico*, quod in Angliâ erat *Epiſcopale*, in Scotiâ Presbytericum primo, dein Anglicanum. Viſum ita fuit *Elizabethæ*, medium aliquod in Eccleſia inter ipſam, quæ *Caput Eccleſiæ Anglicanæ* ferebatur & plebem eſſe debere, quaſi Magiſtratus eminentiores; Idque primo, gaudentibus obtinere civibus *ſubſtantiam Reformationis*, non reperit contradictores: etſi non deerant, qui *diſciplinam Genevenſem* urgerent; maxime quòd & ritus quidam ſacri à Pontificiis introducti retinebantur: noto hac de re Calvini dicto, Elizabethen egiſſe, quemadmodum matresfamiliarum, quæ ſordes everſas apud limen relinquerent. Sed undecimo *Eliſabethes* anno res erupit in manifeſtas contradictiones, augeſcente eorum numero, qui *regimen Epiſcopale*, ut in Angliâ ſtabilitum erat, *juri Divino contrarium*, nec pie exerceri neque ferri poſſe contenderent. Quos etſi Regina compeſcuit ad tempus, *ſupprimere tamen non potuit*, quin tandem in odia non modò infeſta ſed etiam in *ſchiſma*, cujus ad ſequentia regna, creſcendo, infeſti effectus tranſmiſſi ſunt, erumperent. Hujus Schiſmatis auctor primus fuit *Boltonus*, Vir intemperantis ingenii, qui cum errorem ſuum revocaſſet dein ſe ipſum ſuſpendio necaſſe dicitur. Sed cum eo non ceſſavit hæc controverſia; Diſcre-

pantes, qui tamen Reformati manerent, *Epiſcopalibus* oppoſiti, uno nomine *Puritani* dicti, quod majorem in vitæ ſanctimoniâ *perfectionem* urgerent, in duo genera diſtincti ſunt, *Presbyterianorum & Independentium*, Convenientes in hoc, quod *Cærimonias*, *Liturgiam* & regimen *Anglicanæ Eccleſiæ* rejicerent; Sed & ipſi in regimine Eccefiæ diſſentiebant. *Presbyteriani*, populare regimen improbantes, Presbyteriis omne jus Eccleſiæ, quam *repræſentarent*, tribuebant, *Presbyteria* ſubeſſe volebant *Claſſibus* & *Synodis* more *Genevenſi* & *Belgico*. Independentes regimen ſingularum Eccleſiarum populare volebant, ut omnes etiam feminæ jus clavium & vocandi miniſtros haberent, *ſubordinationem Eccleſiarum* particularium, Claſſium & Synodorum rejiciebant; eorumque initium eſt à *Roberto Brounio in Zeelandia*, qui primus ibi independentem Eccleſiam conſtituit anno 1580. Inde libris & exemplo in Angliam tranſmiſſa doctrina, *Brouniſtarum* nominis originem dedit. De Scoticis hac parte rebus antea dictum, & quomodo ibi Rex & Proceres, invitis Eccleſiis Epiſcopos obtruſerint: Cui rei plurimum contulit, quod Presbyteria libere valideque nimis Cenſuram ſuam ad res civiles extendere ſeque ipſos ſuo arbitratu Politicis ſubducere velle viderentur.

8. Fuit & alibi de *regimine Eccleſiaſtico* inter Proteſtantes diſſenſio. Diſciplina Genevenſis Presbyteria fundaverat, quibus eligendi Paſtores jus & Cenſura ac omne Eccleſiæ regimen,

ariſto-

ariſtocratico jure tribuebatur. Hoc aliis, in *Germania* potiſſimum diſplicebat, quaſi in ſummâ nihil intereſſet, uni an paucis eadem poteſtas tribueretur; quin nec opus *excommunicatione*, ubi *Magiſtratus eſſet Chriſtianus*, ſtatuebant; quam opinionem ſequentes *Eraſtiani* ab *Eraſto* Heidelbergenſi, cujus hac de re liber extat, à poſteris dicti fuerunt: Uſuque venit, ut ſecundum hanc opinionem *Epiſcopale jus à Principibus occupatum ſit* in *Germania* paſſim. Hujus formæ ſpecimen in *Belgis fœderatis*, qui communiter rationem *Genevenſium* ſequebantur, extitit Ultrajecti in *Huberto Duyſhuſio* apud *Jacobi fanum* Paſtore, qui nullâ vi uſus, relictis in templo imaginibus, contra illas & ſuperſtitiones docuerat *ex ſolo Dei verbo*, eaſdem cum Reformatis ſententias, ſed abſque *Catecheſi* aut *Confeſſione fidei*, humanæ auctoritatis, ſine *Conſiſtorio*, ſenioribus aut Diaconis & abſque Cenſurâ notionali, *ſola prædicatione verbi & comminationibus exinde auditoribus inſinuatis* contentus, admittens ad communionem omnes, qui doctrinam ſuam probarent cuperentque ſecundum illam ſacra cum illo communicare, nec profeſſionem illam vitæ turpitudine dehoneſtarent. Eleemoſynæ templi curatoribus, qui à plebe electi, à Magiſtratu confirmati erant, committebantur. Hæc ratio cum Proceribus, libertinis, qui dicuntur, mirifice placeret, à Leiceſtrio abolita, poſt ejus abitum rurſus *Ultrajecti* aliquandiu prævaluit. In reliquis Civitatibus & populis Presbyteria, Claſſes, Synodi,

di placuerunt, ut tamen *quicquid extra confeſſionem fidei & Cenſuram* ad externam Eccleſiæ conſtitutionem pertineat, à Magiſtratibus pendeat, neque Presbyteriis ullo modo permittatur, prætextu Cenſuræ rebus ſe miſcere politicis; niſi quod hoc Leiceſtriano tempore, magno motu periculoque tentatum vix coercitum fuerit. Sed poſt ejus abitum Optimates ita exiſtimarunt, *in Conſiſtoriis latere vim democraticæ* conſtitutionis; Ac inde ſuæ potentiæ, ſicut in regnis etiam Regiæ, metuendum eſſe temperamentum. Proinde cum Ariſtocratiæ primum ſit præceptum, *democraticos ſpiritus rigidiſſime cohibere*, nihil antiquius habuerunt optimates, quam id agere, uti conſiſtoria ab ſe dependerent, nec in iis quicquam ipſis adverſum aut ſuſpectum ageretur: quod etiam abunde conſequuti ſunt.

8. An recte inter heterodoxos collocentur *Moderatores* & *Conciliatores*, haud facile dixerim: etſi hoc nomen in Hiſtoriâ nihil præjudicat. Sed hujus intervalli Principio celebris hoc inſtituto fuit *Georgius Caſſander*, editâ *Conſultatione*, quâ pleraque Fidei capita in eum modum, quem ab utrâque parte admitti poſſe crederet, incruſtat: Multis, maximè Principibus, inter quos *Maximilianus* Imperator fuit, operam navans gratiſſimam: ſocium hac parte nactus *Franciſcum Balduinum*, JCtum, qui in Gallia conſiliis editiſque libris hoc propoſitum enixè promovit: Abſque fructu, niſi laudationis ab iis omnibus, qui in utraque parte moderata

ſua-

ſuadebant; Prævalentibus, ut fit in cauſa religionis, extrema ſuadentibus. Nemo illâ viâ longius proceſſit, quam *Johannes Sueciæ Rex*, de cujus Conatu egimus in *Suedicis*, exitu tamen æquè abortivo. Perſuaſum enim fuit, haud temere, Proteſtantibus, id agi à moderatoribus illis, *ut omnes in ſinum Eccleſiæ Romanæ reducerentur*. Quod ſi factum eſſet, nemo quid de ſpe moderatæ reformationis futurum eſſet, dubitabat.

10. Sed hujus loci eſt imprimis doctrina Socinianorum, de cujus initiis in fine *ſectionis Præcedentis* relatum eſt. Lælius *Sozinus* Tiguri mortuus anno 1562, ætatis 37. ſententias ſuas antitrinitarias non publicavit; ſed *Fauſtus* ejus fratris filius, occupatis patrui libris & manuſcriptis, poſtquam ex aula *Coſmi Hetruriæ Ducis*, ubi Medicinam faciebat, ſe receperat Baſileam, anno 1574. non modo *Serveti* ſententiam ſcriptis propagavit, ſed & alia pleraque Theologiæ capita, *in eam quæ nunc extat connexionem* artificioſe corrupit. Quadriennio poſtea conceſſit in *Tranſylvaniam* evocatus à *Georgio Blandrata*, Medico Principis *Bathorii*, apud quem favorem & rem fecerat; *profugus* Genevâ, ubi hæreſin abnegaverat, quam dein acerrime apud *Tranſylvanos* ſtabilivit. Inde quadrâgenarius ſeceſſit in Poloniam *Sozinus*, ubi jam pridem *Antitrinitarii* ſectam & cœtus ſuos habebant, *Ariani* dicti, à quibus tamen non parum plerique diſcrepabant. His ſe adjunxit *Sozinus* & uxore

ductâ

ductâ ſedem ibi fixit diſcipuliſque faciendis operam dedit, quod ab initio tardius procedens inde poſt mortem ejus flagrantiſſimos habuit ſucceſſus.

LIB. II. SECTIO II.

Quæ eſt ab anno 1589 *ad annum* 1619.

CAP. I.

De rebus Imperii Germanici.

PRæcedens intervallum *triginta annorum* in altâ pace *Germania* tranſegerat, eamque præſenti temporis æquali ſpatio mirâ felicitate, dum circumjectæ gentes adſiduis fere bellorum malis agitabantur, continuavit. Inter cauſas hujus *publicæ beatitudinis* non minimæ fuerunt, ingenia Cæſarum, *Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II.* quorum ultimus duos priores pacis ſtudioſiſſimos *amore quietis* longe ſuperavit, *ad exceſſum uſque.* Deliteſcens in arce *Pragenſi*, gemmarum, horologiorum & ejuſmodi deliciarum contemplatione, tractatione & artificioſâ diſpoſitione ſe oblectans; negotia civilia Miniſtris ſuis, bellica fratribus *Matthiæ*, *Maximiliano* aliiſque delegans; Quâ mollitie cum diutius quam par fuit, ſecurè fuiſſet uſus, poſtremo ſenſit, *Inanem eſſe majeſtatem honoris*,

ris, cui non adſit debita vis & facultas refutandi contemptum; ut mox videbimus.

2. Cæterum, primo hujus ſectionis vicennio vix quicquam in ſummâ memorabile noſtri inſtituti geſtum eſt in Germaniâ: Nam mors *Chriſtiani I. Electoris Saxonici* liberis impuberibus, Tutore *Friderico Wilhelmo* Duce *Vinarienſi*, mutatio fuit particularis & major in *Eccleſia* quam in *Imperio*, de qua in *ultimo* hujus ſectionis *capite*, pertinens ad annum 1591. Bellum Argentinenſe ſuper Epiſcopatu inter *Johannem Georgium Brandeburgicum* à Canonicis Lutheranis in urbe & *Carolum Lotharingum* Cardinalem, *Tabernis* à Pontificiis electum anno 1592. diuturnum quidem ſed intra Alſatiam fuit, terminatum anno 1604. hac lege, ut *Brandeburgicus acceptis* 130 *millibus Imperialium cederet Epiſcopatu, retenta urbe & territorio Obernagii*, ſequeſtrandis in manibus *Friderici* Ducis *Wirtenbergenſis*, *ſub pacto redemptionis cis annos* 30 *pro quadringentis millibus imperialium*.

3. Sed deficiente in Imperio belli materia, vicinorum incendia ſcintillas in *Germaniam* ejecerunt. Cum enim Principes Imperii nullas vel admodum exiguas in armis copias haberent, Hiſpani, *Mendoza Duce*, proximis Rheno populis non modo populationibus aliiſque belli injuriis graves fuere, ſed *Orſoyum* quoque & *Rhenobercam* ad *Electoratum Colonienſem* pertinentes Civitates occupavere; quod non ferendum rati *Ordines Weſtphalici*, auctoritate *Cæſaris* incaſſum adhibitâ

exer-

exercitum, ducibus *Lippenſi* & *Hohenloi* Comitibus, ad ejiciendos Germaniæ finibus *Hiſpanos* miſere quidem anno 1599. ſed parum efficacibus armis; *ut in re multis Communi, & deſuetudine belli*; ideoque re fere infecta digreſſi ſunt. Hiſpani deinde à *Belgis fœderatis* contentius invaſi ſunt, & urbes illis ademptæ, ab his ſuæ ſecuritatis ergo, ne ab hoſte rurſus occuparentur, ſalvo jure fructibuſque imperii Colonienſibus relictis, retentæ fuerunt.

4. Tumultus inde aliqui religionis cauſa, cum *Aquiſgrani*, ubi Reformati Magiſtratus à Cæſare proſcripti 1589 viribus Hiſpanicis ſubacti & male mulctati ſunt *anno* 1914: Tum in *Haſſia* apud *Marpurgenſes*, ubi *Mauritio Lantgravio* Calviniſmum introducente, Theologi aliquot abiere *Gieſſam* & populus turbavit, inani motu anno 1605. Major eodem anno vis incubuit Brunſuicenſi civitati, cui Dux *Henricus Julius* diu imminebat, Principis jura ſibi adſerens; ſed cum ratione verbiſve nihil proficeret, jam ex inſidiis urbem ceperat: Verum cives hoſtem portas ingreſſum acerrimâ pugnâ *cæſis mille ducentis* repulere. Dux ad vim apertam converſus urbem obſidione cinxit, Onacro flumine infra urbem obſtructo, ut jam fora, ædes, templa complerent, donec ventus, *ut fere in talibus accidit*, vehementior, aggere perrupto, civitatem periculo exemit & pacis viam, accedente Cæſaris imperio, patefecit. Dein renovatum eſt bellum inter *Fridericum Vlricum* Ducem & eandem Civitatem, ut denuo à Du-

ce

ce; cui aderat adfinis auxilium ferens *Chriſtianus Daniæ Rex*, obſideretur; æque fruſtra, *Ordinibus Belgarum foederatorum* urbi ſubſidium ferentibus, miſſo Principe *Henrico Arauſienſi*, cum toto Belgarum equitatu & tribus ſclopetariorum millibus; rogatu *foederis Hanſeatici*; quicum arcta tunc erat Belgis neceſſitudo, mercaturæ cauſa, quam *Daniæ* Rex *freti Orezuntici* potens admodum coarctabat. Proinde juncta vi ac poteſtate cum intercedendi auctoritate, rurſus in æquas leges conventum; frendente Duce ipſoque Rege *Dano*. Tales jam tum erant rationes, animi vireſque Belgarum foederatorum, Etſi hæc ultima ſerius evenerunt anno 1615.

3. Sed ut in viam redeamus, *Donaverda* Civitas ab auxiliis aliorum Proteſtantium remotior, ad Danubium, gravius luerat injuriam *Abbati* cuidam in ſolenni *Proceſſione* quam vocant, factam, Cui rei hinc inde acerbius tractatæ, uſque adeo lis incruduit, ut ab Imperatore *alieno magis quam ſuo ingenio* proſcripta, à *Maximiliano Bavaro*, qui jus in eam ex antiquo jactabat, vi capta & præſidio occupata ſit, repetentibus eam fruſtrâ *Proteſtantibus* in libertatem. Quæ ratio à priorum lenitate temporum vehementer abhorrens argumento fuit, *intonare paci ſuæ Germaniàm*; animoſque, ſi res ferret, ad pugnandum fore paratos: Nec diu in tanto corpore defuerunt occaſiones.

4. Anno 1609, *menſe Martio* deceſſerat *Johannes Wilhelmus, Cliviæ, Juliaci & Montium* dux *Mar-*

Marchiæ Comes & *Raveſtenii* Dominus, abſque liberis; ſed habebat ex Sororis primogenita filiâ nepotem Georgium *Wilhelmum* Electoris Brandeburgici filium & Sororis ſecundo genitæ filium *Volfangum Ducis Neoburgici* filium, qui jus ſucceſſionis ſinguli ad ſe trahebant; hic *propinquiore gradu*; alter *jure repræſentationis*, ſuppoſita ditionum *individuitate*. Convenerunt tamen inter ſe, ut ambo *pro indiviſo* poſſiderent, donec cauſa per arbitros deciſa fuiſſet; Interim vires ſuas conjungerent adverſus alios ſua jura *Prætendentes* & inprimis *contra Cæſarem*, qui ut in lite dubiâ, *poſſeſſionem ſequeſtrariam* ſibi vindican sillo prætextu *Juliacum* urbem per Hiſpanos occupaverat. Sed Rex *Galliarum* & cæteri domus *Auſtriacæ* inimici tranſactioni Principum patrocinabantur, Reliqui Germaniæ Principes *Catholici* nec Imperatori neque Proteſtantibus tam notabile incrementum cupiebant; atque in omnem eventum foedus inter ſe, *Duce Maximiliano Bavaro*, contraxere *Defenſivum*, quod *Ligæ* deinde nomen habuit, & Proteſtantes ex adverſo *Hallis in Suevia*, foedus, quod *Unionem* vocarunt, ſimile compoſuerunt; etſi non deſint, qui *Unionem Proteſtantium*, auctore Galliæ Rege, *prius concluſam* fuiſſe contendant. Ita *diſpertiti viri, diſpertiti Ordines*, parataque bello materia fuit. Sed cum Auſtriaci *ſequeſtrationis commentum* ſupra vires ſuas eſſe viderent, data eſt illis opera, ut *Principes ſejungerentur*; Neoburgico ſacra Pontificia amplexo ſua deinceps auxilia

lia addixerunt; *Brandeburgico* aderant foederati *Belgæ* cum totis viribus & auxiliis Gallorum, à quibus *Juliacum* Auſtriacis ademptum *Branburgico* acquiſitum eſt anno 1610. Sed inter Principes deinde placuit diviſio, quæ adhuc durat; *Clivia Brandenburgico*, *Juliacenſi ditione Neoburgico cedente, reliquis bipartitis, cum libertate Religionum*, quæ diviſio motum illius quidem belli compoſuit, *diſſenſionum cauſas in Germania non extinxit.*

5. Sed hæ prius ipſam *domum Imperatoriam* invaſere. Cæſar *Rudolphus* in otio imbelli & orbitate; nunquam animo ad uxorem, poſtquam Hiſpaniæ Infantem *Iſabellam Eugeniam* Pater *Philippus* ei denegaverat, adjecto; furtivis amoribus in ſuâ *Pragenſi arce* contentus vivebat. Cum ſpes liberorum decollaſſet, in *annos ejus coepit inquiri* & de ſucceſſione diſputari. *Matthias* frater ejus Proteſtantibus æquior & olim in *Belgis* dux foederatorum Hiſpanis diſplicebat, *Ferdinandum* Archiducem *Gratziacum* Caroli. Cæſaris Rudolphi fratris filium, ſtrenue proſcribentem hæreticos præferebant. Ergo id actum ab illis, ut *Hungaria* & *Bohæmia* regnumque *Romanorum*, electiva omnia in hunc devolverentur, idque Imperatori, quem obſidebant, vel perſuaſerunt vel extorquere parabant. *Matthias* id prævertendum ratus, exercitum, cui in Hungarico bello præerat, in *Bohæmiam* ducit, ibique à fratre imparato elicit has conditiones; *Ut ipſi liberum* eſſet, *Hungariæ regnum* ſuſcipere, *poſſeſſionem*

quoque Auſtriæ & Moraviæ incontinenti adire, Rudolpho Bohamia & Imperialis dignitas maneret, ac ita poſſeſſum eſt inde ab *anno* 1608. Quo tempore cum Rudolphi incolumitas ſolâ Bohæmorum fide niteretur, facile *ſequenti* anno Conſtitutionem de *pleniſſima libertate Religionis* impetraverunt. *Sed Ferdinandus* ut Bohæmiam duntaxat ſibi poſt obitum *Rudolphi* conciliaret, *Leopoldum* filium conſcriptas alio prætextu legiones ad XIII millia in *Bohamiam* ducere jubet in *principio anni* 1610 iſque *Pragam* urbem minorem, Rudolpho ita volente, ingreditur; ſed cum à majore civitate per cives illum odio habentes excluſus eſſet, *Matthias* cum ſuis copiis accurrens receptus, Ferdinandinis ejectis, *Bohamia Rex electus & inauguratus eſt*. *Rudolphus* jam ſibi ipſi ſuperſtes initio ſequentis anni mortalitatem explevit, quem biennio præceſſerat *Fridericus IV Palatinus*, herede cognomine, ſub tutela *Johannis* Bipontini Ducis ex teſtamento Patris, excluſo *Philippo Wilhelmo* Neoburgico, Lutheranæ Confeſſionis, ad quem ex Aurea bullâ Tutela pertinebat. Unde acris inter Juriſconſultos utriuſque partis diſceptatio, *an Tutela Electoralis legitima per Teſtamentariam excluderetur*. Sed Bipontinus vim ac poſſeſſionem obtinuit. Adoleſcens Elector poſtea in uxorem duxit *Eliſabethen* Jacobi magnæ Britanniæ Regis filiam *anno* 1613. haud *bonis avibus*, ut *deinde* videbimus.

6. MATTHIAS exinde tam Imperii quam omnium ſucceſſor regnorum affectum in Prote-

teſtantes & comitatem in alios, ſeveritate in omnes brevi mutare viſus eſt; etiam orbus liberis facile cum *Ferdinando* reconciliatus, nec gravate, *Jeſuitis operam dantibus*, adductus eſt, ut eundem ſibi ſucceſſorem deſtinaret, *Alberto Archiduce* Belgarum Principe, *Matthiæ fratre*, qui ſimiliter orbus erat, juri ſuo in hereditarias ditiones renuntiante. Sed interim creſcebant iræ *inter Ordines Pontificios & Euangelicos*, illis ferocioribus & Hiſpano fretis; dum Proteſtantes è *Gallia & Anglia*, ut tum res erant, nihil ſpei haberent. Spretæ illorum querelæ, de injuriis Cameræ Spirenſis & Imperialis in Euangelicos, *planeque ut impares habebantur*; Dum Matthias *Ferdinandum* Bohæmiæ ſucceſſorem ſuum declarari anno 1617 idemque in *Hungaria* ſequenti anno fieri curavit. Ipſe minus in Imperio, quam antea privatus fecerat, auſus, paci, quantum in ipſo fuit, conſuluit, ab Hiſpanis alienior affectu, ut in lite Mantuanâ, de quâ *inferius*, aliàſque demonſtravit, nec tamen ab illis neceſſitate rerum ſuarum, conſilia penitus diſſociare potuit.

7. Interim in Bohæmiâ pars major Proteſtantium à Ferdinando nihil boni expectantes, illo cum Cæſare digreſſo, *Pragam* ſine juſſu Regis aut ejus Conſilii rebus præpoſiti, conventum celebrarunt, ubi querelas ſuas, de *templis quibuſdam Proteſtantium ademptis aut everſis* aliaque ſcripto complexi *Conſiliariis* regni offerebant; A quibus accepto quod non placeret, reſponſo, ferociter in arcem &

 Con-

Conſilium ingrediuntur, ibique *Slabatam* Præſidem alioſque duos vi comprehenſos in aream ſubjectam, locum purgamentis Curiæ plenum ideoque molliore lapſu, dejiciunt & dein xxx *Directores, qui Rempubl. regni* curarent, conſtituerunt. Cum hæc res per legatos literis ultro citroque miſſis aut interceſſionibus *Electoris Saxoniæ* Duciſque *Bavariæ* componi non poſſet, itum eſt ad arma, ducibus Bohæmorum *Henrico Matthia* Comite *Turrenſi* & dein *Erneſto* Comite Mansfeldio; Pro *Matthiâ, Bucquoyo* & *Tampiero* Comitibus. Verum Cæſar interim die 26 *Martii* 1619 Viennæ mortem obiit improlis, ac ita numeroſa Maximiliani II domus ſeptem maribus adultis ſubnixa, tam brevi temporis ſpatio ad unius *Caroli* proſapiam redacta eſt. Cujus primogenitus Ferdinandus hereditatem potentiſſimæ domus aditurus inde ab initio difficultate maxima circumventus erat, *Bohamiam, Sileſiam, Luſatiam, Moraviam* amiſerat, idem de *Hungariâ* metuebat, & jam *Turrianus* cum Bohæmorum exercitu *Viennæ* imminebat, quando nunciata *Mansfeldii* à *Buquoyo* accepta clades ad *Pilſam*, ſpatium reſpirandi dedit, *Turriano* ad ſua tutanda regreſſo. Quin brevi poſtea *Ferdinandus* ad electionem novi Cæſaris ut Rex *Bohamiæ, Bohæmis fruſtra proteſtantibus*, admiſſus, *Francofurti*, conſentientibus, *præter Palatinum, Septemviris*, Imperator electus, inauguratus eſt ejuſdem anni Septembris initio. At nihiloſecius Bohæmi abrogato eidem *Ferdinando* regni jure, *Fridericum V. Electo-*

Electorem Palatinum Regem *Bohemiæ* conſtituerunt; quæ nova fuit criſis & tuba belli toto orbe funeſtiſſimi.

CAP. II.

De regnis Daniæ & Suetiæ.

FRidericum II. in Daniâ, ipſo anno 1588 *regni trigeſimo* vita defuncto, filius undecennis CHRISTIANUS IV ſucceſſit, *Tutoribus ei ab Ordinibus conſtitutis*, quorum auctoritate Regis ſoror *Anna* Jacobo VI *Scotiæ Regi*; *Eliſabeth* Henrico Julio Brunovicenſium Duci, ſponſis in Daniâ præſentibus, magnifice collocatæ ſunt. Rex autem anno 1596 expletis octodecim annis, regno inauguratus & *ſuæ* adminiſtrationi, *ut electus Daniæ Rex*, admotus eſt.

2. Sed in *Suetia Johanne* Rege mortuo, SIGISMUNDUS Poloniæ Rex & filius ejus primogenitus *jure indubitato* ſequutus eſt in regno anno 1594, cui, quod pater metuebat, evenit, ut à Patruo *Carolo*, *Sudermanniæ Duce ſubmotus* tertium hoc ſæculo fieret exemplum Regis à civibus ſuis deſtituti, aeque ac reliqui, *Religionis cauſa, vel obtentu.* Res jubet, ut paulo diſtinctius hanc mutationem exponamus.

3. Primo ſatis conſtat, *Carolum*, anter *Sigiſmundo* abſente juberetur, adminiſ[illegible] quam à publicam, ut ſanguine proximum [illegible] rationem Conſilii *adſenſu* in ſe recepiſſe [illegible], cum regi [illegible], quod *Sigiſmundus* deinde confirmauit, Or[illegible] dines etiam in Con-

ventu *Upſalienſi* Regis ejuſdem injuſſu, *Liturgiam Johannis* Regis conciliatoriam abrogarunt, Confeſſionem Auguſtanam ſanciverunt, Papalem vetuere cultum; neque permittendum, ut ad Regem, dum eſſet in *Poloniâ*, quiſquam appellaret, donec *in Suetia Rex adeſſet*, ſtatuerunt: In quas conditiones *Sigiſmundus* ante inaugurationem jurejurando adigendus eſſet. Id is ægerrimè, cum in regnum veniſſet, nec niſi extrema neceſſitate, ſuadentibus *ipſo Papæ Nuntio* Poloniſque *Pontificiis*, quos adduxerat, admiſit, eâ lege, ut ipſe *Miſſam* in arce *Stokholmienſi* & ubicunque ageret, ſolito cultu celebrare poſſet.

4. Anno ſequente Rex in *Poloniam* regreſſus operam dedit, ne quicquam certi de modo *Regiminis*, *ipſo abſente* exercendi ſanciretur; ne cauſæ armorum, quæ habebat in animo, deficerent, nec Patruo *vicarium Imperium*, niſi hac lege, *ne quid ſe abſente novaretur*, neque *ſuo injuſſu Ordines regni convenirent*, concedere voluit, quas conditiones adſpernatus *Carolus* de ſuâ fide tamen illi ſanctè cavit. Arcis Holmienſis præfecturam *Sigiſmundus* homini Pontificio commiſit & in ſingulis Provinciis Rectores ſibi fidos & Carolo adverſos, cum *ampliſſima poteſtate*, conſtituit. Ac ita cum ſummo utrimque odio diffidentiaque ſe recepit *Dantiſcum*.

5. Carolus, Rege digreſſo, *Recturam* Senatu rogante ſuſcepit, nec quicquam prius habuit, quam *Comitia* convocare *Suderkopiam*, ubi Regimen juxta Senatum, ipſi confirmatum, Pa-

palis cultus omnino, *etiam in arce regiâ*, abolitus, repetito decreto, *de appellationibus in Poloniam non faciendis*, nec Edictis inde miſſis in Suetiâ, *priuſquam à Rectore ſenatuque probata eſſent*, publicandis: Neve Rex honores tribueret, niſi *è trinis* in Suetiâ nominandis; neminem, *niſi cauſa ſecundum leges cognitâ*, honore ſuo privaret. His aliiſque rebus offenſo magnopere *Sigiſmundo*, cum & *Carolus* ſola plebe fretus, *Proceres contemneret*, plerique Nobiles & totus Senatus ab eo conſilia ſua dividere cœperunt, ipſe etiam *Archiepiſcopus Upſalienſis*, *Abrahamus*, qui totus ei ſemper addictus fuerat. Ergo poteſtatem ſe depoſiturum præ ſe ferens, cum nemo intercederet, Ordines iterum *Arbogam* convocavit, ubi è Proceribus aderant pauciſſimi, Edicto licet ipſe præfatus eſſet, *hoſtium loco ſe habiturum, qui Comitia non obirent.* Præſentes tamen omnia priora confirmarunt, Rectorem *Carolum* dixerunt, *abſque pari & ſuperiori*, ſeque *adſociatione* jurata pro illo contra omnes conjunxerunt; *ſalva* ſcilicet, *Regia Majeſtatis reverentiâ.* Cum quidem Rex altâ Voce edictiſque alia omnia præciperet: Cui Senatus & plerique Proceres obſequuti, *nihil tamen quod Carolo opponerent*, *invenientes*, in Poloniam ſe receperunt.

6. Ergo *Sigiſmundus* ſex armatorum millibus ſtipatus, claſſe *Dantiſci* conductâ, præmiſſis ad omnes populos literis, cum exercitu appulit *Calmariam*, anno 1598. ubi *Viſigothi* & *Sma-*

lienſes ſe illi conjunxerunt. *Finlandi* expectabantur; Carolus cum ſuis bona verba dare, promittere obſequium, *ſi exteros milites Rex dimitteret & Leges in quas juraverat*, *ſervaret*. Sigiſmundus nihil de conditionibus, ſed Regem agere, Carolum pro hoſte habere, ſed ducere tempus, dum *Finlandi* partibus ejus addictiſſimi accederent. Carolus autem nihil cunctandum ratus ſuo cum exercitu venit in Regiorum conſpectum, apud *Stegeburgum*, ubi Rex caſtra fecerat; Ventum eſt ad manus, eo ſucceſſu, ut *Sueci à fronte ac à tergo circumventi caderentur*, eratque in manibus victoria; Ni Sigiſmundus generoſitate majore quam prudentiâ civibus parcendum putaſſet, interceſſione Marchionis *Eduardi Fortunati* Badenſis & Johannis Friſiæ Orientalis Comitis ſororum ejus filiorum, *ſub certâ ſpe pacis poſtridie conſtituendæ.* Cujus facilitatis non eſt mirum pœnituiſſe *Sigiſmundum.* Poſtridie *Carolus* nihil de poſtulatis ſuis remittere, quibus & hoc addebat; *Ordinibus liberum fore*, *ſi quis eorum pactis non ſtaret*, *ei ſe opponere*, id eſt, ſemper partes, quas vellent, facere & ſequi.

7. Cum interim multarum inopiâ rerum Stegeburgo Rex diſcedere cogeretur, Carolus arce & impedimentis regiis in poteſtatem redactis *Sudercopiam* illum inſequutus eſt, Ubi cum *Sigiſmundus* pugnandi copiam faceret, Carolus dolis intentus ſimulato metu ſe recipiebat. Ideo Rex equitatu in urbem reducto, *pedeſtrium copiarum*

piarum partem, cum machinis bellicis *trans fluvium reliquit*. Cujus rei *Carolus* per epiſcopum *Sudercopienſem* certior factus, primo mane tectus nebula Regias invaſit cohortes ruptoque ponte ante oculos *Sigiſmundi* milites ejus concidit, tormenta avexit. Quâ clade ſubactus Rex, hoſtis arbitrio pacem accipere & amicos è proceribus dedere coactus eſt, ac ita *doloris ac pudoris plenus* denuo ſe Dantiſcum recepit. Neque multo poſt, decretum ab Ordinibus, *Stokholmiæ*; *Sigiſmundum, quod pactis initio regni juratis non ſtetiſſet, regni jure cecidiſſe*; ſurrogato ei filio *Vladiſlao*; ſiquidem is intra annum vertentem in Suetiam veniret *ac inſtitutionem Lutheranæ religionis acciperet*. Supplicio pariter ſumpto de quatuor Magnatibus Sigiſmundi ſectam ſequutis, *Baneriis* duobus *Guſtavo & Stenone*, juxta *Ericum Sparrium* & *Thuronem Bielkium*, reliquis aureâ portâ ſervatis. Poſtremo *Norcopiæ* decretum, ut *Carolus* non modo jus ſed & nomen Regium haberet, poſtquam *Johannes* Sigiſmundi frater uterinus oblatam dicis gratiâ coronam prudenter recuſaverat, *Gothici* contentus *orientalis* Ducatu. Ordo ſucceſſionis ita conſtitutus eſt, *ut poſt Carolum filii mares ipſius*; his deficientibus, *Johannes* ejuſque poſteri *mares*, eorumque defectu filiæ Caroli & deinde Johannis ſequerentur. Additum, ne *Rex ullus unquam duceret uxorem Pontificiam neve regni ſedem extra Suetiam collocaret*: hæc *anno* 1604.

8. Exinde bellum inter Polonos & Suecos in

Livonia geſtum, fortunâ primo Suecorum adverſâ, qui anno ſequente apud *Kirkholmium* à *Lobkovitzio* Polonorum duce magnâ pugnâ victi ſunt, millibus octo deſideratis, *Carolo Rege* fugâ vix elapſo, juvante *Vreedio* quodam equum ſuum illi commodante, ſtatimque interfecto. Sed Poloni diſcordiis inter ſe agitati victoriâ uti non potuerunt. Cum dein ſe rebus Muſcoviticis operoſe miſcerent, *Carolus* Jacobum *La Gardienſem* miſit eodem, ut Muſcovitas ſuſtineret; quod etſi plenè præſtare non poſſet, Novogradum tamen aliaſque Ruſſorum Civitates Suedis opportunas occupavit.

9. Sed interim novum *à Danis* ortum eſt bellum, querentibus, *Suecos eſſe graves ſuis navibus Polonicos portus adeuntibus*, cui vetus de *Laponia* quæſtio, novæque de limitaneis, ut fit, tranſverſariis acceſſerant. Componendi litem dicta dies erat *Viſmariæ*, quam Suetiæ legati in tempore obire neglexerunt. Poſtea Dani ſatisfactionem offerentibus auſcultare noluerunt, indicto illatoque bello *vere primo anni* 1611. quo *Calmariæ* urbem arcemque, ubi octo ſupra centum ænea tormenta, cum ſex armatis navibus, ceperunt, Sueci *Chriſtianopolim* ex inſidiis captam cædibus ac invendio vaſtarunt, Danoſque *Guſtavi Adolphi* Principis ſui ductu aliquoties male habitos coercuere, mari viciſſim ab illis victi. Sed Rex *Carolus* adverſæ fortunæ impatiens, cum Dano Regi *Duellum* litis deciſorium, quod is ſalſe eluſit, obtuliſſet, intra eundem annum, apoplexia per

irâ-

iracundiam contractâ jam pridem debilitatus & qualitercunque reſtitutus, dein relapſus in morbum intra diem quartum *Neocopiæ* deceſſit, *anno ætatis* 61. Felicior in uſurpando quam in defendendo regno.

9. Succeſſit ei GUSTAVUS ADOLPHUS magnæ ſpei juvenis, qui Danos haud modicâ clade in Hallandiâ, ductu *Johannis* Patruelis ſui compeſcuit, ipſo quidem Rege *Chriſtiano* fugâ elapſo, ſed ingente nobilium ſtrage, quam *Dani* anno ſequente. *captâ OElandiâ*, *Bornholmia*, *Elsburgo*, *Guldburgo*, *Risbyoque* notabiliter ulti ſunt. Cumque mari longe ſuperiores eſſent, Suecorum res adeò in arctum redigebantur, ut intercedente *Jacobi Regis* Legato in duram pacis conditionem apud *Knaredum* conceſſerint, quâ loca ſibi â Danis erepta, *duodecies*, *Puffendorffius* habet *decies*, *centenis Imperialium millibus* redemerunt, quod actum 19 *Januar.* 1613, Confecto pacis inſtrumento ſine præfatione, *quod Rex Danus Guſtavo, Regis titulum*, *Sigismundi reſpectu adſcribere nollet*, etiam ſine incluſione Belgarum fœderatorum, quos Suecus complecti volebat, Danus Hiſpano Regi addictior horum mentionem ferre recuſabat. Adeo res Danica tum fuit Suedicâ ſuperior! Unde factum, ut Sueciæ Rex inter alios cum *Ordinibus fœderatis* amicitiam ſtudioſe coluerit, offenſis illis Daniæ Regi, *quod is vectigalibus in Orezundico freto mercatores Belgas arbitrario modo vexaret*. Quâ de re cum & *Hanſeaticæ* civitates

que-

quererentur, anno 1613. fœdus inter has etiam Ordineſque contractum fuerat, cui ſe *Guſtavus Adolphus* adjunxit *anno ſequenti*, quod & continuatum eſt, quamdiu fortuna Suecorum ſubſtitit intra invidiæ terminos. Ferme eodem tempore *Johannes* Dux & Guſtavi Patruus, ut arctiori cum Regiâ domo neceſſitudine ſecuritati ſuæ conſuleret, filiam Caroli fratris *Mariam Eliſabethem*, diſſentiente licet Suetiæ Clero, in uxorem duxit; unde tamen non eſt orta poſteritas. Inter Polonos etiam & Suecos, *nomine ſummorum belli Ducum*, quia Polonus cum *Guſtavo Adolpho* ut Rege paciſci nolebat, induciæ biennales, duraturæ ad diem 20 Januarii 1616 factæ, ac à Regibus utrimque ſeorſim confirmatæ ſunt. Secuta pax Muſcovitica Stelboviæ inita *d.* 13. *Februarii* 1617. quâ Sueci, reſtitutis cæteris, Kexholmium, Ivanogradum omnemque Ingriam & Careliam retinuerunt, Muſcovitis à mari Balthico penitus excluſis.

C A P.

CAP. III.

De Regno Poloniæ & rebus Muſcoviticis.

PRimum *Sigiſmundo* Poloniæ Regi bellum fuit cum *Tartaris Præcopienſibus*, qui perruptis *Coſaccorum* ſtativis in *Podoliam* irruperant, lateque è caſtris ad *Leopolim* poſitis agebant prædas; donec *Zamoſcius* arte Vir & Marte clarus ingenti pugnâ victos, *Rege Tauricano* vulnere, filio ejus cæde mulctato, in fugam egit agriſque eorum per *Coſaccos* vaſtitatem & incendia repoſuit, *Moldaviæ Principem Hieronymum Mogilam*, Polonis fidum, impoſuit, Stephano priori Principe fugato primum, dein capto & palo, ut eſt earum gentium diſciplina, infixo.

2. Poſthæc Suedicæ turbæ ſucceſſere, quibus *Poloni* id primum egerunt, ut cum Sueciam ſuo Regi obnoxiam facere non poſſent, *Eſtoniam* ſaltem & *Finlandiam* ſecum conjungerent. Quâ ſpe fruſtrati Livoniam adverſus *Carolum* Suecum maſcule tutati, victoriâ tamen ad Rigam memorabili minus uſi ſunt efficaciter; ſuperveniente bello civili, inter Regem & Proceres poſt obitum Zamoſkii, Jeſuitarum fraudibus Patrias Leges ſperni conqueſtos. Primâ commiſſione *Regi* proſperè cedente, pace mox *Sendomirienſi* novis conditionibus veteres querelæ opertæ magis quam extinctæ ſunt; accedente novâ indignationis cauſâ; *quod injuſſu publi-*

co Si-

co Sigismundus, auxiliis Demetrio in Muſcoviam miſſis, Poloniam multis malis implicuiſſet.

3. Quippe *Johannes Baſilius*, de cujus immanitate dictum eſt aliàs, duos reliquerat filios, *Theodorum* & *Demetrium*, ſub curâ *Boriz Federovizii*, cujus ſororem *Theodorus* uxorem habebat, at brevi lento confectus veneno ab adfine ſublatus eſt è medio, ut quidem fama tulit anno 1597. *Demetrium* ab eodem interfectum ſatis conſtitit. Et *Boriz* ab illo tempore tyrannidem, etſi non ſine laude juſtitiæ & prudentiæ, tenuit uſque *ad annum* 1605, quo Poloni à Ruſſis quibuſdam Proceribus excitati adoleſcentem quendam ſubornarunt, qui ſe *Demetrium* Principem, tyranni gladio ſubductum, alio ſcilicet ad cædem ſubſtituto, ferebat. Hic validâ *Coſaccorum* manu contractâ, honeſtoque matrimonio ſublevatus (*Palatini Sendomirienſis* filiam duxerat *Mariam Georgiam*) Muſcoviæ fines ingreſſus, *cum paulo ante Boris in fata conceſſiſſet*, Muſcorum copias ad *Novogardiam* profligavit, iterumque *Theodori* defuncti Ducis filii exercitum devicit; ac ita effuſo populi favore, qui *Theodorum* Principem cum matre occiderunt, *Moſcuæ* receptus & *Cæſar* inauguratus eſt *Demetrius*, cujus verum nomen erat *Georgius Strepsky* Lithuanus à Jeſuitis, ut volunt, ad hanc ſcenam inſtructus.

4. Si quam feliciter fraus ſucceſſerat, tam *prudenti aſtu* culta fuiſſet, diuturnum ejus imperium eſſe potuerat. Obfuit primum *Religio*, quam

quam ille *Romanam* aperte colebat, cum Ruſſi *Græcos* ritus ſequantur. Secundum, mores diverſi & exotici cum luxu & ſuperbiâ, poſtremo *Polonorum & Jeſuitarum* potentia ac adſiduitas apud Principem. Quibus rebus brevi tantum odii collegit, ut *ſequenti anno* conſpiratione Procerum, Duce *Baſilio Zuskio*, initâ, dum nuptiæ cum *Maria Georgia* celebrarentur, in arce *Moſcuana* oppreſſus & trucidatus ſit, exuſto etiam cadavere ſparſiſque cineribus, *Conjuge* in cuſtodiam datâ, *Polonis* magno numero interfectis. Etſi verò *Suskius* Cæſar à *Ruſſis* ſalutatus Demetrii cadaver, antequam combureretur, in foro expoſuerat, quia tamen agnoſci non poterat, alius è Poloniâ prodiit (*Johannes Socolenſis* erat nomen) qui ſe *Demetrium* ex lanienâ Moſcuenſi ſervatum profiteretur, eique ſe *Maria Georgia* non ſegniter, ut marito ſuo, adjungebat. Hic igitur *Polonis* vindictæ & dominationis in *Ruſſos* cupidis ſtipatus *Suskium* in urbe *Moſcuâ* obſidebat & in poteſtatem redegiſſet, niſi *Carolus* è Suetiâ merito ſibi à Polonis rerum apud *Moſcos* potituris metuens *Jacobum La Gardianum* cum duodecim millibus auxilio miſiſſet *anno* 1608. Interea rebus apud Muſcos adeò confuſis *Sigiſmundus* Rex *Smolenskum* urbem & *Severiæ* Ducatum vi armatâ ſubegit anno 1609.

5. *Suskii* res interim, à Suecis ſtipendiorum defectu deſtituti, ad interitum vergebant, ipſique Ruſſi de novo Cæſare creando agitabant, aliis

aliis ſecundum Suetiæ Regis filium, *Carolum Philippum*, aliis *Uladiſlaum Poloniæ Regis filium* proponentibus. Dum in Suetiâ cunctantur, factio *Polonica* cum *Sigiſmundo* tranſigit, *Suskio* illi tradito, hac lege, ut Princeps *Uladiſlaus* Ruſſorum Imperator eſſet, cui fidem dedere, *Polonis urbem Moſcuam occupantibus* & novi Cæſaris præſentiam brevi promittentibus, anno 1610. *Demetrius* impoſtor à Polonis deſtitutus apud Tartaros, quo fugâ delatus erat, periit, prope *Colugam* urbem, quam tamen uxor ejus *Maria* pro filio Demetrio maſcule tuebatur; donec à *Michaele Federovizio* capta, fame enecta, filius ejus ſuſpendio necatus eſt. Dum enim *Sigiſmundus Uladiſlaum* ſuum nihilo magis, quam Sueci *Carolum Philippum* perfidæ Ruſſorum genti committere feſtinabant, *Michaël* iſte rerum potitus eſt, cæſis apud *Jaroſlaviam* Polonis, qui Mariæ Demetrii viduæ adhærebant, captâque *Muſcoviæ* arce, quam ejuſdem gentis alii nomine *Uladiſlai* tenebant & cui ut *Sigiſmundus* valide ſubveniret curam vel copiam non habuit. Poſtremò factis cum Sigiſmundo quatuordecim annorum induciis, Smolenskum & Severiam cum Novogrado & Zemaigo illis reliquit *anno* 1615. Deinceps operam dedit *Michaël iſte Federovitz*, ut populos tot malis exhauſtos otio, ſuasque vires æquabili pace refoveret; *Sigiſmundo domi ſatis impedito, nec otium ejus turbaturo.*

CAP. IV.

De rebus in Hungariâ geſtis.

DUrabant adhuc induciæ cum *Turcis* initæ anno 1584, quando hi pace cum Perſis conſtitutâ, *Wihitzi* Croatorum obſidione & occupatione in bellum eruperunt anno 1592, quo tamen à *Siſſeckio* arce invictâ fortitudine *Miccacii* Abbatis repulſi ſunt, & anno ſequente Cæſareani quinque millibus pauciores viginti millia Turcarum ad *Siſſeckium* idem, magnifice profligarunt, cæſis octodecim millibus, Chriſtianorum *quinquaginta* deſideratis, *Siſſeckio* liberato, quod tamen anno 1594. barbaris juxta alia loca ſuccubuit. Sed hanc cladem repoſuit Turcis luculenter *Chriſtophorus Teufenbachius*, qui trium hebdomadarum ſpatio plures triginta arcibus Turcis ultra annos 30 poſſeſſas ademit pagosque plures octingentis illorum tributis exemit. Sed Hatwanum & Strigonium etſi Turcarum auxilia profligaſſent, fruſtra obſederunt Cæſareani; Turcæ verò *Jaurinum*, vulgo *Raab* præcipuum Hungariæ imo Chriſtiani orbis munimentum, poſt duorum menſium obſidionem obtinuerunt, à *Ferdinando Hardeccio* Comite male defenſum & *Sinani Baſſæ* traditum, ſecus ac *Comora*, quam *Eraſmus Braunius* ita defendit, ut barbari infecta re diſcedere cogerentur. *Hardeccius dextrâ manu & capite mulctatus eſt.*

2. Non parum firmatæ ſunt *Rudolphi* Cæſa-

ris partes fœdere cum *Sigiſmundo Bathoreo*, Tranſſylvaniæ Principe, *Aarone* Moldaviæ & *Michaële* Walachiæ Ducibus adverſus Turcas inito, anno 1595. cujus beneficio *Tartari* & *Turcæ* aliquoties victi & cæſi fuere, tametſi dein *Aaroni* ſuſpecto ſubſtitutus eſt *Stephanus Roſwanus*, cui ſimiliter cum Turcis colludenti Polonus victor, ut *ſuperius* dictum, capite multato, alium ſubſtituit. *Strigonio* deinde *Matthiæ* Archiduci Cæſaris fratri, poſt cæſa *Turcarum* auxilia dedito *Kalendis Septembris*, quo die *Lippa* quoque civitas *Kyralio* Duce Turcis erepta eſt, bellum proſpere per Hungariam & Tranſſylvaniam adminiſtratum eſt; ejectis etiam *Turcis* è *Valachiâ* per *Bathoreum Tranſſylvanum*, qui tamen *anno ſequenti* à Temeswarienſi obſidione diſcedere coactus eſt: *Agria* vero, quæ & *Erla*, à Mahomete III. Turcarum Imperatore poſt obſidionem trium hebdomadarum occupata eſt, præcipitatâ per ſeditioſos milites deditione, quibus ſuo merito fidem fregit barbarus hoſtis *d.* 12. *Octobris* 1596. Duabus deinde ſeptimanis prælio ad *Kereoteſch* haud procul *Agriâ* commiſſo, Maximilianus Auſtriacus ſerò ad Agriam liberandam feſtinans victoriam inſignem prope acquiſitam, præcipiti ad rapinas diſcurſu amiſit, quo factum, ut exiguæ Turcarum reliquiæ, reliquis fugâ dilapſis, victrices Chriſtianorum legiones diſſolutis ordinibus confuſas in fugam dederint. *Evenitque eâ pugnâ res inuſitata, ut ambo exercitus, alter Caſſoviam, alter uſque Budam caſtris*

& im-

& impedimentis relictis, curſu non intermiſſo fugerint.

3. Sequenti anno variante fortuna tranſacto, accidit anno 1598. *die* 29. *Martii*, ut *Adolphus Baro Swarzenburgius* Viennæ Præfectus *Jaurinum* ſtatagemate militari, portâ per *Vabaçurtium Lotharingium* vi pulveris nitrati diſjectâ, poſt acerrimam quatuor horarum dimicationem feliciter expugnaret, *ſumma totius Europæ lætitiâ*; Quâ productus *Matthias* Budam acerrimâ cinxit obſidione, ſuburbium quoque cepit, verum ſpei irritus abſcedere coactus eſt, quemadmodum & Turca à Varadini obſidione longe majori damno & ignominia depulſus eſt. Interim *Sigiſmundus Battoreus* Tranſſylvaniæ Princeps, qui ſe Auſtriacis arctius quam neceſſe fuit conjunxerat, inconſulto quodam *impetu* vel inſtinctu *Jeſuitico* Principatum ſuum *Rudolpho Cæſari* poſſidendum & contrà Turcas tuendum permiſit, acceptis in *Sileſia* terris cum ſtipendio *quinquaginta millium Imperialium*; Sed cum duos fere menſes in illo ſeceſſu egiſſet, pœnitentiam, ut fit in melancholicis, ita eum circumegit, ut ſe rapidâ fuga rurſus in Tranſſylvaniam reciperet, ubi patruelis ejus *Andreas Battoreus* tam contra ipſum quam adverſus Cæſarem arma movit infeliciter, victus à *Michaële Walachiæ Præfecto* & in fugâ interfectus. Sigiſmundus à *Georgio Baſtâ* & *Michaele Walachiæ Præfecto Biſtriciæ* ad deditionem compulſus & in Bohæmiam deportatus ibi conſenuit; Baſta *Michae-*

lem æmulum & ſibi magis quam Cæſari ſtudentem, etſi rebus contra Turcas geſtis admirabiliter inſignem, immiſſis percuſſoribus nefariè obtruncavit & Tranſſylvanos in fidem Cæſaris accepit.

4. Cum interea Turcæ novum in Hungariam impetum pararent, & Rudolphus fratribus ſuis non ſatis fideret, Ducem *Mercurium* Guiſianæ domus invitavit ad belli adverſus Turcas Ducatum; qui *Regis ſui*, quicum nuper erat reconciliatus, *conſenſu*, cum ingenti numero voluntariorum, domi otium ferre impatientium, in *Hungariam* profectus inuſitata fortitudinis edidit ſpecimina, apud *Caniſium* à Turcis obſeſſum anno 1601. etſi hoc liberare tam parva, quam aderat, manu non potuerit, admirationi tamen fuit receſſus, quem ſalvis copiis ſuis, majori fortitudine quam multæ victoriæ acquiruntur, inſtituit; dein *Alba regali* captâ, Turcis in ſubſidium accurrentibus cæſis, emicuit anno 1602. quo Noribergæ deceſſit, emendatâ luculenter Gallicæ nationis infamiâ, pridem commiſsâ, quando præſidiarii Galli in poteſtatem redactâ *Pappâ* à Cæſare defecerant, multiſque ſceleribus perpetratis, interfecto etiam Heroe *Swârtſenburgio*, vix è fugâ ad Turcas inſtitutâ retracti debitas pœnas luerunt.

5. Sed cum idem Baſta Duceſque Cæſareani Proteſtantibus infeſti agerent, vindices libertatis prodiere *Moſes* Siculorum Præfectus, *Betlenius Gabor* Varadini Prætor & *Stephanus Botſcayns* Hun-

Hungariæ partium Comes. Sed Moſes prælio victus à Baſta brevi periit. *Gabor* eadem uſus fortuna per Tibiſcum, natando fugiens ad Turcas Budam ſe recepit. Prudentior ac felicior fuit *Botſcajus*, qui obſervato Baſtæ abitu in Hungariam, ut *Strigonio* à *Turcis* obſeſſo ſubveniret, omnem repente Tranſſylvaniam ad arma concivit & *Heiduccorum* ope Baſtæ reverſo plurimum fecit negotii, remque eo deduxit, ut pax ei, *ſub lege retinendi Tranſſylvaniam pro ſe liberiſque ſuis maſculis*, conceſſa fuerit *anno* 1606, at ſimul procurata mors ei per *Catajum* Cancellarium ſuum, quem maleficii convictum adhuc capitis ſupplicio adfecit, ipſe eum in ejuſdem exitu anni ſequutus.

6. Tranſſylvani tamen Auſtriacum Imperium peroſi *Gabrielem Bathoreum Botſcayo* ſubſtituerunt, At is minus recte conſuluit, Cæſari inimicus neque fidus Turcis & civibus ob ſævitiam exoſus, poſtremo apud *Coronam* à *Forgatſio* duce Cæſareano victus fugâ ſalutem quæſivit apud *Siculos*, ubi ſe minus gratum videns primo ad *Matthiam* Regem ſe contulit, inde rurſus in Patriam reverſus Varadini à ſuis neci datus eſt; quorum favorem & Turcarum auxilia pridem collegerat *Betlehen ille Gabor*, qui exinde Principatum & potentiam Auſtriacis formidabilem acquiſivit.

CAP. V.

De rebus Italicis.

FUndamenta quietis *in Italia* ſat ſolide pridem conſtituta, dum Hiſpani, prioribus *hujus ſectionis* annis Gallorum armis ab Italia remotis, ibi resmoderabantur,tam immota fuerunt, ut inſtituti noſtri memorabilia non multa ſe offerant. Præcipua fuit in Papatu viciſſitudo; Nam *Sixtus* V. ille vilis ortu, magnus animo & faſtu mirifico indutus, poſt *quinquennii regimen* morbo deceſſit *anno* 1590. eique ſurrogatus eſt *d.* xv. *Septembris*, *Johannes Baptiſta Caſtaneus*, qui ſe *Urbanum* dici voluit VII, ſpe factâ liberalioris & humanioris Principatus, quem indomitâ *Sixtus* ferociâ terribilem fecerat. Sed decimum tertium Pontificatus diem febri confectus habuit Supremum, non ſine gravi ſuſpicione, feſtinatos eſſe dies utriuſque Pontificis ab Hiſpanis, propterea quod & *Sixtus* primo fautor *Henoticorum* in Galliâ deinceps aliam mentem induiſſet, & quod *Urbanus* in eâdem ſententiâ fuiſſet. Succeſſor fuit *Nicolaus Sfondratus Mediolanenſis*, qui *Gregorii* XIV. nomen adoptavit & Hiſpanis obnoxius vixit; Sed intra vertentem annum vitam finivit, annum dirâ fame primò, dein peſte gravem Italiæ. Brevi illo tempore, ſe ardentiſſimum factionis *Henoticæ* in Galliâ Patronum demonſtravit, plus *quinquies centenis aureorum millibus* ex ærario, nec modicâ de ſuo

pecu-

peculio ſumma in id bellum erogatâ; quâ profuſione *Sixtus* etſi diris ac anathematis in Borbonios, factionem egregie ſuſtentaverat, abſtinendum arbitratus erat. Electus in ejus locum *Johannes Antonius Fachinettus Patriâ Pedemontanus* ſub *Innocentii* nomine *Bimeſtrem Pontificatum* egit, eoque tempore conatus *Hiſpanorum* in Galliâ, quantum potuit, promovit. Illi poſt acerrimum ambitionis certamen ſucceſſit *Hippolytus Aldobrandinus*, qui *Clementis* VIII. cognomen adſcivit, electus *d.* 30. *Januarii* 1592. & in quo Pontificia dignitas adhuc quaſi *fugitiva* moram fecit longiorem & ſub quo bella civilia Gallorum, *Henrico Rege cum ſede Romana reconciliato*, quod cum hoc Papâ tranſactum, ſublata & extincta ſunt.

2. Hujusetiam tempore contigit mutatio *Ferrarienſis Ducatus* per mortem *Alphonſi II.* Ducis *Ferrariæ*, *Modenæ & Regii*, in quo deſiit maſcula ſtirps & Legitima domus *Ateſtinæ.* Pertinebat autem directum *Ferrariæ* dominium ad ſedem Romanam ex donatione *Mathildis* matronæ potentis olim in Italia & *Hildebrando* ſive *Gregorio VII.* Pontifici penitus addictæ, *circa annum* 1077. Utile vero dominium ſive feudum illius Ducatus ab eo tempore *Ateſtini* Marchionum & *poſt annum* 1471. *Ducum titulo poſſederunt.* Alphonſus ille natus ex *Hercule II.* & *Renata Francica Ludovici* XII. *filia*, cum ſe videret orbum, id egerat, ut *Cæſar Ateſtinus* agnatus ſuus ſibi ſuccederet; fruſtra apud Curiam

Romanam, quæ Cæſaris Patrem pro naturali progenie *Alphonſi I.* habebat. Sed ab Imperatore *Rudolpho* reſpectu *Modenæ & Regii*, pecuniâ obtinuit, quod jus & ratio impetrare non poterat. Inveſtitus eſt Cæſar illis Ducatibus & Principatu *Carpienſi* aliisque terris ab Imperio dependentibus & adverſus Papam ejusque excommunicationes vi ſe tueri in animum induxit, ſavore fretus Venetorum & Hiſpanorum. At cum Galliæ Rex *Henricus* Papæ cauſam ſuſciperet, animadvertens ſuos amicos tantam belli molem ſuâ cauſa non toleraturos, pactus eſt, ut perceptis domus Ateſtinæ bonis allodialibus Ducatum Pontifici remitteret, quemadmodum *exinde Ferraria Sedi Romanæ ſubjecta manſit*; Cæſar autem *Modenæ Regiique Ducatum* ad poſteros ſuos, à quibus hodieque poſſidetur, tranſmiſit ab anno 1598. Proximum huic mutationi fuit, occupatum ab Hiſpanis Finalium in mari Liguſtico portus, Comiti Fontano Mediolani Gubernatori traditum à præſidiariis, quibus *Alexander Caretta* loci dominus in re tenui, extremâ ſenectute minus prompte ſatisfecerat. Ipſi penſione pecuniariâ è *regno Neapolitano* qualitercunque ſatisfactum. Hæc res advertit animos oculoſque Italiæ in conatus *Hiſpanorum*, *anno* 1602.

3. Sed *Clemens* cum per annos tredecim Sedi Romanæ præfuiſſet, cum laude moderationis etiam adverſus Proteſtantes, nimio circa quæſtiones de Gratia ſtudio, ut ajunt, febri contractâ ſupre-

ſupremum diem clauſit *anno* 1605, ſuper cujus ſucceſſione vehementer æſtuatum eſt. Duo celebres Candidati *Cæſar Baronius* & *Robertus Bellarminus* parum ab electionis prærogativâ abfuerunt. Sed Baronius ab Hiſpanienſi factione, quod in annalibus ſuis *Hiſpanorum juri in Siciliam derogaſſe videbatur*, excluſus eſt; *Bellarminus* à *Montaltinis* Cardinalibus Sixti V. creaturis impeditus eſt; accedente hac ratione, quod reliqui Jeſuitas pridem nimis potentes, Papatu in ordinem illorum collato, non immerito extimeſcerent. Ergo in *Alexandrum de Medicis* virum egregium ſed valetudinarium ſenem votis inclinatum eſt, qui *cis menſem* eligentium expectationem & fatum implevit. Eique ſatis prompte ſurrogatus eſt *Camillus Borgeſius Senenſis*, qui *Pauli V.* titulum adoptavit. Eodem tempore *Fontanus Comes* munimentum ſui nominis ſtruxit apud os *vallis Tellinæ*, quod juxta *Finalium* haud temere *compedes Italiæ* vocabat; quia ſicut per *Finalium* liber aditus mari ex *Hiſpaniâ* patebat in *Italiam*, ita per *vallem Tellinam* habebant exitum in *Germaniam* & communicationem tutam cum ditionibus *Auſtriacis*. Quæ res deinde lento licet initio, graves edidit tumultus motusque bellorum.

4. Sed novus *Pontifex* incidit in gravem *cum Venetis* litem, cujus heicſummam collocabimus. Senatus *anno* 1602 Eccleſiaſticos à prælationibus emphyteuticis quocunque titulo excluſerat. *Anno* 1603 prohibuerat templa, conventus, hoſ-

pitalia condi *abſque venia* Senatus. *Anno* 1605 renovarat Edictum de *bonis immobilibus Eccleſiis non relinquendis* abſque decreto Senatus: Supplicio adfecerat Canonicum ſtupratæ & jugulatæ undecim annorum puellæ convictum, duoſque alios ob delicta communia in carcerem conjecerat, quos Paulus dimitti & decretum *anni* 1605 aboleri volebat. Cum Senatus non pareret, Edicto idem illis præcepit, ſub *pœna excommunicationis & poſt* 24 *horas contumaciæ* univerſam Rempubl. *Sacris intredicebat*, incitatus ad hoc à Cardinalibus, ut Mezeræus ait, quo ſenex curis confectus citius loco cederet. Adhæc Edicta primo bellum fuit literarium inter *Bellarminum & Baronium* pro Papâ, *Paulum Soavem* & *Fulgentium* Servitam cum *Johanne Marſilio Neopolitano* pro Venetis, qui inter alia probabant, decretum de rebus ſoli non conferendis in Eccleſias, eſſe vetus, jam olim à ſeſe, à *Valentiniano & Carolo Magno & Quinto Imperatoribus*, à Regibus Galliæ inde à *Ludovico Sancto* uſque ad *Henricum III* & ab *Eduardo III Angliæ Rege* publicatum & obſervatum. Bellum atramentarium ſequebatur aliud cruentum, niſi tam *Hiſpani* quam *Galli*, qui copias auxiliares utrique *Paulo* offerebant, bonâ fide paci operam dediſſent, quando neutrius tum quidem rationes bellum in Italia ferebant. Conditiones fuere, Traditio *captivorum in manus Pontificis &* promiſſio de non exequendis decretis à parte Venetorum, juxta revocationem Eccleſiaſticorum, qui propter ob-

obſequium Pontifici in illa cauſa præſtitum, è ditione Venetorum abierant, *exceptis Jeſuitis*, quos Senatus nullo modo revocandos putavit *anno* 1607. Biennio poſtea *Ferdinandus* Hetruriæ Dux mortuus locum fecit *Coſmo* II. filio ſuo, qui Principatu jam ſtabilito & fortunâ poſt varios inſultus domui Mediceæ placatiore factâ, ſine ulla notabili mutatione tenuit imperium totâ Italiâ florentiſſimum.

5. Factum eſt interea, ut altiores *Italiæ* turbarum cauſas ſenſim colligeret; Præter *Finalium* captum & *Vallis Tellinæ* munitionem, de quibus *ſuprà*, mors *Franciſci Gonzagæ Mantuæ Ducis* longævæ pacis fundamenta ſubruit. Nam etſi fratrum ejus *Ferdinandi* & *Vincentii* jus in Mantuam, feudum maſculinum, Filiæ ipſius Mariæ in Montis-ferrati Comitatum eſſet indubitatum, *Carolus* tamen *Immanuel* Sabaudiæ & Pediſmontium dux, *cujus animus longe major erat quam ditio*, quæ contigerat, ad veteres in *Montis ferrati* ſucceſſionem prætextus, novas de dote filiæ ipſius *Margaritæ*, *Franciſci* ducis viduæ, litis cauſas commentus, illum Comitatum ſubitis armis invaſit *anno* 1613 quem *Ferdinandus* habens in cuſtodia *puellam Franciſci* heredem, huic, id eſt, ſibi vindicabat. Commota eſt omnis *Italia* ad extinguendum hoc incendium, auxiliis *Mantuano* ſubmiſſis, tam à *Venetis*, etſi *Uſcochorum* in Iſtriâ prædonum bello diſtractis, quam à Duce *Florentino* & imprimis ab *Hiſpanis*; qui poſt diuturnam cunctationem & pacis ineun-

ineundæ tractatus, ad arma tandem eruperunt, victo gravi clade Sabaudo apud *Aſty anno* 1615. Quam brevi ſequuta pax *interventu Galliæ Regis & Venetorum*, in eadem urbe compoſita, Sabaudiæ ducem obligavit ad reddenda quæ Mantuanis ademerat ſuaque *jura Cæſaris arbitrio* committenda: Ipſi viciſſim cuncta forent integra dotemque filiæ ſuæ reciperet; ſecuritatem ei ſpondebant mediatores, *ſi forte Hiſpanus non ſtaret pactis*, quemadmodum uſu venit. In *Hiſpania* quippe pax Aſtienſis, tam recenti victoriâ nec honorifica ſatis nec utilis viſa & improbata fuerat. Proinde cum *Mendozæ* Gubernatori ex *Hiſpania* ſubmiſſus eſſet *Petrus Toletanus* & hic alias neque ferendas *Sabaudo* leges urgeret, ad arma reditum eſt, crudelius & infeſtius quam pridem, *Venetis Sabaudo*, *Hiſpanis* ſuppetias *Mantuano* ferentibus; *Vercellas* præcipuum Pedemontii munimentum *Hiſpanus*, Mediolani quædam loca *Sabaudus* occupavit, Vaſtationes & clades utrimque multiplices, donec partibus defatigatis, eum quem pleraque bella ſolent, exitum habuit, reſtitutionem eorum quæ utrimque capta fuerant, & pacem Madriti compoſitam *d.26. Septembr.* 1617 Quâ poſita quoque ſunt arma inter Auſtriacos & Venetos occaſione *Uſcochorum* in Iſtriâ, quorum patrocinio illigatus erat *Ferdinandus Auſtrius*; prædonibus ea pace nocendi facultate, *cum aliud nihil haberent*, ademtâ. Galli, cum Italiæ labores diu quieti adſpexiſſent, hoc tempore, ſublato *Ancræo*, qui ſub Regina matre

cun-

cuncta rexerat & Hiſpanis ſubſerviebat, his motibus & pacis tractationi validius ſe miſcuerant. Veneti etiam à Belgis foederatis mille trecentos milites ſelectos auxiliares accepere, qui in alio ſolo & coelo morbos quam hoſtes infeſtiores habuerunt. Hiſpani hanc utriuſque Reipubl. conjunctionem ægerrime ferentes, Venetos mirificæ *impietatis apud Papam* imprimis arguere; obliti Carolum V. Hiſpaniæ Regem Lutheranos ad ipſam urbem Romam oppugnandam adduxiſſe & ſpoliaſſe expugnatam. Ab iiſdem compoſitæ adverſus urbem *Venetorum* inſidiæ, quibus aliquot ordinum ductores militarium, *adſcitis in conſcientiam ſeptingentis hominibus aliiſque mille extra urbem diſpoſitis*, Magiſtratus & primores ſenatus occidere, urbem incendere, ſpoliare decreverant. A conſciis quibuſdam detecti conatus nefarii plurium ſuppliciis expiati ſunt.

CAP. VI.

De Monarchia Hiſpanica.

H*Iſpaniam* reliquimus in luctu graviſſimoque ſenſu cladis ex infelici *expeditione Anglicana*, quâ fortuna *Philippi* prudentiæ & diu coctæ ſpei acerbè inluſit. Quemadmodum hæc non minima Hiſpanicæ magnitudinis labefactandæ cauſa fuit, quod cum mari partes Monarchiæ ſuæ connectere debeat, plerumque maritimis expeditionibus infelix fuit. Cujus novum ſpeci-

ſpecimen ſuſtinuit anno 1596, *menſe Julio*, quando Angli *Eſſexio* Duce, non modo claſſem Hiſpanicam, ſexaginta navibus parte fere dimidiâ bellicis, conſtantem incenderunt aut ipſos incendere coëgerunt: ſed etiam *Gades* urbem, Regis *Hiſpaniæ* armamentarium, in quo facile pars tertia virium ejus maritimarum cuſtodiebatur, occuparunt & incendio vaſtatam dereliquerunt. Quod detrimentum Rex, convocatis omnium regnorum *Ordinibus*, magnâ contributionum vi ſarcire conatus eſt, quando noviſſima clades ultra *quatuordecim milliones* ducatorum abſtuliſſe diceba-tur. Interim Gallicarum rerum Hiſpanis nata eſt occaſio, Rege *Henrico III.* trucidato omnique regno factionibus & bellis ſciſſo inteſtinis. Quæ *Philippus* inde ab initio, ſi valida *Henoticis* auxilia miſiſſet, oppreſſo *Henrico*, ſedare poterat. Sed intererat ejus, durare turbas & Galliam ſuis viribus conſumi, quo facilius ipſe eam vel totam, filiâ ſua Regi alicui datâ, vel partem, Galliâ in Principatus divisâ, ſubigere poſſet. Quomodo etiam hac ſpe, poſt immenſam auri vim effuſam exciderit, *in Gallicis* videbimus.

2. Sed & in Arragoniæ regno notabilis etſi brevis acta eſt tragœdia, cujus exitus fuit ſanguinolentus & exitium *antiquiſſimæ libertatis Arragonicæ gentis*, quæ Reges ſuos olim habuerat electivos, *ſub lege Commiſſoria*, ni leges Regni ſervarentur, quæ duæ potiſſimum erant; una *Manifeſtationis*, altera *Unionis dicta*. Priore conſultum erat populo *adverſus injurias Procerum & Regis ipſius*; qui ſu-

ſupremo judici, *Juſtitiæ dicto*, *cum* XVIII. *Adſeſſoribus* ſubmittere ſe deberet. Altera lex *Unionis* dabat jus populo ſe conjungendi adverſus Regem, eique, ſi leges violaret, reſiſtendi, quin & alium creandi, *ſine rebellionis nota.* Quanquam autem regnum deinde factum eſt ſucceſſorium, Leges tamen illæ nunquam mutatæ fuerant; ne quidem *Ferdinandus Catholicus*, etſi potentiſſimus, abrogandis illis operam dare voluerat. Confugerat ad hoc ſupremum *Juſtitiæ* Collegium *Antonius Perezius* Regius Scriba, qui olim *Johannem Eſcovedum*, *Johanni Auſtriaco* à *Secretis*, percuſſoribus immiſſis juſſu Regis interfecerat, ejuſque amoribus apud *matronam principem Ebolienſem* ſerviverat. Poſtulatus ab *Eſcovedi* Propinquis *Perezius* à Rege auctoritatem defugiente ita protectus erat, ut magis à ſupplicio quam à carcere multorumque annorum vexatione liberaretur. Quo tempore cum nec Regem *abſolvere* ſuſpectum nec etiam *accuſare* vellet, in hujus tandem incidit indignationem, quâ *de reſunt longi logi*, in *relationibus* à Perezio deinceps editis. Cum videret hoc agi, ut ipſe Piaculum fieret, evaſit in *Arragoniam*, ubi populus & Judices ejus patrocinium ſuſceperunt adverſus *Inquiſitores*, qui ad nutum regis eum ad ſuam cognitionem & cuſtodiam rapiebant. Quod plebs non ſine tumultu & ſanguine, duce Julio de Mezâ, prohibuit, *cæſis uno tempore quinquaginta vel* LX *hominibus*, CL *vulneratis*. Et cum intelligerent, exercitum

è Ca-

è Caſtilia ſibi imminere, Conſilio publico factâ Unione, arma pro libertate ſumpſerunt, *Perezio* cum Mezâ fugâ ſe in Galliam ac inde in Angliam recipientibus. Sed exercitu Arragonio fidis & ſtrenuis carente ducibus, antequam in hoſtium conſpectum veniret, dilapſo, Philippi Duces in urbem ingreſſi crudeliter in præcipuos conſuluerunt, ſummo *Juſtitiæ* præſide cum aliis pluribus capite mulctatis, juſſu Regis, ſine cauſæ cognitione, tali chirographo Vargæ duci miſſo; *Hoc viſo, capies Dom. Johannem de Nuca, ſummum Arragoniæ Judicem, & curabis mortem ejus ſimul ac prehenſionem intelligam.* Ad hoc exemplum reliqua peracta eoque modo *Legibus Arragonicis parentatum*, *anno* 1592. Quod imperioſæ Philippi naturæ tam opportunum accidiſſe viſum eſt, ut non defuerint, qui occaſionem illam adfectatam aut cupide ſaltem arreptam arbitrati ſunt.

3. In *Gallia* rebus interim pro *Henrico IV.* ſtabilitis, hic bellum Philippo, quem infeſtiſſimum expertus erat hoſtem, indixit *anno* 1594, quod in Belgica maxime geſtum ad caput *Gallicarum* rerum pertinet. Quanquam autem in hac commiſſione res *Hiſpanica* ſuperior fuerit, ſenectus tamen & infirmitas *Philippi* non addidit debitum armis vigorem; & dum Gallos in arctum redigebat, *Belgæ foederati* res ſuas mirifice augebant & ſtabiliebant, ipſe infinitis ſumptibus, etiam pecuniæ, qua licet ditiſſimus, ſæpe laboravit, inopiâ, foro cedere & aurum argentumque *Americanum* omne mercato-

catoribus, ad quos plerumque pertinet, ademptum, ſibi vindicare inſtituerit, *mirificâ rei Collybiſticæ in Europa confuſione*, ſuæque fidei in futurum detrimento; Cui ipſe dein remedium adhibere coactus eſt: accidit *anno* 1597.

4. Porro cum Belgas rebelles vi & armis frangi non poſſe videret, rationem quâ *ſine armis illos flecteret*, ineundam putavit. Habebat filiam formâ & ingenio excellentem *Iſabellam Claram Eugenia* ex Iſabella Francicâ natam, quæ *Rudolpho* Cæſari negata, Gallis, cum de regno ambigeretur, oſtentata fuerat. Quâ ocaſione amiſſâ, ſtatuit eam collocare *Alberto Auſtriaco* Rudolphi Cæſaris fratri, cujus ingenium & mores, quibus *Philippum* enixè imitabatur, admodum probabat, cum dote *Burgundiæ* & *Belgicarum nationum*, ſub lege *revertendi*, deficiente prole, ad Hiſpanos, cum ſpe reconciliandi foederatos, qui Hiſpanicæ dominationis odio ad defectionem incitati, *reducta principatus antiqua ſpecie* ad commune Belgicæ corpus redituri ſperabantur; Quod ante viginti annos inſtitutum forte non fuiſſet incaſſum; Nunc corroborata *vetuſtate libertatis* adſvetudine fructum non tulit.

5. Quo major eſſet facultas vim ſuaſionibus addendi, id actum à Philippo, jam pridem pecuniis & fide conſumptis, ut pax cum Gallis non minus defeſſis coiret, quemadmodum inita eſt *Vervini* in Picardiâ, menſe Junio *anni* 1598. fundata ſuper pacem Caſtro-Cameracenſem ante 40 annos compoſitam, redditis quæ noviſſimis

 bel-

bello utrimque alterutri ademptafuerant. Ejuſdem anni menſe *Septembri*, *Philippus* Rex in aulâ *Eſcuriali*, quam ipſe inuſitata *tum temporis* magnificentiâ ædificari curaverat, deceſſit morbo notabili: Hecticâ febri doloribuſque conſumpto *arthriticis*, poſtremo ſanguinis acrimonia erupit in ulcera toto corpore diffuſa colluvieque referta *pediculari*, cum adſiduo acerrimoque *pruritu*, *ſatyriaſmo & foetore intolerando*. In quibus ut digitum Dei nemo non animadverteret, ipſe patientiam & conſtantiam mente immotus exhibuit inconcuſſam, *mortuus d.* 13. *Septembris anno* 1598 *anno* regni 43 ætatis LXXIII. Princeps ingenio & prudentiâ ſui temporis Primus, comparatione tamen Principum *alibi toto orbe imparium* illuſtrior; Patri gravitate judicioque par, opum vi ſuperior, virtute, ſtrenuitate fortunâque inferior; Conſtantiam, quâ virtute ſibi maxime placuit, *in pervicaciam* corrupit, maxime in *religionis negotio*, probatâ ſuo exemplo *Maximiliani I. ſententiâ*, Qui *imperium in animos adfectant*, *eos invadere coelos & amittere terras*; ut nominatim in *Belgica* expertus eſt; cujus perditio vires monarchiæ illius ita ſubruit, ut nulla evidentior *ruinæ Hiſpanicæ* cauſa extiterit. Cæteroquin egregiâ morum viâ exemplum Principibus rarum exhibuit, multus laborum, parcus voluptatum; etſi non penitus illarum expertem vixiſſe mors Eſcovedi & Perezii relationes fidem faciunt.

6. Succeſſorem reliquit PHILIPPUM filium

ejus

ejus nominis III. *vigeſumum ætatis annum agentem*, ingenio imbecillem, alieni totum conſilii; Quod *malum ingens illud monarchiæ corpus ab illo tempore ſenſim labefactavit*; imprimis quod vel judicii ſui vel fortunæ errore non inciderint in miniſtros, qui ſuas utilitates cum optimo Regio conjungere potuerint, qualis primo vim principatus occupavit *Lermæ* Dux; qui ſuæ fortunæ cauſa *regiam dignitatem* exponere nunquam dubitavit; ut oſtendit anno 1601, quando rixâ inter utramque Coronam, *ſuper injuria legato Gallico Madriti illatâ*, Gallorum minas interceſſione Pontificis, nimia ſubmiſſione amolitus eſt. Nec ſcio an eidem cauſæ adſcribenda ſit facilitas Hiſpanorum ad inducias cum Belgis foederatis *tanquam liberis & ſui juris populis* ineundas *anno* 1509 de quibus in Belgicis agendum; niſi quod conſtet, Hiſpanos & pecuniis exhauſtos fuiſſe & Indiis metuiſſe Occidentalibus, quas vocant, ut in Orientalibus ingens jam detrimentum acceperant: Quin nec ipsâ in Hiſpaniâ ſatis erant tuti, ſiquidem in portu *Gibralterano* ſub Arcis & machinarum tutelâ, claſſis eorum, *Belgicâ* magnitudine numeroque navium & militum longè inſtructior, *ab hac* tamen, *Heemſkerkio* duce victa maximâque parte perdita fuit, Præfecto ipſo claſſis illorum *Avila* cum prætoriâ ſubmerſo, *duobus & ultra millibus occiſis*, ſummo totius Hiſpaniæ luctu & terrore: Belli facinus extremæ ferociæ Paucisque in veteri novaque hiſtoria comparandum! *Heemſkerkius* ipſe

 ini-

initio pugnæ crure tormenti ictu eliſo, non deſiit incitare ſuos neque mors ejus vim ſociorum deterruit die 25 *Aprilis* 1607. Fuerat hæc etiam cauſa deſiderandæ pacis aut longi temporis induciarum cum *Belgis*, quod otio illos in mollitiam aut diſcordias conceſſuros & poſtea ſuis armis opportunos fore ſperarent, quod haud temere præſumptum poſtea docuit eventus.

7 Interim Gallia ſub *Henrico* IV. Rege magnanimo viribus & auctoritate creſcebat, dum *Hiſpania* ſub Rege aliis obnoxio *divulſam magnitudinem ſuam* ægre tuebatur, eoque res ſpectabat, ut *monarchica dignatio ab Auſtriacis ad Gallos tranſitura videretur*; labefactatâ etiam in ſeſe nuper Hiſpaniâ, immani exilio Mauris indicto, qui adhuc ad numerum duodecies centum millium illic ſupererant, duriter habiti & coacti ejurare *Mahometiſmum*, quem aut *Judaiſmum* ſecreto exercebant & poſt ultimas rebelliones ſæpe conati erant reſurgere, imploratis etiam exterorum auxiliis, *Gallorum & Turcarum*, denique cædem *omnium Chriſtianorum*, ut fama erat, aliquando moliti. Quare decretum, omnes cum uxoribus & liberis Hiſpaniâ exigendos, auro, argento, gemmis omnibuſque rebus ſoli ſpoliatos. Quod executioni datum *anno* 1609. incredibili deformitate ſævitiæ, *detractis miſeris è domibus ſuis, è templis & altaribus*, etſi monachi, ſacerdotes aut regis miniſtri eſſent, devecti in transmarinas regiones plerique miſerè perierunt, exoſi Chriſtianis *ut infideles*, Mahometa-
nis

nis ut *Chriſtiani*, vix quartâ parte à Turcis ſervata. Hæc inhumana exoneratio juncta perpetuis Hiſpanicæ juventutis in Indias aliaſque diffuſæ monarchiæ ditiones itineribus & delectibus, *Hiſpaniam* olim frequentiſſime habitatam fecit *deſertam & incultam*, inreparabili damno.

8. Aliquantiſper tamen repentina morte Galliæ Regis *Henrici*, Hiſpania denuo ſublata *domuſque Auſtriacæ* terror redintegratus eſt *ab anno* 1610 Reginâ Galliarum, *vidua* & *Ancræo Marchione* ſuam dominationem ſub Hiſpanicæ auctoritais umbra tueri ſatagentibus: Quæ res Hiſpanis *ad Italiam arctius comprehendendam* & Auſtriacas *Germaniæ* ditiones cum Hiſpaniâ validius connectendas excitavit, qua de re dictum *in Italicis*. Quod conſilium duplici matrimonio *Iſabellæ Franciciæ* cum Rege *Philippo III & Annæ Mariæ Mauritiæ* Infantis Hiſpanicæ cum *Ludovico* XIII. firmatum & conſolidatum eſt, donec à parte *Germaniæ* primo, dein & è *Galliâ* res à contentione in bellum erupit atrociſſimum, de quibus *ſectione ſequenti*.

9. Luſitania interim ſive *Portugallia*, quæ olim articulum in Hiſtoriâ ſeparatum faciebat, reliquæ juncta *Hiſpaniæ* magnitudinem ejus & ſuis & Indiarum opibus plurimum ſublevabat; *Sebaſtianum* Regem ultimum in *Africa*; juvenem periiſſe, diximus antea. Accidit autem anno 1598 ut quidam ætate quâ fuiſſet *Sebaſtianus*, *ſe primum Venetiis profiteretur Sebaſtianum* è Maurorum manibus ſingulari caſu elapſum, multa-

que veriſimilitudine, *nativis etiam corporis notis* adfirmationem ſuam confirmans & ad interrogata, quæ à *Senatu Veneto* ei propoſita fuerant, exactè reſpondens. Flagitante tamen *Hiſpani Regis* Legato captus & poſt biennium *ex Veneta ditione* relegatus eſt; ab *Hetruriæ* Duce Romam vadens iterum captus & Hiſpanis traditus ab illis tonſus & perpetuo carceri mancipatus eſt, remanente atroci fama apud Luſitanos, pro ſuo affectu indubitatâ, *fuiſſe verum Sebaſtianum*, quod alioquin Hiſpani illum ſupplicio, ut poſtea fecerunt in alio, qui ſeſe eundem mentiretur *Sebaſtianum*, apud inſulam *Terceram*, adfecturi fuiſſe viderentur.

CAP. VII.

De rebus Galliæ uſque *ad pacem Vervinienſem.*

Annus ſeculi XVI, *octavus ſupra Octuageſimum*, mirificis Aſtrologorum prædictionibus inſignis, nihil tamen habuit notabilius quam cladem *Hiſpanicæ claſſis* & cædem *Guiſii Ducis*, initiumque novarum *in Gallia* turbarum. Tantus enim amor Ducis, tantum *Henrici* Regis odium & contemptus invaluerat, ut *Pariſienſes* & præcipuæ aliquot Regni civitates ſe incontinenti Regis Imperio ſubducerent, juxta reſponſum Facultatis Theologicæ Sorbonenſis, hoc tempore editum, *Francos eſſe liberatos ſubjectione jurata Henrico Valeſio & juſta eſſe arma belli adverſus eum ſuſcipiendi.* Quo publicato *Henotici*

Pa-

Pariſiis Præſidem Senatus *Achillem Harlæum*, alioſque Regi addictos, carceri incluſere, ſeque ad bellum cum Rege gerendum compararunt. Quibus ſi Rex ſtatim ſe totis viribus oppoſuiſſet, plerique ita exiſtimarunt, *factioſos opprimi potuiſſe.* Mollities otio & luxu corrupta non tulit promptum remedium, nec idcirco impedire potuit urbium præcipuarum defectionem, nec quominus *Dux Mayenenſis* Guiſiii frater à Pariſienſibus univerſaque factione *Legatus* ſupremus *Reipubl. & Coronæ Francicæ* crearetur. Id enim maluit eſſe quam Rex, quod ut eſſe poterat, ita manere non potuiſſet. Uſus eſt *Sigillo Liliorum* ſub ſigno *throni vacantis*, cum hac inſcriptione, *Sigillum Regni Francici*; Dum interim rex *Navarræ* bellum feliciter in *Aquitania* adminiſtrabat. Cui Rex non modo reſiſtere non potuit, ſed etiam coactum ſe vidit cum illo conjungere vires, ut Henoticis pariter obſiſterent. Quod ut vires ejus augebat, ita bellicum reliquis ſtatum inreconciliabilem fecit. Amiſit eodem tempore matrem ſuam *Catharinam* de Medicis tot malorum Galliæ auctricem, die 5 Januarii 1589. eo redacta, nullum ut ſui uſum videret, hoſtemque ſuum capitalem *Henricum Navarræum*, ſucceſſioni proximè admotum eſſe cruciaretur.

2. Sed primæ armorum expeditiones Regi feliciter ceſſere apud Turones & in Normandiâ; quibus factum, ut pleraque *Nobilitas exoſa Democratiam* pleriſque *Henoticis* propoſitam illi ſe conjungeret. Qui mox Helvetiis & Germanis

auctus exercitum habens cum Navarræo prope *quadraginta millium*, obſidione Lutetiam cinxit eaſque brevi ad anguſtias redegit, ut *Dux Mayennenſis* eruptione deſparata ſe ſuoſque eripere cogitaret, quando Rex Henricus III. ſperans ſe, Pariſiis captis belli compendium eſſe facturum, apud Fanum Claudii à monacho *Jacobino*, cui nomen erat *Jacobo Clementi*, à concionatoribus heroicis inſtigato interfectus eſt. Simulaverat ille, ſe literas ab amicis Regiis ex urbe ſcriptas cum mandatis traditurum. Quo commento admiſſus lectioni intento Regi cultrum è manica ſua prolatum in ventrem impreſſit: *ipſis Kalendis Auguſti*, unde poſtridie, parricidâ in ipſo facinore imprudenter occiſo, deceſſit *anno regni* 16, *ætatis* 40. *ſine liberis*. Ita domus *Henrici* II. quatuor ſubnixa filiis adultis, patri ſuperſtitibus, deficiens locum fecit *ſtirpi Borboniæ*, in quâ jus primogenituræ habebat HENRICUS Rex *Navarræ*, licet ultra decimum gradum ab ultimo Rege remotus, ſed jus ſucceſſionis in regno *Franciæ* ad agnatos proximos extendi *in infinitum* non dubitabatur. Obſtabat religio, quando *Pontificii* Regem nonniſi *Catholicum* admitti poſſe contendebant. Dux *Mayennenſis* ipſe non audens uſurpare nomen Regium, cujus vim tenebat, juſſit proclamari Cardinalem Borbonium *Henrici* IV. Patruum, ſed ejus Patre *minorem natu*, ſub nomine *Caroli* X. quod exinde nummis cuſis atque Edictis aliquandiu præpoſitum legitur. Ipſe adhuc captivus à Rege tenebatur.

3. Par-

3. Partes ita comparatæ erant. Plebes & magnæ civitates, *exceptis Burdigala & Reneſio*, cum ordine Eccleſiaſtico, pro *Henoticis*, juxta *Papam*, *Regem Hiſpaniæ* & reliquos Principes Pontificios, exceptis *Venetis* & duce *Florentino*. Pro Rege *Henrico* præter exceptos, pleraque *Nobilitas*, *vetus aula* & Coronæ miniſtri, juxta *Reformatos* cum ſuis veteribus ac induratis cohortibus, ad omnia paratis pro *Rege ſuæ Religionis præſtando*; Foris aderant his Proteſtantium Principes & populi. Vires inter ſe non erant comparandæ; ſed quod Regiis deerat à robore, ſupplebat *auctoritas*, vigilantia & fortitudo Regis; *Mayennenſi* ab alterà parte deerat auctoritas, induſtria & celeritas, diutius *ad menſam* commorari ſolito, quam Rex *in lecto*. Sed hic proſperis aliquot in *Normandia* ſucceſſibus ad obſidionem *Rhotomagi* provectus, longe majori à *Mayennenſi* exercitu coactus erat ſub muros *Diepæ* ſe recipere, ubi tam arcte incluſus erat, ut *Mayennenſis* uſque in *Hiſpaniam* ſcriberet, ſe *Bearnenſem* Principem; aliter Rex ab inimicis non vocabatur; ad deditionem vel ad præcipitium eſſe coacturum; *Pariſienſes* ita credebant: Et tamen conſtantiâ & dexteritate ſua Rex inde ſe amolitus, *Lutetiam tanta vi invaſit*, ut parum ab urbe capienda abeſſet. Ita exiit annus 1589.

4. Martio menſe *ſequentis anni* cum Rex obſideret *Drotium* in Normandiâ, Dux habens *equitum quatuor*, *peditum* decem millia profectus ad ſuppetias, coactus eſt cum Rege licet

ſæ; Regia *Catholicis* & *Reformatis*, Henotica *Mayennenſibus* & *Hiſpanicis.* Dux *Mayennenſis* vim regiam ſibi, regnum vero unitum & Regem è Francis eligendum volebat; Hiſpani vel regnum volebant divulſum in Principatus & civitates liberas, *ut eſt Germania*, vel Regem, qui duceret *Infantem* Hiſpanicam *Iſabellæ Franciscæ filiam* & regii ſanguinis proximam. His favebant *Sedecim Viri*, id eſt, Demagogi factionis henoticæ, ita dicti, quod Collegium haberent *è Sedecim Lutetiæ regionibus* collectum. Hi verò quo cuncta ſuo arbitratu liberius agerent, Barnabam *Briſſonium* primum & duos alios magni Senatus Præſides tumultuario, quaſi ob ſtudium in Regem condemnatos, in carcere *Caſtelleti* à trabe ſuſpenſos necarunt, Briſſonio fruſtra gratiam carceris, dum opera quædam Juris abſolveret, implorante: ſed *Mayennenſis* brevi poſtea reverſus *Pariſios*, hujus violentiæ auctores ſummo ſupplicio aut exilio mulctavit & conventicula interdixit. Quæ res ut ipſius auctoritatem ad tempus ſtabilivit, ita partes *Henoticas* labefactavit. Cum interea Rex obſideret *Rhotomagum*, *Parmenſis* iterum *in Galliam* reverſus urbem liberavit, & Rex in *Campaniam* digreſſus obſidens *Eſpernaum*, amiſit illic *Bironium*, prudentiâ fortitudine & auctoritate primum, Religionis affectu Reformatæ, Catholicæ ex ambitione, *quod Galli ſcribunt*, majo menſe 1592. herede fortitudinis & dignitatis paternæ magis quam prudentiæ *Carolo Gontaldo filio.*

6. Sed

6. Sed Confuſiones Partium *intra ſe* non minores quam *contra ſe invicem* initio *anni* 1593. ad extremum venerant; quando *Ordines* regni *Generales* conveniebant *Lutetiæ*, auditâ prius concione *Gilberti Genebrardi*, demonſtrantis *Legem Regni Salicam eſſe poſitivam, quæ Legiſlatoris, id eſt, populi Gallici in Ordinibus ſuis repræſentati arbitrio mutari poſſet.* Ergo id agebatur, *ut Rex novus crearetur* Pontificius, & fuiſſet creatus, Catholicis etiam Regiis ita cupientibus, niſi Dux *Mayenenſis* & qui Hiſpanis ſtudebant ſuper eligendo diſcrepaſſent, Hiſpanis Ducem *Guiſium Bloeſis* interfecti filium, qui Infantem ſuam Henrici II. neptem duceret, proponentibus, à quo *Mayenius* etſi patruus, abhorrens, differendo negotium eluſit: tantiſper dum Rex aliter ſe regno potiri non poſſe credens, *menſe Julio*, Romano-*Catholicam* religionem ſolenniter amplexus & apud *Dionyſii fanum* profeſſus eſt; magno ſanè cum *fructu rerum ſuarum* externo, nec minoribus amicorum ſuorum *querelis* & domi *Reformatorum* & foris *Proteſtantium*, Elizabethæ imprimis *Anglæ*. Sed *Aquæſextiæ*, *Lugdunum*, *Aurelia*, *Bituriges* ſe Regi tradiderunt *initio anni* 1594. & tandem *Lutetia Pariſiorum Briſſaci* Gubernatoris ſui operâ, ſine ulla ſanguinis effuſſione vel confuſione rerum, *die* 22. *Martii ejuſdem anni.* Nec mora fuit in reliquis civitatibus; exceptis, quas præſidiis ſuis occupaverant Henotici; maximè in *Britannia* & in *Burgundia*, priore ſub Duce *Mercœrio* & altera ſub *Mayennio* ſepa-

ſeparatâ; donec & illi Duces cum Rege, licet tardius, reconciliati ſunt, omnes invidenda ſtipulati præmia, *quibus ipſos Regis fideles, qui ſemper fuerant*, ſectatores *ſuperabant*; non ſine magna *Henrici* invidiâ & veterum irâ miniſtrorum, non conſiderantium, ita Regi ad extinguendas factiones opus eſſe factu, Sed hæc poſterius evenerunt.

7. Æſtuaverant adhuc animi ab odiis partium, quæ *Jeſuitæ* imprimis fovebant: è quorum ſcholâ *Johannes Caſtellus* undeviginti annorum adoleſcens Regi in cubiculo *Gabrielidis Eſtreæ* magiſtræ ſuæ *amoris*, quendam è Proceribus ſalutanti vulnus in os ingeſſit, quod errore manus in inclinatum corpus *unius dentis jacturâ* conſtitit *die* 25 *Decemb.* 1594. Auctor vulneris ordinariâ parricidarum regiorum pœnâ adfectus eodemque decreto *Jeſuitæ*, ut corrupores juventutis, bonis publicatis, regno excedere juſſi ſunt, ejuſdem Regis juſſu tamen *decennio poſtea* revocati.

8. *Hiſpani* adhuc *Gallis*, prætextu juvandi partes *Catholicas*, impune inſultaverant; *Henricus Rex* initio *anni* 1595 bellum illis juſtiſſimâ cauſâ indixit, etſi res Hiſpanica tum adhuc multis modis ſuperior eſſet, exhauſtâ bellis civilibus Galliâ, flagrantibus etiam nunc odiis neque *partibus omnino ſubactis*. In Comitatu Burgundiæ erat *Ferdinandus Velaſcus Comes ſtabuli Caſtiliæ*, cum exercitu trium equitatus, peditum quindecim millium, eique aderat *Mayennius* cum reliquiis

He-

Henoticarum partium. Hiſce Rex cum *Carolo Bironio* ſe tulit obviam, cum equitibus quingentis, hoc conſilio, ut eos retardaret, dum ſui omnes adfluerent, audaciâ magis quam ratione belli fretus; at abſolutus eventu & admirabili cum ſuâ tum *Bironii* fortitudine, nec minus inbelli gravitate *Caſtiliani*, quam gentem illa quæ ſub *Ferdinando Catholico & Carolo V.* enituerat virtus ab hoc tempore notabiliter deſtituere coepit. Nec eſt dubium, quin deinceps exercitu Gallico vi agente, *Comitatum* illum *Burgundiæ* Ducatui & regno ſuo adjeciſſet, niſi *Helvetiorum qui Francum hac parte vicinum habere nollent*, interceſſione deterritus, inde abeundum cenſuiſſet, ut *Provinciam & Aquitaniam* pacaret: Unde cito revocatus eſt, *fama perditi Durlani, Câſtelleti & Cameraci*, ſtudio & operâ Ducis *Aumalii* & *Ronii* exulum henoticorum, pro *Hiſpanis*. *Cameracum* cives tradiderant odio *Johannis Montlucii Balanii*, qui inter Hiſpanum & Gallum *medius*, *urbem jure Principatus independentis* & more tyrannico, foederatus Galli poſſederat, Cujus uxor *Buſſii Amboſiani* fortitudine celebris ſoror, quæ præcipuam imperii vim exercuerat, cum finem ejus inſtantem videret, poſtquam armis ipſa ſuis & precibus cives flectere nequiviſſet, *neque ferens ex ſummâ poteſtate tranſitum ad rem privatam*, ſpreta pactione, ſe cubiculo ſuo incluſerat ibique dolore animi, cordis meatu intercluſo, extincta reperta erat. Maritus pactionis leges amplexus, abducta ſecum pulchrâ Camera-

cenſi

cenſi puellâ, principatus & uxoris jacturam non tam magno quam ſoluto animo transmiſit. Henrico Regi Solatii ab hac clade loco fuit impetrata Romæ per legatos *Perronium & Oſſatium abſolutio Pontificis Maximi* facta ſolenniter in templo D. Petri *die* 16. *Septembris* 1595. Tum verò ſequuta eſt reconciliatio *Ducis Mayennenſis*, reductio *Provinciæ*, diu à *Sabaudo*, *Eſpernonio*, *Guiſio* & aliis vexatæ, imprimis *Maſſiliâ* principio anni 1596.

9. Sed à partibus *Belgicis* nondum omnis tempeſtas detonuerat. *Albertus Auſtriacus* Gubernator & futurus Princeps *Belgarum*, ſimulans ſe *Feram* à Gallis obſeſſam liberaturum, derepente *Caletum* male munitum & inſtructum invaſit ac intra diem duodecimum ad deditionem coëgit, ventis auxilia tam Gallica quam Batavica, difficiliore tunc Elizabethâ & ſerius accinctâ, enixe prohibentibus. Caleto acceſſit *Arderezium* parvus ſed munitus, ut tum res erant, locus. Tot adverſitates *Galliæ* adhuc tumenti *factionibus* & fractæ *viribus* incumbentes Regem ad anguſtias redigebant, quæ parumper allevatæ ſunt triplici foedere, quod ipſe cum Anglis & Belgis foederatis, *qui & ſine foedere Gallis pridem magno fuerant ſubſidio, Hiſpanos à tergo infeſtantes*, inito, menſe *Octobri* 1596, *ſub lege mutui auxilii neque pacem vel inducias cum Hiſpano niſi omnium conſenſu ineundi.* Pro domeſticis neceſſitatibus, Rex Concilium ingens *Notabilium* convocavit *Rhotomagum*; Quod brevi alloquio introduxit, ita inter

ter alia locutus; *Non vocavi vos, ut meas voluntates coeco ductu ſequamini, ſed ut conſilia veſtra intelligam, credam & ſequar, meque tutelæ veſtræ committam.* Quomodo nec ipſe alias nec Reges cæteri poſt *Franciſcum* I loqui auditi ſunt. Sed *neceſſitatis magna vis eſt*, quam mox auxit in immenſum *Amienſis ſive Ambianorum* urbs dolo capta ab *Hernando Tellio Portocarrera*, *Dourlani Gubernatore die* 10. *Martii* 1597. Quâ re cum factum eſſet, ut *Lutetia Pariſiorum* fieret urbs limitanea, *Duce Mercorio* adhuc in Britanniâ, ab alterâ parte Sabaudo in armis manente, Proceribus ad res novas ſpectantibus, parum aberat, quin magnus *Henrici* animus inteſtinis exteriſque malis ſuccumberet. Nemo illum alacrius ſuſtinuit, quam Dux *Mayenenſis* hoſtis vetus, recens amicus & *Bironus*, qui auctores fuerunt incontinenti *Ambianos* per vim repetendi; dum Mercoerii Dux occaſionem negligeret & Sabaudus à *Leſdiguiero* Delphinatus Gubernatore feliciſſimo refutabatur. *Amientium* menſe *Septembri*, poſt irritos Alberti conatus ſubveniendi & mortem *Hernandi Tellii* coacta eſt ad deditionem.

10. Hunc ultimum belli actum ſequutus eſt tractatus Pacis *Vervini in Picardia*, quo pendente, *Mercurius* in *Britannia* oppreſſus ab ipſo Rege pacis leges accepit, & Reformati parum dignè pro tantis meritis à Rege, poſt converſionem ipſius habiti tandem acceperunt illud famoſum *Edictum Nannetenſe* menſe Aprili 1598. quo præter liberum

berum Religionis exercitium, quod prioribus Edictis habuerant, aditus illis dabatur ad honores & munera publica; deſignabantur tribunalia quædam *ſemipartita*, quibus illorum cauſæ diſceptarentur, cum locis quibuſdam munitis, ſecuritatis causâ: *Verificatio* quæ dicitur in *Parlamentis* anno demum ſequente, nec niſi repetitis Regis juſſionibus, perfecta fuit; qui licet revera ab hoc tempore non amaret Reformatos, tamen apud *Pontificios* hujus Edicti causâ ad extremum uſque vitæ ſpatium ſuſpicione, quaſi minus *ſyncerè converſus*, laboravit. Cujus rei conſcius *Papam impenſius coluit*, nec ullam Poteſtatem in mundo æquè reformidavit. Nec tamen Reformati, non obſtante hoc Edicto, non in ſummo metu ſemper egerunt, ne non ipſe operam aliquando daret, quo ipſos everteret: Quod etſi intereſſet ipſius fieri, nunquam tamen in animum ſuum induxiſſet; verum iis qui ad hoc illum hortabantur, filium ſuum qui illas partes aliquando ſuſcepturus eſſet, aliquando monſtraſſe dicitur.

11. Sed Pacis articulis ſubſcriptum eſt *die* 2. *Maji* non habitâ ratione proteſtationis *Anglorum* & *Belgarum* ex lege foederis, quibus Galli reſponderunt, *ejuſmodi pactiones de non finiendo bello, niſi communi conſenſu, habere ſemper hanc tacitum conditionem, niſi evidentiſſima ratio Status quam vocant, aliter dictet, idque variis exemplis confirmarunt*. Fundata fuit Pax *Vervinienſis* ſuper *Caſtro-Cmeracenſem* ante quadraginta annos fa-

ctam. Accedebat reſtitutio omnium locorum utrimque occupatorum, inter quæ tamen non fuit *Cameracum*, quia prius ad Gallos non pertinuerat. Sabaudi contentio de Marchionatu *Saluzienſi compromiſſa eſt in Pontificem Romanum.* Dux *Florentinus*, qui inſulas *Maſſiliæ* objectas *Ivam* & *Pommegam* occupaverat, illas etiam reſtituit, acceptâ pecuniâ ipſi debita, cujus recuperandæ, non belli cauſa manum à ſe illis injectam adfirmabat. Tranſactum eſt die 9. *Maji* 1598.

CAP. VIII.

De rebus Gallicis, A pace Vervinienſi uſque ad mortem Henrici IV.

BEllis ita civilibus & externis penitus extinctis, mirum eſt, quam properè *Gallia*, pacis beneficio *ſuas vires* domi *repararit* & foris prærogativam ſuper omnes orbis terrerum nationes occupaverit; magis virtute Regis ſui *præ cæteris, ubivis Europæ, Principibus* tum viventibus excellente, *quam potentia, quæ tunc adeo nondum prævaluerat.* Ipſi deerat proles, Reginâ *Margaritâ Valeſiâ* thoro, menſa, domo, *adulteriiſque reciprocis* ab illo ſeparatâ, cujus loco ipſe in uxoris affectu pridem habuerat *Gabrielidem Eſtræam*, cui *Beaufortii Ducatum* dederat, ſuſceptis ex ea pluribus liberis; quos matrimonio cum illa contracto, legitimare conſtituerat & legitimaſſet, ſi *Margaritum* amittere potuiſſet. At priuſquam

quam id impetraret, *Beaufortia* veneno in ædibus *Sebaſtiani Zameti* prædivitis publicani è medio ſublata eſt, immerito ſuo, etſi publico bono, quod matrimonium ejus *ſucceſſionem regni mirificè implicuiſſet.* Divortium cum *Margaritâ Valeſiâ* hunc caſum incontinenti ſequutum eſt, ad ipſius libellum ſupplicem Papæ oblatum, quaſi ex cauſa nullitatis ob defectum conſenſus partium, diverſitatem religionis tempore contractus nuptialis & cognationis gradum, cujus diſpenſatio *ſecundum juris formam* impetrata non fuiſſet. Divortio peracto, duxit in uxorem *Mariam de Medicis* filiam *Franciſci* Florentiæ quondam Ducis ex filiâ Ferdinandi Cæſaris, ſub *exitum anni* 1599. etſi, ut erat feminis deditus, ſponſalia cum *Henrica Balſacia*, cui à Marchionatu *Vernolii* fuit cognomen, antea contraxiſſet; quæ proinde matrimonio offenſa *Florentino* per fratrem *Arvernorum Comitem*, ſua conſilia cum Proceribus Regi infeſtis conjunxit, multaſque Henrico ipſi, uxori obnoxio moleſtias creavit. *Margarita* vero exinde, *Reginæ* honore, *Pariſiis* vixit, ingenio uſa mirifico; Religioſa, literaria, doctos amans, attollens; luxus, *vanitatum* & modorum habitualium, nec minus devotionis *magiſtra*: In pauperes liberalis, creditoribus nihil ſolvens, in omnibus voluptati & vanitati ſerviens.

2. Proceres offenſi erant, *Bironius*, *Epernonius Boulionenſis*, *Tremoulius*, *Monmorantius* & *Monpenſerius* Duces, irati, quod Pace facta, Rex eorum conſiliis minus uteretur & magis auſculta-

ret *Believrio*, *Villaregio*, *Sillerio*, *Janino* & *Rhonio togatis omnibus*, quod inſtitutum adhuc inſolens & novum, Principes ingratitudinem vocabant: etſi ab hoc tempore cum Regum potentiâ crevit & invaluit: quando quod Principibus accederet, Regis auctoritati opibuſque decedere; Togati vero utriſque augendis longe intentius ſervire videbantur. Auſi ſunt igitur illi, conſulere, quomodo junctis viribus *Regem* in poteſtatem redactum *regno exuerent*, idque alicui de *ſanguine regio* Principi deferrent. Hoc conſilium à *Bironio* revelatum eſt *Sabaudiæ Duci*, cum is in Galliam *ad tranſigendum de Marchionatu Saluſſio* veniſſet, *initio anni* 1600, cum quo & cum *Hiſpanis* rationes ſuas exinde communicavit. Sabaudo hac *fiducia* reſtitutionem Marchionatus recuſanti, bellum mediâ æſtate illatum eſt, in quo *Bironius* ipſe, prævalente gloriæ ſtudio, nolens volens, *operam ſtrenuam* navavit. *Sabaudia* cum *Breſſiâ*, præter arcem *Breſſianam*, celeriter in poteſtatem redactæ ſunt, cum ipſâ *Montis meliani arce* munitiſſima. Sed pace *menſe Majo ſequentis anni* factâ Lugduni, placuit, ut *Breſſiæ* Comitatus cum *quibuſdam vicinis juriſdictionibus*, *loco Marchionatus*, *quem retinuit Sabaudus*, *Galliæ cederet*, In quâ permutatione valuerunt utriuſque partis rationes; Gallis *Breſſia* ſitu terris ſuis juncta commodior erat, *Marchionatus* trans Alpes ſitus etſi reditibus minor, Duci in *Pedemontio* opportunus Italiæque toti, *quam Rex*, *ut tum reſerant*, *offendere non audebat*, ſuſpectus fuiſſet: Cætera,

Sa-

Sabaudo reſtituta, *Munimento divæ Catharinæ excepto*, quod in gratiam *Genevenſium*, quibus imminebat, à Rege captum & deſtructum fuerat.

3. Pacem excepit nativitas *Delphini* Ludovici apud *fontes aquæ bellæ die* 27 *Septembris* 1601. Reditumqne eſt ad pacis opera, *leges ſumptuarias & Reformatorias*, inter quas una fuit, judicialis, urgente magno Senatu *in Advocatos nimis avidos ſalariorum*, ut in ſingulis cauſis quid à clientibus accepiſſent apud Acta ſua profiterentur, offenſo quoque Rege querelâ *Ducis Pinæi*, quod Advocatus quidam pro una oratione judiciali exegiſſet ab ſe *mille quingentos ſcutatos*. Sancita erat inderdictio *fori in recuſantes*; ſed Advocati omnes ſupra trecentos numero, *præceptum intolerabile judicantes*, ſolenni inceſſu, bini, ex Auditorio in Secretarium progreſſi pileos ſuos publice depoſuerunt ſuâque conſenſione fecerunt, ut poſt *novendiale juſtitium* res ad veterem indulgentiam rediret, nolente Rege pertendere, *utris moleſtior foret, Advocatis an Publico, perſeverantia*.

4. Scilicet, alia magis urgebant, *Conjuratio Procerum*, quæ tandem *in caput unius Bironii* omnium violentiſſimi, imprudentiſſimi & meritorum ſuorum fiducia moleſtiſſimi excuſſa eſt. Detectis ejus conſiliis, ſemel à Rege *veniam impetraverat*; Relapſus ad inſaniam & per *Laſinium* internuntium proditus, *etſi præ-monitus intentiſſimè de periculo*, tamen in aulam venerat, ubi Rex eandem

dem portam veniæ per *confeſſionem liberam* ipſi aperuit. Sed perſiſtens in infitiis, captus, & examinatus, de his quæ ante veniam Regis egerat è ſcriptis ſuis, de reliquis per teſtes convincebatur. Cum perſuaſum eſſet Regi, *poſt actorum probationem non eſſe peremptoriam*; ne homo prævalidus, *Mars Gallicus & bellifulmen* dictus feraliter inritatus evaderet, veniam à ſe datam, *minus ſpecioſè*, literis publicis revocavit, etſi abſque eo facile convinci potuiſſet. Mortem ſubiit inſtar furioſi, metu mortis & ſpe vitæ deformi, mirantibus qui interritum in belli periculis animum, gloriâ ſcilicet *& ſpe victoriæ productum* ſæpe mirati fuerant. Caput ejus dejectum ſanguine ſpiritibuſque plenum aliquoties humi ſubſilierat, *parvum pro mole corporis; unde cerebri & ſapientiæ parum*. Cecidit *ultimo Julii* 1602 & ſimul omnis conjuratio, diſſimulante Rege ſuſpicionem adverſus eos, qui convinci non poterant. Solus *Boulionæus Rhonii* non minus, æmuli ſui, æque licet *Reformati, quam* Regis & conſcientiæ metu in Germaniam ſe recepit & poſt quadriennium, *Reginæ* demum ope & *Villaregii* operâ, certis legibus, quas inter *honoraria Sedani* urbis ſuæ, mox redditæ, *deditio*, reſtitutus eſt.

5. Reliquo tempore vitæ regnum ſuum *Henricus* in pace retinens eandem reliquæ fere Europæ ſimiliter præſtitit, extinctis belli, ſiqui alicubi erumperent, fomitibus, ut inter *Sabaudiæ Ducem* & civitatem *Genevenſem*, quæ olim Sabaudo

baudo *auctoritate magis quam poteſtate* ſubjecta illum hoſtem habebat perpetuum. Quominus hic eam bello ſubigeret, *Helvetico fœdere*, quo civitas in parte *Reformatâ* continebatur & protectione *Galliarum Regis*, impediebatur. Solus inſidiarum ſucceſſus eum poterat abſolvere, quas *Albinius* & *Bernolierus* duces ejus, conſcio *Blondello urbis Syndico & vigilum Præfecto*, tam certâ ratione compoſuerant, *ut pro infallibili haberetur*. Res fuit memorabilis; ab horâ primâ nocturna *die* 22 *Decembris*, milites 250 ſelecti in muros urbis per ſcalas enisi ſunt, inter portam novam & monetalem. Non paſſi ſunt, qui adſcenderant, ut plures adfluerent, nimiâ fiduciâ & cupiditate prædæ, vel ne detegerentur; nec enim ante lucem animus erat, aggredi urbem: Sed poſt ſeſquihoram detecti portam novam occupaverunt, quam *petardo* aperturi pro cohortibus quæ foris apud cœmeterium erant, impediti ſunt, machinâ cancellatâ ab oppidanis deorſum actâ, quæ aditum ad extimam portam obſtruebat. Satis adtulerant inſtrumentorum ad ſeptum illud ſcindendum; ſed *confuſio illos invaſit & perplexitas*, civibus undique magnâ vi ingruentibus; quæ fecit etiam, *ne plures*, quod facile fuiſſet, *per ſcalas adducerent*, quæ per ſeſquihoram integræ manſerant, ruptæ dein ictu *bombardæ*. Poſtremo ſuperati *Sabaudi*, qui à cæde ſuperſtites erant è muris deſilire vel ſe dedere coacti ſunt, *amiſſis omnino triginta ſupra centum*, cives *viginti quatuor* ſtatim aut è vulneribus *perierant*.. Capti

ſunt *tredecim*, nobiles plerique, confeſſi, ut ajunt, datum ſibi eſſe negotium omnes ſine diſcrimine ſexus & ætatis trucidandi, exceptis Paſtoribus qui Romam mittendi fuiſſent, ut *Genevenſes* ajunt, *Sabaudi negant*, nec eſt admodum veriſimile. Nobiles iſti *non ut bello capti, ſed ut latrones*, etſi Principis ſui auctoritatem probantes, eodem die ſuſpendio necati ſunt. Præcipuus illorum *Sonaſius* habebat uxorem *ſeptem ex eo liberorum matrem*, quæ viri caput ſtipiti impoſitum à Genevenſibus ſemel *oſculandum rogaverat. Cum eſſet negatum, manſit extra pomœrium, occulis iſti objecto amoris ſui infixis, donec ibi morte occuparetur, ut auctor eſt Mezeraus.* Theodorus Beza *tres ſupra octuaginta natus annos*, qui nec ejulatus nec clamores neque campanas neque bombardas tranquillo ſomno merſus, omni tumultu, audiverat, etſi pridem *concionator emeritus*, gratiis *Deo Liberatori* agendis ea die populo præivit. *Blondellus* aliquandiu poſtea proditionis illius inſimulatus, ruſticum, per quem literas ad *Albinium* miſerat, in carcere per *commentarienſem* ſtrangulavit. At re detectâ, rotæ impoſitus, mortem immanitate ſua dignam ſubiit. Bellum quod hac cauſa naſcebatur & latius ſerperet, auctoritate Regis *Henrici*, interceſſione *Helvetiorum Catholicorum* compoſitum eſt apud *Juliani fannm* prope Genevam, ſub lege, *ne Dux intra quatuor ab urbe milliaria, munire vel milites habere poſſet: Urbs autem declarata eſt pace Vervinienſi eſſe compræhenſa d. 22. Jul.* 1603. Quo tractatu Dux, *etſi urbem non agno-*

viſſet

viſſet liberam, re ipſa tamen ut *Rempubl. agnoviſſe* videbatur; Cujuſmodi nullum cum eâ tractatum adhuc inire voluerat.

6. Ex pace fructum abundantiæ collecturus *Rex Henricus*, præter naturales Galliæ facultates, operam dedit *artibus mechanicis in regno ſuo multiplicandis*, cum aliis tum quæ in ſerico, recens à Gallis receptæ occupantur, idque eo felicius ſucceſſit, quod hæc gens *erudito luxu alias nationes ad imitationem ſui* rapiens harum pecunias, eâ viâ, ſibi facillime conciliabat. Unde Regum vectigalia paulatim notabiliter aucta; quod inſtitutum *Henricus* pecuniæ cupidus eximie preſſit; *adhibitis etiam artibus quandoque non præſtantiſſimis*; Inter quas fuit inſtitutum exigendi ab *Officialibus* quotannis *nummum ſexageſimum* pretii, quo ſingula *officia* æſtimata forent, hac lege, *ut heredes ipſorum, mortuis ſingulis, officiorum pretia recuperarent à ſucceſſoribus*. Quod jus *Pauleto* publicano locatum, exinde nomen tulit *Pauletinæ*, fecitque dignitates omnes, ut ſunt etiamnum, *commercio non minus quam prædia ſubjectas*. Hujuſmodi inventiones in media pace, *ſatis arguentes reliqua tributa & vectigalia fuiſſe enormia*, dominationem Henrici gravem faciebant; maxime quod pecuniæ in ædificia ſumptuoſa, aleæ ludos omniaque voluptatum genera, *quibus rebus Gallia reliquis nationibus inſultat*, impenderentur: Unde motus in variis locis populares oriebantur, quos tamen iter Regis per Provincias valido cum præſidio facile compeſcuit, *& dum potiora virtutum*

minora vitia tegebant, non modo auctoritate ſed & amore, tam in regno, quàm apud exteros invaleſcebat. Non æque domi & apud ſe; *Nunquam ſuus, feminis ſemper obnoxius*, tam alienis quam ſuæ, diverſo modo; Prioribus ſponte, Reginæ invitus & conſcientia peccati, querelas & iras ejus frangere neſcius; nec audens removere ab illa incentores Italos, quos inter *Conchinius* & *Galigaa* conjuges *Florentini*, aliquando nec *minis in Regis, quaſi minus Catholici* perſonam parcentes, & *cum Hiſpanis hoſtibus Regis infeſtiſſimis* colludentes, qui nec inſidiis adverſus rem Gallicam abſtinebant; ut patuit, capto ſub finem anni 1605. *Merargio* Maſſilienſe, qui de urbe Hiſpanis tradenda agitabat; capto etiam ſcriba ſecretorum *Baltazaris à Zunigâ* Hiſpanorum legati & arcanorum proditionis cuſtode, qua de re acris inter Regem & Legatum accidit contentio, Rege de inſidiis, Legato de auxilio in Belgas miſſo querente, *non ſine ægritudine & acrimonia*: Donec legato ad blanditias relapſo, *Rex ei ſcribam ſuum reſtituit*,

7. Operæ pretium eſt, audire conſilium *Henrici*, quo pacto extremis vitæ annis, ruptâ pace infidâ, *domum Auſtriacam intra veteres Auſtriæ & Hiſpaniæ terminos redigendam* putaret. Junxerat in hunc finem ſibi tacitis fœderibus omnes fere *poteſtates Europæ*, ipſum quoque *Sabaudum*, *Jacobo in Anglia excepto magis quam adverſo futuro.* Ipſe princeps fœderis & Dux belli præmia fœderatis erat relicturus, *nihil ſibi de*

ter-

terris Auſtriacis vindicaturus. Papæ deſtinata erat utilis poſſeſſio *regni Neapolitani*; Venetis pars *ducatus Mediolanenſis* illis proxima, cum maritimis regni Neapolitani; Sabaudo reliqua *Mediolani*. Helvetiis *Alſatia*, cum *Burgundiæ Comitatu*. Bavariæ Duci dignitas *Auguſta*. Belgica Hiſpanienſis Fœderatæ jungeretur. *Ita compendio, domus Auſtriacæ ruina præſumebatur.* Domitis Auſtriacis, omnes ipſum adjuvarent *Turcis ex Europa depellendis.* Hæc & ſimilia Galli ſerio narrant, apud Henrici animum fuiſſe conſtituta; ſi credere fas eſt, tam enormes cogitationes in prudentiſſimi Senis animo locum invenire potuiſſe. Bellum ſane *adverſus Hiſpanos* paulo ante illius obitum, duplici occaſione feſtinabatur. Uno, quod *Henricus Borbonius* Princeps *Condæus*, regii ſanguinis primus, uxorem *Henricam Mommorantiam* pulchritudine excellentem, quam Rex deperibat, *Bruxellas* abduxiſſet; hanc armis recuperare volebat. Alter prætextus erat, ut *heredibus Juliacis Brandenburgico & Neoburgico ferret auxilium adverſus Imperatorem*, quâ de re dictum eſt in *Germanicis*. Denique, Belgicam Hiſpanienſem, ſociis Batavis, occupare, quod ſatis conſtet, erat conſilium.

8. Omnibus ad ingentem expeditionem paratis, *Hiſpani tamen nihil movebant*, quaſi à Superis *aut ab inferis*, ignotum expectantes præſidium, quod apud ipſos aulæ Gallicæ penates latuiſſe multa probabile reddunt. Ante iter, *Henricus Reginam* relicturus *Rectricem*, petenti ipſi ritum

In

Inaugurationis Reginalis impertiri voluit, quam ſolenniter accepit apud *Dionyſii fanum.* Tertio die poſtea, publicus introitus parabatur in urbem *Pariſiorum.* Pridiè, quæ fuit dies 14 *Maij.* Rex horâ quarta pomeridiana, curru penſili vehebatur ad armamentarium. Sed uſu venit, ut viâ carrucis obſtructâ, vehiculum conſiſteret; quam occaſionem arripiens acer & deſtinatus parricida *Ludi magiſter Engolimenſis*, *Ravaliaci nomine*, furioſe ſuperſtitioſus & ab inimicis Regis productus, *vehiculo*, pediſſequis aliâ viâ præcurrentibus, *ſe admovit, pedibuſque rotæ impoſitis Regi cultrum bis in pectus intorſit; primo ictu inter coſtas terminato nec penetrante, ſecundo arteriam venoſam infra ſiniſtram cordis auriculam præcidente. Unde è continenti nulla voce prolata, ſanguinis impetu ſuffocatus eſt, anno ætatis* 57, *regni* 22. *Chriſti* 1610. Sicario capto, ſeptem homines ſtricto ferro aderant, clamantes, *parricidam eſſe necandum*, ſed *evanuerunt.* Nec fuit ſtatim datus in carcerem; ſed aliquantiſper in *laxâ cuſtodia habito* non defuere, qui ſuggererent, quid rogatus reſponderet. *Rege mortuo in lectum negligenter abjecto quiſque ſuarum rerum in hac revolutione ſatagebat, nec inter adorationem & oblivionem*, plus momento apud aulicos interceſſit. Quæ res ſecretos atroces de auctoribus cædis rumores auxerunt. Liberi Regis è Mariâ Medicæâ ſuperſtites fuere, *Ludovicus*, qui regnavit, *Johannes Baptiſta Gaſto*, Dux Aurelianus, *Elizabet, Chriſtina & Henrica Maria*; Præter naturales liberos plures ex pluribus relictos.

C A P.

CAP. IX.

De rebus Gallicis à morte Henrici IV. uſque ad annum 1619.

PRimum, quod poſt obitum *Henrici* è *Parlamenti* ſententiâ *Magni* cognomento honorati, & ſupplicium parricidæ actum eſt, fuit declaratio *Regentis*, Reginæ matris LUDOVICI XIII. nonum ætatis annum agentis, operam dantibus *Epernonio*, *Lavardino*, *Seguierio* & aliis, Reginæ potentiam *ut munimentum ſua* conſiderantibus; idque facile, *Primo regii Principe ſanguinis abſente*, præſtiterunt, qui brevi poſtea reverſus, à *Boulionæo* Duce gubernatus, cum cæteris, auctor fuit *Reginæ*, ut *Ducem Suillium*, qui Rhonius antea dictus fuerat, præcipuum defuncti Regis miniſtrum ab *ærarii & armamentarii* adminiſtratione removeret; quo facilius de pecuniâ publica bellique commeatibus diſponerent, amoto eo, qui noverat omnia & inſtrumentum fuerat *tenendi Principes humiles & obnoxios*, è quo ſtatu ſublevandi ſe hoc eſſe tempus Regiæ *minoritatis* intelligebant.

2. Externi belli cogitatione depoſitâ, placuit, *auxilia duntaxat in Germaniam mitti*, quæ Fœderatis *Belgis* juncta *Juliacum* urbem Auſtriaci eripuere: Cæterum, in aulicis ac inteſtinis agitationibus conſumpta eſt Procerum induſtria, quibus & *Reformati* ſé miſcuere, *partem facientes*, utris ſe adjungerent, notabilem. Quâ gratia certatum fuit,

inter

inter *Boullionæum* & *Suillium* utrumque Reformatum, uter apud illos plurimum poſſet, idque deciſum in *Conventu generali Reformatorum*, celebrato *Salmurij* anno 1611, Præſide *Pleſſio Mornæo*, *ubi Suillius* à genero Duce *Rohanæo*, ſingularis ſolertiæ viro adjutus prævaluit, decem contra ſex provinciarum ſuffragiis. Quo fretus facile *Suillius*, tam potenti interceſſione fultus obtinuit, ne, quod inimici quærebant, penitus everti aut reliquis dignitatibus evolvi poſſet. Ex quo tempore *Conſilium Regis & Boullionæus* adverſus *Conventum* & *Rohanæum* junctis conſiliis agere inſtituerunt, & quidem primo, ut Præfecturam *fani Johannis Angelici* Rohaneo adimerent, quam is *contra juſſiones regias audacter retinuit*, Ordinibus Reformatorum ad ſui defenſionem excitatis, cum univerſis, tum per Circulos congregatis, quatuor aut quinque provinciarum, quos *Circulos nuper ad exemplum Germaniæ inſtituerant*, id omnino agentes, ut *ad inſtar Reipubl. regno ſubordinatæ* ſuas res componerent & diſtinguerent.

3. Interim Regina totam ſe dederat *Conchinio* pridem creato *Marchioni Ancræo*, peregrino & vili ortu; qui Proceres, quorum conſenſui impar fuiſſet, inter ſe committebat; donec *offenſo Principe Condæo*, plures ab aula recedentes ſe contra eum conjunxere; qui & *Rohanæum* cum ſuis ad arma ſecum, & cum *Vendomio Duce*, qui in *Britanniâ* defecerat, conjungenda invitabant. A loco ubi Condæus agebat, hoc bellum, *S. Meneholdi* dictum eſt. Sed plerique mox

mox ab Ancræo privatâ ſatisfactione placati ſunt, promiſſo inter alia *Conventu Ordinum regni Generalium* , qui & ſtatim indictus eſt *anno* 1614, ſed abſque fructu reformationis celebratus, omnibus in eo pro lubitu regnantium conſtitutis, Condæo quoque adacto, reddere, *Amboſiam*, *ex conventione Meneholdenſi* ſecuritatis ergo ei traditam. Quare anno ſequente, nova Principum conſpiratione, *Boullionæoparario*, factâ, magnus Senatus, libello Regi oblato, *defectus & maleficia regiminis* demonſtravit eaque emendari petiit. Incaſſum, & Sumpta arma, cum prætextu reformationis, tum ad impediendum duplex Hiſpano-Gallicum matrimonium ſtatim à morte Regis Henrici contractum & huc uſque ob ætatem ſponſorum dilatum. Ludovicus erat ducturus *Annam Mariam Mauritiam* Infantem Hiſpanicam & Philippus Eliſabethen Henrici Regis filiam primogenitam.

4. Condæus militem per Galliam & Germaniam conſcribebat, cui Rex ſub *Buſcodelphino*, *Præfecto* exercitum decem millium peditum & equitum 1500 oppoſuit, & cum aliis copiis ſponſæ ſuæ *apud Pyrenæos* occurrebat, Regi Philippo ſororem ſuam pariter adducens. Sed dum hæc *Burdigalæ* morbo detinetur, Condæus Reformatos invitat, ut ſe cum ipſo *boni publici & augendæ conditionis ſuæ* cauſâ conjungerent: In quod *Rohanæus* à Comite *Sanpolio* & fratre *Soubizio* incitatus, ſimul ut Reginæ extorqueret negatam *Præfecturæ Pictavienſis*, quam Socer

Sul-

Suillius habebat, tranſlationem, conſenſit; *haud bono ſucceſſu*; Sanpolio tranſigente cum Regiis; & Reformatis in Aquitaniâ frigide agentibus, ubi cum ſex aut ſeptem millia hominum ad impediendum Regis iter, expectaret, vix duo convenerunt: Ita, ut Sponſæ hinc inde ſuo commodo *à Guiſio* Duce ultro citroque deducerentur. Occupavit tamen aliquot urbes & Dux *Candalius* Reformatum ſe profeſſus, Ducatum Reformatarum partium in *Cebennis*, prætérito *Caſtilionæo*, impetravit ſeque ſimiliter pro Condæo declaravit. Interim *Condæus*, qui ſine Reformatis, nihil valuiſſet, *Suillio* & *Soubizio* Ducibus in agro Pictavienſi ſe conjunxit, urbibus illorum fretus & recreatus. Horum igitur viribus formidabilis ad pacem à Regiis invitabatur, eamque ille ſuo commodo, neglectis cæteris, incontinenti feciſſet, niſi reliquorum & maximè Reformatorum concordia obſtitiſſet. Mox tamen in morbum delapſus *Loduni*, ſuaque conſequutus à Rege, pacis articulis præcipiti facilitate ſubſcripſit. Cui quanquam Reformati adhuc diu reſtiterunt, tamen alius non fuit exitus, *quam ut Pax Lodunenſis ab omnibus*, ſine ulla in publicis mutatione, *admitteretur*: Sed *Villaregius* & *Janinus* operam dederunt, ut *Sillerico* Cancellario, qui ipſos antea deſtituerat, Sigilla, quæ præcipuum illius excelſæ functionis momentum faciunt, in Duvarium transferenda adimerentur; At mox *Villaregius* Ancræo minus hoc tempore fidelis viſus, à ſuo quoque mu-

munere *Secretarii Status* ſubſtituto *Mangotio*, remotus eſt; Reformati, in ſummâ nihil profecerunt, ſed *Rohanæus* ceſſionem Præfecturæ *Pictavienſis* impetravit; Publica privatis, ut fit, eaque anno 1615. Idem *Rohanæus* à *Condæo* & ſociis prioribus ſe deceptum judicans *Reginæ ſuas opes* inter Reformatos factione notabiles, *erga omnes & contra omnes*, ut loquitur *in Commentariis ſuis*, obtulit; quod & *Condæus*, miſſo *Boulionæo* reconciliatus etiam *Rohanæo*, fecit ac ita in Conſilium admiſſus, rebus ad arbitrium Reginæ & Ancræi præeſſe inſtituit. Hæc res tamen *Ancræum adverſus odium univerſale* tueri non potuit; *Boulionæus* reliquos Principes conjunxit, è quibus *Longavillius* occupavit *Peronnam* Ancræi arcem, reliqui in hujus necem mediâ Luparâ perpetrandam conſpirarunt. Sed Condæus aperte illi amicitiam renuntiando inſidias intempeſtive prodidit, cauſamque præbuit, ut juſſu Reginæ, ſuaſu Ancræi, conſciis *Mangotio*, *Barbino & Luconis Epiſcopo*, qui deinde fuit *Cardinali Richelius*, ipſis *Kalendis Septembris* die, quin & horâ natali ſua 1616. in cuſtodiam ſit conjectus. Reliqui conjurati fugâ ſe receperunt. At plebs *Pariſienſis*, Ancræi odio, Principis amore, domum illius ſpoliavit. Idem tamen, Principibus reliquis frigidius, excepto *Boulionæo*, agentibus, *conciliato ſibi Duce Guiſio* copiiſque regiis præpoſito, ſuperat omnes difficultates, Principibus ad extrema redactis, Boulionæo, cui minus auſcultaverant, *Sedani* ſe continente

ſeroque id agente, ut exteris militibus conſcriptis factioni laboranti ſubveniret.

5. Interea *Ludovicus* Rex decimum ſextum agens annum, jam pridem major factus, etſi mater *filium ut puerum, ſicut erat, habens contemptim* adhuc omnia rexerat, iram populi & voces Principum quaſi publica mala miſerantium, imprimis ipſum ad auctoritatem ſibi vindicandam excitantium intelligebat, inter quos primas tenebat *Luinius* ortu vilis, Regi obſequio & voluptatum illecebris gratus; qui *matris ambitionem, Ancræi inſolentiam omnis mali & Regis deprimendi cauſam* eſſe demonſtrans, ſuggeſtiones ſuas cum per ſe, tum per *Deagenium*, *Barbini* Ærario Præfecti amanuenſem Dominum ſuum prodentem, per Marcillacum, qui Condæum Reginæ prodiderat, ſicut hanc viciſſim Regi proditum ibat, & *Deplanum* militem Prætorianum Regiis auribus indies inculcabat, eumque *nullo Procerum vel togatorum conſcio*, ad cædem *Ancræi* perpetrandam obfirmavit. Mandatum accepit & executus eſt ſub præmio *Mareſcallatus Gallici*, *Vitrians* Prætorianus centurio, qui *Ancræum* Regiam intrantem & arma ponere juſſum, ſpernentem imperium inſolenter, ſclopetis confici curavit, ortumque tumultum Rex è feneſtrâ facinus à ſe profeſſus imperatum, non tam ſedavit, quam plebis furorem in cadaver & mortui familiam convertit; captis pariter *Mangotio*, *Barbino & Luconenſi Epiſcopo* intimis Reginæ à conſiliis, ipſa quoque in arctam redactâ

dactâ cuſtodiam *die* 24 *Aprilis* 1617. Dein uxor Ancræi *Eleonora Galigæa*, per ſententiam Senatus, ſed pro imperio magis quam juris merito, non ſine plebis ipſius miſeratione, quaſi Saga venefica, bonis in fiſcum, id eſt, novorum Regis amicorum crumenam redactis, publicè ſtrangulata eſt.

6. Luinæus *Ancræo nulla re*, niſi quod indigena, *præſtantior*, illius exuviis momento temporis indutus omnia tenuit in poteſtate, dato *Regi Confeſſore* ſibi fido, Jeſuita Arnoldo & miniſtris nihil agere doctis, quam adoleſcentem Regem puerilibus occupare voluptatibus & ſeria ſuaſuros avertere. matre Reginâ Blæſos relegata, Regem abduxit *Rhotomagum* ad Conventum è cunctis ordinibus *Notabilium*, qui omnes inter ſe diviſi, novo magiſtro adulantes & conceſſis, quæ poſtulabantur, præſentia confirmarunt. Etſi autem omnes in Aulam eſſent reverſi Principes, *Condæus* tamen, quem Lunæus metuebat, in *carcere*, *non minus quam Regina mater in cuſtodia ſua, detinebatur. Ita exiit hoc intervallum* & Gallia, quæ ſub Rege magno paſſibus magnis iverat ad *monarchiam* in Europa Prævalentem, civilibus involuta tricis has cogitationes ad *Auſtriacam domum*, quam Regiæ Gallicæ miniſtri *comiter obſervabant*, tranſmiſit; quam illa quidem ab hoc tempore, maximo reliquarum nationum terrore, denuo complecti & animosè proſequi cœpit. In quo *ſucceſſu* defierit, videbimus.

Ii 2 CAP.

CAP. X.

De rebus Anglicanis uſque ad obitum Elizabethæ Reginæ.

ELiſabeth Angla, triumpho *de victoriâ adverſus Hiſpanicam claſſem* magnificè *Londini* acto, ſequenti *anno*, qui primus eſt *hujus ſectionis*, Drakium, Norritſium & Eſſexium Comitem, cum exercitu XI. millium, proprio ſumptu ire permiſit in *Portugalliam*, ut Hiſpanos ulciſcerentur, & *Antonium*, qui ſe Portugalliæ Regem diceret, multa de motu populorum ſibi & Anglis, *exulum more*, pollicentem reſtituerent. At populari nullo ſe prodente motu & inopiâ coacti, neque ſatis inter ſe concordes, re infecta redierunt, interceptis *ſexaginta navibus Hanſeaticis*, cum frumento & omni commeatu, *quas levandis ſumptibus ſuis occuparunt*, ex Edicto Reginæ, *habituram ſe prædæ loco quicquid in Hiſpaniam commeatuum, eſculentorum aut bellicorum tranſveheretur.*

2. Sequentes annos expeditionibus maritimis *Hiſpanos* vexando, per *Haukinum*, *Drakium*; *Raulegium* & alios, auxilia Henrico IV. in Galliam *duce Roberto Comite Eſſexio* & aliis mittendo, rebelles in Hibèrnia coercendo, domi pacis operibus, at non ædificando, felix Regina tranſegit; Eloquentiam quoque & doctrinam teſtata ſuam *Oxfordienſibus*, in Auditorio *habitâ publice oratione* Latinâ, Regiâ majeſtate non indignâ; commendans Eruditis, ne *ſubtilitati nimiæ in ſacris &* *civi-*

civilibus indulgerent; neve diſputarent, *leges an meliores eſſe poſſent*, verum *quæ eſſent, has unicè colendas inculcarent*. Auctoritate foris maxima valens & gravitate pari rerum externarum nihil ægrius tulit, quam quod *Henricus IV* religionem mutaverat, his ad eum manu ſua literis exaratis. *Heu quid hoc funeſti; quæ meum anxietas animum, quis rumor aures perculit? Te mundano honori timorem Dei remittere? Tene cogitare, eum qui te adhuc ſuſtinuit, perſeverantem eſſe deſerturum? Cave boni quicquam è malo expectes. At nondum ſpero conclamatum eſſe tecum. Deum precor, ne manus Eſaui auferat benedictionem Jacobi.* Talis manus propè ipſam abſtulerat, medico Judæo in ejus necem adhibito, qui detectus & in patibulo damnatus, *ſe Reginam non minus amare quam Chriſtum*, ridicule fatebatur, anno 1594. In ſequenti anno fuit expeditio navalis *Hiſpanica*, Ducibus Havardio, *Eſſexio*, *Raulegio* præcipuis, quâ *Gades captæ* & ſpoliatæ maximoque Hiſpani damno & terrore mulctati ſunt: minus feliciter anni ſubſequentis expeditio majoris licet apparatus motuſque, diſcordiâ Ducum & tempeſtatibus, ceſſit.

3. Quam illa tum maris ſola potens in Europa fuerit, hæc demonſtrent; Gallos per Legatum aliquando rogitare, *quid ſibi vellent, navem quandam unam inſtruendo bellicam*, non dubitavit. Edictum, quo commercia cum Hiſpanis toti Mundo prohibebat, maſculè, Belgis ei ſubſervientibus, tutata fuit, tam armis belli, ſine

quorum prævalente vi, id genus interdictorum evanidum eſt, quam rationibus & oratione, cum adverſus Hamburgenſes, Dantiſcanos alioſque, tum contra *Sigiſmundi Poloniæ Regis, cui in pace Turcicâ nuper utiliter ſervierat*, Legatum *Dialium*, quem feroci oratione latinâ & eruditâ adverſus hoc Edictum, quaſi ex jure Gentium declamatorio geſtu, oculis in altum ſublatis invectum acriter ex tempore & æquè latine refutavit, hac ſummâ; *Quam decepta ſum! Legatum ut à Rege amico expectavi, Fecialem ut ab hoſte audivi. Quid dicam? niſi Regem tuum eſſe juvenem & regnandi in electivo regno minus gnarum & Te multos legiſſe libros, ſed Principum non inſpexiſſe libros. Talis oratio nunquam mihi ad aures accidit*: Et cum dicto attonitum oratorem reliquit; qui dein juſſus probare ſuum mandatum, oſtendit, *ſe non exceſſiſſe præſcriptum*; Ex quo apud *Belgas* non minus ferociter locutus, æquius tamen reſponſum tulerat. Regina ſuum *Edictum* ratione naturali, quæ permitteret, *hoſtem quovis modo in arctum redigere*, ſed magis vi tueri perrexit. Gravata tamen ſumptus & verita pejus, ſi Galli, cum *quibus & Belgis habebat triplex fœdus, ab* armis, ut factum, recederent, paulo ſe cupidiorem pacis, quam pro reputatione gloriæ, oſtendit *Vervini*, tantum ab Hiſpanis non ferens repulſam: Donec renovato cum *Belgis*, quos ad pecunias pro illis expenſas certis penſionibus reddendas adegit, fœdere, induxit animum ad bellum cum Hiſpanis

nis, qui rebus etiam *Hibernicis Kinſalio* paucisque locis aliis occupatis, ad breve ſe miſcuerunt, continuandum, adhortante imprimis *Roberto Eſſexio* Comite, corporis animique dotibus egregio; cui poſt obitum Leiceſtrii Regina plurimum tribuebat, non minore plebis favore ſublevato, ut etiam publicæ acclamationes audirentur, *Vivat Regina & Comes Eſſexius.* Quin & plerique Proceres ægrè ferentes, Reginam per *togatos & novos homines, ſpretis Magnatibus*, omnia adminiſtrare, *Eſſexium* ut Patronum adſpectabant. Quibus rebus qui illum metuebant, animum Reginæ paulatim ab illo alienaverunt. Hic Belgarum rebus, ut inde, ſi uſus veniret, auxilium peteret, eximiè ſtudebat.

4. Quin etiam ab adulatoribus vanam acceperat perſuaſionem, *orba & anu Regina*, ſeſe à Regiâ familiâ non alienum ſucceſſionem reliquis prævertere poſſe. Jam auſus erat Reginæ ſuas renuenti commendationes iraſci & quodam tempore emiſſis indignantibus verbis, *cum ab imperioſa feminâ faceſſere juſſus colaphum accepiſſet*, manum enſis capulo admovere. Cujus tamen peccati veniam adeptus & exercitui xx millium in *Hibernia ſemper rebellante* præpoſitus, rem ita geſſerat, ut Regina eum ſibi potius vires quam hoſtibus interitum conciliare crederet: ideoque alium, qui bona fide rebelles compeſceret, miſit anno 1600. *Eſſexio in cuſtodia retento*, ubi cum mirifice de vanitate rerum hujus mundi, *ut ſunt Anglorum ingenia*, commentatus eſ-

ſet, brevi dimiſſus, ſed parte dignitatum mulctatus & aulâ interdictus Reginæ nuntiari curaverat, *ſe cum Nebucadnezare gramen eſturum, donec ab illa mentem reciperet.* Delectata adulationis ingenio Regina recepiſſet eum in gratiam & pro voto reſtituiſſet; niſi male ſanis hominibus *ipſe parum valide prudens* auſcultaſſet, ut *Reginam in poteſtatem* redigeret, cives ei non *defuturos & Proceres fortunam ſequuturos.* Cœtus domi tumultuarios agens, miſſos à Reginâ monitores recti incluſit, *Urbemque ducentis ſtipatus armatis ingreſſus* plebem fruſtra *ad arma ciere* conatus, ægre domum nec ſine cæde reverti potuit, ubi obſeſſus primo omnia ferro perrumpere minatus, è veſtigio in genua procumbens omnium deditionem fecit. Nec dubitatum de ſententia, *quæ capitalis fuit*; ſed inexpectatum viſum, quod *Franciſcus Baco* Vir doctus, qui *Eſſexio* fortunam ſuam debebat, abſque ullâ neceſſitate reo de aliis accuſato rebus objeciſſet, eum proclamaſſe aliquando, *coronam Angliæ Hiſpano eſſe proditam*. Non tulerunt etiam Spectatores, *Walterum Raulegium* maritimæ rei peritiâ celebrem, ſed *Eſſexii* notum inimicitiâ, adſtare velut exactorem ſupplicii, qui proinde faceſſit, *Eſſexius* Securi percuſſus eſt, *die* 22 *Februar.* 1601 non ſine multâ miſeratione Populi, quam & Regina perſentiſcere viſa eſt in acclamationibus, quibus impenſe gaudebat, ab eo tempore minus, ut putavit, frequentibus ac ardentibus, multis etiam Procerum *ad ſolem Orientem è Scotiâ* reſpicientibus. Unde ſenectâ

ctâ & melancholicis immerſa cogitationibus incidit in morbum, è quo *deceſſit Richmundi*, *die* 24 *Martii* 1603; ſtylo Anglicano die poſtremo anni 1602. ætatis 69 *regni* 55, Succeſſore declarato, quod prius facere noluerat, *Jacobo Rege Scotorum* abnepote *Henrici VII.* Angliæ Regis, & herede juris indubitati.

CAP. XI.

De rebus Anglicanis & Scoticis ſub Jacobo.

IN Scotia Rex JACOBUS VI. laborioſam & exercitam adoleſcentiam *Vir factus* auctoritate, *quantum libera & ſemper varia gentis ingenia* ferunt, ſtabilitâ, dulcedine pacis lenivit, ductâ in uxorem, ut jam pridem intelleximus, *Anna*, *Friderici II. Daniæ Regis* filiâ, totum ſe ſtudiis cum civilibus tum *Theologicis* omniumque rerum notitiæ dedens, non ſine magno profectu nec minore apud exteros fama & laude, *quam inter alios Dux Rohanaus* acerrimi vir ingenii *acta peregrinationis ſuæ* & cum Jacobo colloquia referens, excellenti proſequitur elogio, cui in majore theatro dein haud uſquequaque reſpondit *agendi experimentis*. In ipſâ quoque *Scotia* non defuere, qui præſenti rerum ſtatu minime contenti, res novas anhelarent: quos inter *Alexander Ruvenus Comes Govrius* & frater ejus *Johannes*, qui vindictâ maxime necis Paternæ, de qua *ſuprà* in *Scoticis* egimus, ſtimulante, Regi inſidias valde paradoxas ſtruxere.

quibus mirum eſt, *Regem virilis ætatis ſe præbuiſſe* apud homines, qui memoria atrocis offenſæ ſuſpecti eſſe deberent; nec minus illi abſurde ſuas inſidias inſtruxerunt. Rex invitari ſe paſſus in Arcem Comitis, etiam perſuaderi potuerat, *theſaurum ingentem in abditâ ædium parte latere*, quem *Johannes Gowrius* ipſi exhiberet. Cum hoc igitur procul à ſuis digreſſus, *loco theſauri invenit armatum virum*, trucidandi Regis cauſa ibi collocatum. Qui cum animo non ſatis obdurato Regis oratione flexus torperet; *Johannes* ſtricto pugione *Regem invaſit*, qui ſtrenuè ſe defendens & diu cum illo colluctatus, tandem ore feneſtræ in ſerto ſuiſque ad opem ferendam excitis *parricidam confecit*; quod evenit *anno* 1500.

2. Natus erat annos ſex & triginta JACOBUS, quando per *Elizabethes* mortem ad capeſſendum Angliæ regnum è Scotiâ profectus eſt *die quinto Aprilis* 1503, lentis itineribus venando ad obvias Procerum arces divertens, quos inter *die menſis* XXVII uſus eſt hoſpitio *Olivarii Cromvellii* Equitis in *Huntingtoniâ*. *Die* VII *Maji* Londinum ingreſſus, *Annâ* Reginâ cum duobus liberis brevi ſubſequutâ ubique magnifice excepti, ipſe *comis & liberalis*, præſertim equitibus creandis, quos primo anno fecit *immenſi numeri*, quaſi expeditionem in *terram Sanctam* paraſſet: Tamen etſi totus paci deditus, quam & cum Hiſpano *Rege brevi poſt inaugurationem ſuam* tractare cœpit & publicavit anno 1604. Eodem

dem anno, menſe *Martiò*, primum Ordinum conventum apud *Londinum* habuit, in quo id egit, in ſpeciem magis quam reverâ, *ut Anglia & Scotia in unum jungerentur imperii corpus*, ſub nomine *Magnæ Britanniæ*, quo deinceps uſus eſt, cuſis etiam nummis hac inſcriptione, *Henricus roſas, regna Jacobus*, ſtatu regnorum nihilominus, ut antea, manente ſeparato. In reliquo orationis argumento *Jacobus* regii partes officii erudite explicabat.

3. Porro, Anglia pace domi foriſque ſtabilitâ, nullos inimicos, *præter ſe ipſos* habebat; Religionum diverſitas imprimis *animos gentis mutabiles* ac enormes agitabat. Primo Pontificios, qui impatientes, *Si nec Elizabethe remotâ, Catholicum Principem haberent*, nec apertâ vi quicquam agi poſſe videntes, atroces animos ad inſidias ferales converterunt, initâ conſpiratione, *quâ Regem, Principem omneſque Nobilitatis & plebis Primores apud Weſt-monaſterium in Parlamento congregatos, uno ictu perimerent, altero deinde Principe Regis filio pariter ſublato, Filiam Regis Pontificio Principi collocarent.* Hac gratiâ cellas infra palatium, in quo conſiderent *Ordines*, conductas pulvere nitrato in tempore ſuccendendo compleverant. Apparet extremitas impietatis in hoc conſilio, nec tamen omnes *perfectè mali* eſſe potuerunt; Unum ex illis miſeratio amici Parlamento interfuturi inceſſit, ut per literas eum moneret, quo ſe Ordinum Conventui ſubduceret, *imminere periculum tam cito tranſiturum, quam iſtæ literæ*

literæ exurerentur. Ex his verbis Rex, ut ei literæ ſunt exhibitæ, ſolerter conjecit, *inſidias eſſe nitrato pulvere perpetrandas.* Re compertâ, Principes conjurationis *Cateſbyus* & *Percius* ad vim fruſtra converſi pugnando occubuere; Cæteri octo ſuppliciis horrore ſcelerum dignis adfecti, quibus adjecti *Garnetus* & *Oldcornius* Jeſuitæ, quorum ille Confeſſionis ſecreta receperat à conjuratis, hic edito ſcripto facinus *ut religionis cauſa ſuſceptum* defenderat. acta res anno 1606.

4. Ab eo tempore *Jacobus* in pace quidem regnum cuſtodire perſeveravit, eo tamen auctoritatis vigore domi foriſque deſtitutus, quem à ſapientia doctiſſimi Principis & diuturno pacis ſucceſſu expectare fas videretur. Cauſæ imminutæ auctoritatis variæ fuerunt, quas inter hæc prima referri poteſt; *Anglorum ab exteris alienatio, cum aliis quidem gentibus communis, ſed in ipſis eximie ſingularis, maxime adverſus Scotos,* qualis *Jacobus.* Quæ res inde ab initio conjurationem adverſus eum excitaverat, cujus etiam particeps fuit *Walterus Raulegius*, capitis ideo damnatus, ſed poſt XIV annos demum ſupplicio adſectus, ad inſtantiam *Gondemari* Hiſpanorum legati, quod Raulegius urbem *D. Thomæ* ſacram Hiſpanici juris ſpoliaverat; cum ſpe factâ novarum auri fodinarum è carcere, nulla tamen veniâ datâ, dimiſſus fuiſſet. Mors ejus ob præſtantiam viri non magis quam odium Hiſpanorum Anglis admodum ægre ſedit. Porro increbreſcens diſciplina *Presbyteria-*

terianorum libertatis amantium & odii Regis erga ſe conſciorum inter cauſas referri debet. Dein inclinatio Regis ad *Reformationem propius antiquitati priorum ſaculorum admovendam*, quod ſtudium, Epiſcopis operam eidantibus, vulgo ad Papiſmum tendere creditum fuit.

5. Addenda nimis aperta belli & armorum fuga, dum totus libris & venationibus, *unde contemptus*, & amicorum, quos inter nemo illum minoris fecit quam *Henricus IV.* & inimicorum, *Hiſpanis illi pro lubitu inſultantibus*. Etiam ergo hos ſtudium vel facilitas non è minimis imminutæ auctoritatis ejus cauſis fuit, dum Hiſpani illa in detrimentum ejus, ſuo commodo, abutuntur, Proteſtantes *metu adverſus Hiſpanicam magnitudinem concordes*, illum ut alia ſentientem vituperant ac averſantur, & Angli præ cæteris. Acceſſit ingenium ejus obnoxium amicis ſingularibus, maxime *Georgio Villerio*, quam *Buckingamiæ* Ducem fecit & cujus odium ſuperbiâ collectum in illum redundavit; auctum conſpicuâ adverſus alios favoris inconſtantiâ; Quo pertinet, quod intra quinquennium quatuor inſignes Viri, ex inferioribus Ordinibus evecti, ad ſummam *Theſaurarii*, mox ad Comitum dignitatem, eâdem ſubito privati ſunt. Denique, *mores Jacobi minus ſeveri minuſque ſancti*, quam profeſſioni doctrinæ conveniret, viſi ſunt, ſecretis male audientibus. Quibus opinionibus interjectu temporis & variis occaſionibus magis magiſque invaleſcentibus, animorum diſcordiâ ultimis temporibus in Parlamentis, notabi-

tabiliter emicuerunt. Donec eædem cauſæ in Filio ex parte continuatæ poſtremo in nervum eruperunt. Filius natu major *Henricus* Walliæ Princeps diverſi & alacrioris ingenii ſpem fecerat, *oculoſque & affectum Anglorum in ſe verterat* omnium, quando ſub finem anni 1612, tanto ſenſu publici doloris extinctus eſt, ut vulgus veneni ſuſpicionem propinati, ab his quorum intereſſet, tam excitati Principem ingenii non imminere ſucceſſioni, amittere non potuerit. Ea mors accidit tempore nuptiarum, quas *Fredericus* Elector Palatinus cum *Elizabethe Jacobi filiâ* primogenita *Londini* celebrabat, parante Providentia futuris materiam malis.

6. *Jacobus* reliquum hujus ſectionis tempus æquabili tranquillitate exegit, *Viſitatione* per regnum *ſuum quotannis inſtitutâ*, ut civibus copiam ſui, bonis præſidium, malis timorem è propinquo oſtentaret. In *Progreſſu*, ita hæc viſitatio nominabatur, venationum voluptate ſimul defungebatur. Etiam ſemel *in Scotiam* uſque progreſſus, per ſemeſtre ibi commoratus eſt *anno* 1616. Eodem anno tranſactum eſt cum Ordinibus Belgarum fœderatis, ſuper ære alieno ſub *Elizabethe* apud illos collocato, quod etſi non ſine magno Anglicanæ utilitatis reſpectu erat expenſum, tamen quia ſic erat contractum, Angli quoque *Fliſſingam*, *Brielam & Zeeburgum* pignori acceperant, data eſt opera, ut pecuniâ diverſis penſionibus ſolutâ, locis iſtis Angli cederent, etiam eo, quem Anglici legati tenuerant

loco

loco in Conſeſſu *Conſilii Status* Belgarum. Remiſſio quædam acceſſit ejus quod Anglis debebatur, ex *adſigna ione Henrici IV.* Galliæ Regis, qui tertiam partem ejus, quod ipſe Batavis mutuo dederat, *Jacobo* ceſſerat. Quo triente ab hoc accepto lato, Galli reliquum beſſem æque generoſe remiſerunt. Sub exitum hujus ſectionis *Jacobus Rex Annam* uxorem cordatam & viri eximie gnaram mulierem amiſit, menſe *Martio* 1619.

CAP. XII.

De rebus in Belgica geſtis ab exitu anni 1588 *ad annum* 1619.

ORdo nos ad res Belgicas reduxit, ubi Hiſpani poſt tot victorias *Confuſione fœderatorum* magis quam vi inſuperabili acquiſitas & poſt inritam adverſus *Anglos* expeditionem, cum *Principe ſuo Parmenſi* torpebant, hujus ipſius vel fidelitate vel diligentiâ apud *Philippum* Regem in ſuſpicionem adductâ. Apud Fœderatos, digreſſo *Leiceſtrio*, Optimates rerum arbitrium libere pleneque ſibi vindicarunt; Plebe cum demagogis ſuis inermibus, *nullo duce, facile cohibita*, & meliore rerum ſucceſſu lætâ; Principe Mauritio adoleſcente, rei militari unicè intento, omniaque ſua ab Ordinibus, qui illum *Leiceſtrio* oppoſuerant magis quam ſubſtituerant, adepto & expectante. Sic facile fuit, Ariſtrocratiam ſublatis arte ac uſu, popularis potentiæ veſtigiis,

per

per omnes fere civitates ſtabilire. Foris deinde torpor Hiſpanorum illis ſpatium refovendi ſe præbuit; Eâque occaſione *Wilhelmus Ludovicus* Friſiæ Gubernator, *cujus ut ætate majoris & prudentia inſignis auctoritas apud Mauritium & Ordines in pretio habebatur*, ſcripto auctor erat belli, quod adhuc *defenſivum* fuerat, in *offenſivum* convertendi, fineſque imperii proferendi: quod optimates diu probare non potuerant; ſatius exiſtimantes, *munire poſſeſſiones ſuas*, *levare tributis populos*, *rei maritimæ & commerciis operam navare*, quam ſe caſibus belli exponere accerſitis, & conari fines immenſis proferre ſumptibus, *quorum acquiſitio* licet victorioſa, *tanti non foret*, *ut ſe ipſam tueri poſſet*. Nec poſteris defuere temporibus, qui Hollandiæ & Zeelandiæ ſaltem reſpectu, *divinum* hoc conſilium vocantes, ejus mutationem *magno* redemptam voluiſſent; quatenus jam Fœderati ad *Conquæſtus* mercatoriis populis inutiles & onera contributionum immania vereque intoleranda, niſi voluntaria eſſent, *paulatim* adducti atque ita iis ſunt impliciti, ut *nullus earum*, niſi in ultimo interitu, *finis ſperari queat*. Eo tempore facile ſe tuebantur XVII *peditum & tribus equitum millibus*, quæ finibus prolatis conſequenter augeri oportuit & aucta ſunt. Quod ſi *Hollandiæ undique mari & fluminibus cinctæ dorſum terreſtre ſatis arctè patens*, *urbeſque ſingulas*, *valide munivisſent*, longè minore mercenarorium manu ſecuritati potuiſſe conſuli jam tum prudentes aliqui ratiocinabantur. Abripuit ipſos optimates in alia omnia

cum

cum ardor Mauritii & militarium, tum occaſio pulcherrima *ſubmovendi Hiſpanos* Gallicis tumultibus implicitos, & ſucceſſus aliquot inexpectati, quos inter *capta Breda* per inſidias *die* XXI *Febr.* 1690. facinore inter pauca memorabili, *conſtantia duorum nautarum & ſeptuaginta militum*, qui contempto diſcrimine flagrantiſſimo & impedimentis infeſtiſſimis, tecti ceſpitibus quaſi in uſum præſidiariorum, navigio in arcem invecti, hanc in poteſtatem redegerunt, portiſque apertis *Mauritianos* introduxerunt, *Heraugerio* duce, qui *Gubertoris* decus in Præmium virtutis accepit. Hanc victoriam *anno ſequenti* excepit occupatio locorum aliquot munitorum circa *Bredam & Sylvam* ducis, opinione celerior & facilior; *Mauritio ſingulari dexteritate in uſu machinarum bellicarum & omni arte muniendi exercendique copias prædito, quin & Romanas artes ex veterum monumentis perceptas in uſum reducente*, qua in re *Gulielmus Ludovicus* ei præiverat, etſi in Mauritii gloriam fama & exterorum imitatio ceſſit. Specimen ejus induſtriæ præbuere *Zutphania*, cui præerat *Liauckama* nobilis Friſius Hiſpanis fidus cis quatriduum ad deditionem coacta; poſt *decem ſequentes*, *Daventria*. Inde *Friſiam* verſus motis copiis, *Delfenſis cataracta ad Amaſim* munitiſſima aliaque circa *Groningam* loca in poteſtatem redacta. Quominus *Stenovicum* adjungerent, fecit obſidio *Cnodſenburgi* arcis *Neomago* adverſæ, quam Parmenſis, imminente Mauritio, deſeruit. Hic autem inſigni promptitudine, fluminum uſus be-

neficio, *Hulſtam in Flandria* nihil ejuſmodi expectantem ad deditionem coëgit, & poſtremo *Neomagum* adulto autumno obſeſſum tot victoriarum cumulo acceſſit, *omnia anno* 1691. Hiſpanis cum ob ſpes Gallicas, tum per diſcordiam & diffidentiæ mutuæ offenſas omnia negligentibus, nihilo tamen minore *Mauritii* laude *celeritatis, induſtriæ atque prudentiæ*, per omnem *Europam* diffuſa.

2. Tanta proſperitas & facilitas occupandi magnas & munitas urbes ſine morâ fodiendi & cuniculos agendi, *ſequenti anno* fefellit ad *Stenovicum* ultimum *Tranſiſalaniæ*, Friſiam verſus, oppidum: Quod probe munitum & valido inſeſſum præſidio *poſt horribilem è tormentis tempeſtatem*, Mauritium pacta deditionis expectantem eluſit, *magna paſſim in deterius fama*, quam ipſe cum *Gulielmo* indefeſſo labore ac artificio, extorta cis menſem deditione, reparavit. Quâ tranſactâ, *Guilielmi* auctoritas, poſt multam diſceptationem, *Covordiæ* in *paludibus Friſicis ſitæ* obſidionem pervicit, quæ non ſine certamine multaque difficultate *initio Septembris* ad deditionem coacta fuit, quam *menſe Decembri* ſequuta eſt *Alexandri Farneſii Parmenſis* Principis & provinciarum Hiſpanienſium Gubernatoris mors, *cujus elogium res geſtæ faciunt*; quæ tamen *ultimis annis* ut *fortuna ſenes plerumque deſtituit*, in Belgicâ minus efficaces & proſperæ fuerunt. Ejus locum *Petrus Erneſtus Mansfeldius* octuagenarius ſenex ad tempus occupavit in *exitu anni* 1592. Initio ſequentis

tis Martio menſe *Mauritius*, *Gertrudis montem* in ſolo Brabantiæ ſitum, ad Hollandiam pertinens oppidum obſedit, *paulo plus quinque millibus militum habens*, ſed caſtris ita munitis, ut *Manſfeldius* cum 14 millibus accedens perrumpere vel commeatus intercludere non potuerit; quem caſtra faciendi morem adhuc inuſitatum & ex Romana diſciplinâ petitum omnis Europa mirabatur. Oppidum poſt tres menſes ad deditionem coactum, *inſpectante Mansfeldio*, qui ſub exitum anni locum ſuum ceſſit *Erneſto Auſtriaco Rudolphi Cæſaris fratri*, Belgis Hiſpanienſibus à Philippo Rege præpoſito; contra quem fœderati *quatuor millia novorum è Germania militum & trecentos equites* conſcripſerunt, in principium *anni* 1593. In quo tamen anno nihil memorabile geſtum.

3. Sed anno ſequenti *Groningana* civitas obſeſſa & in poteſtatem redacta eſt; qua de re ſic eſt habendum; Poſt obitum Principis *Welhelmi Auranſionenſis*, *Leiceſtrio* in Gubernatorem generalem electo, *Mauritius* ad Hollandiæ & Zeelandiæ præſidium ac armorum præfecturam, & in Friſiâ *Guilielmus Ludovicus* Wilhelmi fratris filius ad eandem dignitatem evectus fuerat. Amoto *Leiceſtrio*, *Mauritius* à pluribus Provinciis electus, in Friſiâ manſit *Guilielmus*, non ſubjectus *Mauritio*, nec ullo exiſtente *præfecto Generale*; ſed arma Friſica ſolus & ſeorſim tractaverat, accipiens ſubinde à *Mauritio*, eidemque mittens auxilia. Res ita poſtulabat, Hiſpanis ſub Fran-

ciſco *Verdugo* præfecto validis, *Groningâ* pluribuſque in *Tranſiſalaniâ* locis adhuc inſeſſis & Friſiæ incumbentibus. Sed res illorum in his partibus adſiduo coarctabantur, eratque magna ſatiſque certa ſpes, *Groningam ſolis Friſiæ copiis & obſidione longinqua ad deditionem cogi poſſe*; quod optabant quidam *Friſiæ Proceres*, hoc conſilio notabili, *ut è terris inter Flevum & Amaſin paludeſque Drentinas*, quarum clauſtra, *Covordiam* aliaſque arces tenebant, *unum Reipubl. corpus efficerent*; quibus duo Tranſiſalaniæ oppida Stenovicum & Haſſeltum, ſitu *ad claudendum illud corpus* idoneo jungi deſiderabant, eaque jam præſidiis, oppidanorum commodo & conſenſu tenebant; *ſalvo jure Tranſiſalaniæ* Ordinum, quod ad fructus & jurisdictionem. Fuerant Friſii & manere volebant ſocii *fœderis Ultrajectini*; ſed ut adhuc copias & res ſuas ſeorſim habuerant, *ſalvo fœdere*, quod tum minime ad unius imperii vim ita redactum erat, ut progreſſu temporis conſtrictum fuit, ita porro habere cupiebant. Hac causâ cum in Fœderatorum Concilio de *Groninga* univerſi exercitus motu *in poteſtatem redigenda* ageretur, *Friſii*, quorum commodo id imprimis ceſſurum videbatur, rem omni induſtriâ conati ſunt avertere & impedire. Sed quo minus hoc conſilium *Friſiæ* ſaluberrimum, procederet, duæ res obſtabant; Una *Hollandorum invidia, ne corpus illud transflevanum nimis validum fieret, idque* ſuas *res ſeorſim*, quemadmodum adhuc habuerat, ita porro *habere vellet* Altera *Guilielmi Ludovici* diverſum ſentientis auctoritas, cui juris & æqui-

quitatis rationes in promptu erant; *Tranſiſalaniæ urbes invitis ſociis, non poſſe teneri*: Groningam & Omlandiam non eſſe alio jure habendas, quam Gelriam & Tranſiſalaniam, quæ hoſtibus ereptæ *priſtinum jus inter Ordines Generales obtinuerant.* Sed Proceres, quorum præcipui fuere *Carolus Roorda*, *Kempo à Donia*, *Abelus Frankena*, *Eco Iacobi*, *Eco* Ilbrandi, viri omnes doctrina, amore patriæ, zelo religionis ac libertatis uſuque rerum excellentes, his rationibus ſpretis, commoda gentis, jus belli, impenſas factas urgebant; in Comitem vero iniquiores, ambitionem illi, *ut diviſis Provinciis & bello latius diffuſo, validius imperaret*, palam objiciebant; Fovitque certamen *Haſſelti* evacuatio præter illorum mentem à *Comite facta.* Cujus tamen potentia & moles fœderis in diverſum prævaluit apud ipſos Friſiæ Ordines, *paucis tantam vim prudentiæ poſſidentibus, ut è longinquo præſtantiam illius conſilii*, quam poſteri immenſis longinquæ militiæ & navalium bellorum procul ab re ſuâ, impenſis ſero nimis ſenſerunt, perſpicere poſſent. Optimates prædicti ad ultimum uſque ſuum conſilium proſequuti ſunt, etiam cum urbe ad extrema redacta, de conditionibus ageretur, id agentes, ut inter obſides electi civitati perſuaderent, quò ſe in idem cum Friſiâ corpus uniri peteret, prærogativam illi multam à ſe & *contra Omlandos* oſtentantes; At ſerò tum quidem, *prævalentibus belli Ducibus*, quibus alia conſiliorum via; deditione ſequuta *die* x *Julij* 1594,

1594, his, inter alias, legibus; *Groningani cum Omlandis redirent in Societatem Ordinum Generalium, ſalvis legibus ſuis & privilegiis. Controverſias ſuas cum Omlandis præſentes & futuras ſubmitterent Ordinibus Generalibus. Guilielmum Comitem agnoſcerent Gubernatorem. Exſules reſtituerentur. &c.* Trienno poſtea deciſa lis inter urbem & *Omlandiam*; his legibus, ut *Civitas dimidiam provinciæ partem jure ſuo complecteretur; alteram Omlandiæ. Ne liceret Omlandis aliâ quam in urbe cocta uti cereviſia. Merces domi natas ne foras eveherent, niſi in foro civitatis primò exhibitas & venum expoſitas; Idem de aliis mercibus negatum.* In executione ſententiæ deinceps ita laboratum eſt, ut nunquam ea res ad ſtabilem uſum quietemque redigi potuerit: *Civitate veteris gloriæ memore juriſque olim acquiſiti & ab Hiſpanis aucti tenace. Agrariis, ad æquam libertatem hoc ſtatu rerum, ſine reſpectu Hiſpanicæ erga Civitatem indulgentiæ, provocantibus.*

4. Res bellicæ alioquin hoc & *ſequenti anno* minus fuere memorabiles; niſi quod *Mauritius* Julio menſe 1595 *Grollam* obſeſſam, imminente cum auxiliari exercitu *Montdragonio*, ſummam rei prælio, *etſi viribus non inferior*, commitendam non putans, propere dereliquit; hoſti tamen incontinenti, ne quid amplius proficeret, caſtris opportuno loco munitis ſeſe opponens. Interim Hiſpanica res in *altera parte Belgicæ contra Gallos* florebat; Hollandorum commercia in Hiſpanicis ditionibus, quæ adhuc mutuæ utilita-

litatis reſpectu à *Philippo* permiſſa fuerant, impediebantur, Elizabeth ingens ſuum æs Fœderatorum rebus impenſum, etſi pacto de non petendo *durante bello* devinctum, importunè repetebat, obrepente Anglis invidia adverſus invaleſcentem Batavorum induſtriam & mercaturam, etiam objicientibus, quod ipſi Henrico Regi in *Galliam uſque* mittendis auxiliis operam dediſſent. Quà rerum conſtitutione *Albertus Auſtriacus* multâ cum ſpe pacis & benignitatis, Belgicæ Gubernator *Erneſti fratris defuncti* loco futurus *Bruxellas* ingrediebatur, *Philippum Wilhelmi Arauſienſis* filium primogenitum ante triginta annos è Lovanienſi Academiâ in Hiſpaniam avectum, ibique moribus & religione gentis imbutum, fœderatis in exemplum adducens. Quibus rebus Elizabethæ demonſtratis ipſa quidem exigendâ pecuniâ pauliſper ſuperſedit, Batavi verò Hiſpaniâ excluſi, *nihil arduum induſtriæ arbitrati*, quommodo in *Indias* ipſi penetrarent, agitare cœperunt; Iter Luſitanis uſitatum ſibi periculoſum & longius rati, viam per mare *hyperboreum* triplo brevioremtentarunt, blandiente primo ſpe ſucceſſus, ſtupente novitatem audaciæ genere humano; ſed immenſis deinde repulſi difficultatibus, poſtea per mare Auſtrale navigatione factâ totoque orbe circum navigato, quod tamen Angli jam præverterant rem tentarunt, Cum nec illa ratio ſatis probaretur, ſolitam Luſitanis viam feliciusinſtiterunt; *proventu lucri primo impenſis operæque medioriter reſpon-*

dente; ſed perſeverantiâ ac induſtriâ ſuperatis itinerum hoſtiumque difficultatibus ipſos Luſitanos paulatim ſuperarunt.

5. Annus MDXCVI novas *tributorum impoſitiones* attulit, auctiore jam militum numero, qui ad *triginta millia* adſcenderant: ſed quod mirum illis temporibus videatur, clarè compertum eſt, *fraude centurionum & falſis luſtrationibus*, tertia parte amplius deſiderari nec amplius *quinque millibus* in agmen aut aciem educi poſſe: Tractum id ex *Hiſpanorum* imitatione; apud illos ab *Alberto Auſtriaco* emendatum, ſedit adhuc fœderatis; ut nec emendari illo ævo, quod mirum in Republ. ſatis emendata, potuerit. Albertus repentinâ vi capto *Caleto*, ſe convertit ad *Hulſtam*, eamque brevi ſed acri oppugnatione coëgit ad deditionem, *Hiſpanorum fortunâ tam contra Gallos* quam ab altera *parte prævalida*; Contra quam cum Henricus Rex & Eliſabeth Regina fœdus novarent, eique Belgas fœderatos conjungi cuperent, hos Angla pro *Clientibus* ſuis complecti volebat. Sed *Henricus*, ut nominatim fœderis partem facerent, evicit, non vulgari naſcentis honore Reipubl. & generoſitatis argumento; quæ non verita eſt etiam Anglorum exemplo impedire, *ne à quoquam gentium res bellici* & nautici uſus, à ſuis vero nec frumentum aliique commeatus in Hiſpaniam deveherentur.

6. Dehinc initium anni 1597. inſignitum eſt clade Hiſpanicâ magnæ victoriæ inſtar, Mauritii *vigi-*

lan-

lantia apud *Turhoutum*, ubi cæſi è *quinque fere millibus* in hybernis ibi collocatis *bis mille quingenti* præter *captivos ſexcentos*; Specimen non ſpernendum, quidaliquando de prælii fortuna, ſi res ferret, ſperari poſſet. Æſtate vero ſequenti *Berca* civitas ad Rhenum *juris Colonienſis* ſed ab *Hiſpanis* inſeſſa, decem intra dies capta eſt, in Auguſto, inſtrumentum ſubmovendi reliquias Hiſpanorum ab orientali parte Rheni, quà parte bellum omni tempore fœderatis moleſtiſſimum fuit; ut uſu venit, *Grolla Civitate* menſe Septembri capta, quibus acceſſere *Brevordia*, *Enſcheda* veterum Marſorum & Saliorum oppida & omnium *Linga* poſtrema; ingenti *Gelriæ*, *Tranſiſulaniæ Friſiæque levamento*, quibus ab iſtorum locorum præſidiis damna data fuerant immenſa. Quorum memoriâ exulcerati populorum animi ægrè ferebant *Mauritii humanitatem*, qui plures *quinque militum millibus*, honeſtis dedendi pactionibus, quos occidere vel captivos retinere potuiſſet, dimiſerat; quam iram leniit mox fama; *cohortes illas multorum ſtipendiorum reliqua flagitantes acerrimam moviſſe ſeditionem*, dum Hiſpani totis viribus Gallis incumbentes extrema Imperii negligebant.

7. Cum Belgicis rebus conjunctæ ſunt res Friſiæ Orientalis. Hæc olim populariter libera à temporibus, atque ut creditum eſt, *è Privilegio Caroli M.* diverſis Cæſarum reſcriptis agnito, paulatim inciderat in varias Dynaſtias. Quarum pleriſque tandem redactis in poteſtatem *Ulrici Sirxena* Gretani, is à *Friderico* Imperatore

Comitis dignitatem & Inveſtituram impetravit, ut dictum *pag.* 86. quod nonniſi poſt decennium Ordinibus populi propoſitum atque ab illis agnitum eſt, *ſalvis libertatibus Caroli Magni*. Hujus filius *Edſardus* ſuprà nobis dictus *pag.* 101. res pro modo fortunæ ſuæ magnas geſſit, mortuus *anno* 1528. *cum anno præcedente* Proteſtantium religionem amplexus bona Eccleſiaſtica ſibi vindicaſſet. Ex tribus ejus filiis Ordines ſecundo genitum *Ennonem* ſeniori *Vlrico* imminutæ mentis credito prætulerunt. Ennonis filii fuerunt *Edſardus II & Johannes*, quorum hic Reformatæ religionis erat; aſylumque ejus *Embdæ* aperuit, *cujus Eccleſia inter illarum partium vetuſtiſſimas habetur. Vnde* & Civitas exiliis cum è Belgio, tum aliunde plurimum aucta magnis emporiis accenſeri cœpit. Johanne mortuo ſine liberis, ejus ditiones *Edſardo* advolutæ ſunt, qui Lutheranus & uxorem habens *Catharinam Guſtavi* Suetiæ Regis filiam parum civilis ingenii feminam Embdanis ſuſpectus & inviſus fuit. Unde memores libertatis antiquæ jugum excutere cœperunt. Quâ de re cum motus & certamina crebreſcerent, Embdani apud *fœderatos Belgas* plus favoris quam Comites invenerunt, tam religionis causâ, quam quod Comites Hiſpanis ſtudere videbantur. Prima contentio qualitercunque ſopita eſt tranſactione Delfzylenſi *anno* 1595. Quæ tamen initium potius, quàm Deciſio controverſiarum in hanc uſque diem continuatarum fuiſſe videtur.

C A P.

CAP. XIII.

De rebus Belgicis ab anno 1598 *ad Tractatus Induciarum Anno* 1608.

SEd Hiſpanica res adſiduis bellis & cladibus ad anguſtias rei pecuniariæ inſignes redacta, fecit, ut ſerio Philippus ſenex ad pacis cogitationes, *miſſo pauliſper monarchico molimine*, animum ſuum induceret, amicoſque & inimicos eâ gratiâ ſollicitaret. Primo *Rudolphus Cæſar* poſt tot irritos pacificandi conatus denuo Legatum eâ gratiâ mittebat, *Carolum Nutſelium*, quem Fœderati cauſæ legationis gnari *admittere*, cum honoris præfatione, licet ægrè ferentem *recuſarunt*. Dein *Sigiſmundi* Poloni Legatus *Dialius*, de quo in Anglicis, auditus eſt Hiſpanicam prædicans magnitudinem & clementiam Ordineſque reparandi obſequii admonebat, *ne minis quidem parcens*, quaſi horreo Polonico Belgarum commercia carere non poſſent. Reſponſum conſtanter, at incorrupto regiæ dignitatis honore, contra quam, *Ordines*, minus quam Elizabeth demonſtravit, ſibi licere exiſtimarunt. Daniæ regis Legati moderatius egerunt: omnes cum hiſtoricâ & juridicâ cauſarum belli & ambitionis ſævitiæque Hiſpanicæ expoſitione, nec ſine honore dimiſſi ſunt. Poſtremum pacis illicium fuit *Alberti Auſtriaci* adventus & fama de matrimonio illius cum *Elizabethe Infante* Hiſpaniarum, Belgis & Burgundis in dotem dandis,

dis, ut Germano & benigno Principi facilius ipſi fœderati ſe committerent. Quod *irradicata animis diffidentia* in his quidem irritum fecit, eo magis, quod hoc ipſo tempore *Albertus*, quo magis ſe *Philippo & Sacerdotibus* probaret, obſoletum è ſanguinolentis legibus exemplum Bruxellis renovans *Annam Tenhoviam* religionis cauſa publice *vivam ſepulchro defodi* juſſerat. Poſtremo cum ſatis conſtaret, *Batavos eorumque ſocios jugum Hiſpanicum pacis viâ nullo modo ſubituros*, ita viſum eſt *Philippo*, cum Gallis pacem quovis modo pangere, omnem in fœderatos vim intendere. Quo pacto cum Gallis tranſegerit, *intercedentibus fruſtra fœderatorum legatis*, intellectum eſt *antea*. Sed Angla ſolutionem *Octingentarum millium librarum Sterlinarum*, quas rei Belgicæ impenderat, lentis penſionibus ſtipulata fœdus renovavit: Fœderatorum res commerciis per omnes orbis terræ partes ipſamque Hiſpaniam, lucro & neceſſitate Edicta utrimque ſuperantibus, ita invaleſcebat, ut non modo ad belli continuationem ſed etiam ad luxum vires animique augerentur.

2. Enimvero ſubmotis ab Orientali parte Rheni Hiſpanis, multum ſecuritatis Belgarum populis illic aperto latere obnoxiis acceſſerat, quam magno cum terrore hominum excuſſit *Franciſci Mendozæ Arragonum Admirantis*, ut loquebantur, expeditio; qui exercitum ducens XXIII millium, occupato *Orſoyo & Berca* aliiſque locis, crudeliter ſæviens fugam & vaſtitatem latè propaga-

pagabat, *amicis gravior quam inimicis*, dum illi malis premuntur, hi famâ defunguntur, capto in fœderatorum ſolo nonniſi *Deutcomio* vili oppido; majore *Mauritii gloriâ*, quod exercitum habens ſex millium & infra, potentiſſimum hoſtem arte magis quam vi compeſcuit. Interim Germania inermis longa pace emollita & *auctoritate*, *ſine viribus*, *Imperii malè tuta* conventibus crebrò actis, viam quâ hæc mala repelleret, non inveniebat. Jungere vires cum Belgis non placebat, *metu longioris belli & domus Auſtriacæ*, neque fœderatis ipſis ſocietas illa placebat, metu diſcordiæ, cum inter ſe & Germanos, tum inter hos ipſos, & experimento, *Germanos ſtipendiis & numeris noſtris eſſe bonos*, *auxiliis authenticis inutiles*, *ut in Caſimiro* aliiſque compertum fuerat.

3. In hoc ſtatu res in annum ſequentem duravit, quo Hiſpani, ut mercaturam, fœderatorum alimentum, iis præciderent, non modo *navigationes eorum in Hiſpaniam*, *ſed etiam in Belgicam Hiſpanienſem* omneſque Regis ditiones rigidè prohibuerunt. Quod ita comparatum erat, ut ingens fœderatis incommodum allaturum videretur, *nauticâ plebe ad incitas redacta*, mercatoribus dilapſuris & quod pejus erat, aliis gentibus poſſeſſionem Mercaturæ ſibi vindicaturis. *Remedium placuit extremum & mirificum in Republica tantum quod nata neque dum adulta*. Parata eſt claſſis LXX. navjum ſex mille nauticos & bis mille tenens milites, eamque præceſſit E-

di-

dictum, *prohibens æquè rigide civibus omne cum Hiſpanis commercium*, & mónens omnes populos orbis terrarum, ne portus Hiſpanicos obirent, ni capi & prædæ eſſe vellent; Ita belli rationem exigere & Hiſpanorum inſolentiam mereri. Tam inſolens in ſpeciem Edictum tulit *Europa*, *Galliæ Rege primo ſuis hominibus parere jubente*, *Angla colludente*, *Danis*, *Suecis & Anſiaticis* iſta exempla virium inopiâ & damni experimento ſequi coactis: Donec uſus magiſter docuit, ipſos fœderatorum cives ſub aliarum gentium ſignis paulatim fugitivam repetere mercaturam, in ipſis Hiſpani ditionibus, & *infractus eſt rigor Edicti conniventiâ.*

4. Terreſtri bello *Andreas Auſtriacus Cardinalis*, abſente *Alberto*, Hiſpanienſi Belgicæ præpoſitus & *Mendoza Bommeliam* obſidione fruſtra cinxere, *Mauritio & Guilielmo* ſummâ vi & arte, licet numero inferioribus, maximas hoſtium copias facile ſuſtinentibus, evitato prudenter pugnæ diſcrimine, *quod Ordines* ſumptuum in longitudinem pertæſi *commendabant* urgebantque. Duces prudentiam & patientiam laudabant, *majorem è commodo certo, quam ex ancipite prælij eventu ſperantes gloriam*, quæ major fuit, quod eodem tempore Germani Hiſpanorum injuriam ulturi magno conatu & exercitu nihil egiſſent, ut in *Germanicis* indicavimus. *Andreas* caſtellum ſui nominis ad confluentes Vahalis & Moſæ hac æſtate ingenti ſumptu exſtruxit, quod *Mauritius* Kalendis Majis anni 1600. ſeditione militum

ma-

magis Præſidiariorum quam vi occupavit, militibus ad ſua quoque ſtipendia traductis *novorum Geuſiorum* nomine diſtinctis; ingenti fœderatorum propter arcis ſitum commodo; Cum paulo ante *Albertus* poſito Cardinalis pileo maritus *Iſabellæ Infantis* & cum illa Belgarum Princeps factus, ingenti Pompâ Bruxellis receptus fuiſſet, *etiam pacis propoſitq fruſtra renovato:* Tametſi onus belli fœderatis indies ingraveſcebat, cujus difficultas apud Friſios in motus populares erupit. Primo *Groningani* ab Hiſpanis *Præſidii & tributorum* immunes habiti, contributiones, quæ juxta alios fœderatos ab illis exigebantur, ægerrime ferebant; *Qui enim cum ſervire dicebantur nihil penderant, ſpeciem libertatis in diram ſervitutem verti ferre non poterant*, accedente, quod jura civitatis in *Omlandos* ab Hiſpanis effuſe indulta Ordinum ſententiâ circumciſa fuerant. Ergo nihil expedientibus ex fœdêris lege vis adhibita, exarmatis civibus & arce eorum cervicibus impoſitâ, donec *aureæ libertatis pretium eſſe, jugum tributorum* ingratiis didicerunt. Apud Friſios minor defectus ſolvendi; ſed cum onera belli adhuc è cenſibus agrorum tuliſſent, *creſcentes cum victoriis ſumptus, nova exigebant vectigalia*; de quibus inter *Ordines agreſtes oppidanoſque* non conveniebat, & ambitus addebat diſcordias, ſciſſo in duas partes Senatu politico, *paganis Orientalibus & Occidentalibus Franekera*, Sylueſtribus oppidanis cum Gubernatore, quibus *Curia* juridica ſuam jungebat auctoritatem, *Leo-*

zardiæ congregatis. Prævaluit, ut ſolet, ea pars cui vis & Dux aderat, arte tamen & tranſactione magis, ut erat Guilielmi ingenium, quam vi armata.

5. Sed hujuſmodi difficultates, quarum nec reliquæ nationes erant expertes, judicia Procerum ita præſtrinxerunt, *ut compendio belli opus eſſe judicantes in anceps præcipitium ſe Remque publ. dederint*. Erat *Dunkerka* civitas maritima Flandriæ navigationibus Hollandiæ Zeelandiæque *infeſtiſſima*, quam redigi volebant in poteſtatem; quod & facultatem, *ſi prælii fortuna non timebatur*, *haberet*. Neque timebant Optimates, vel quod *præcipuæ Alberti legiones* ob non ſoluta ſtipendia diu tumultuatæ, exuto penitus obſequio, *receſſerant*, vel quod *Deo*, *cauſâ*, *Duce*, *milite* fidentes æquè animoſi erant ac anno ſuperiore viſi fuerant. Mauritius coram & Gulielmus abſens expeditionem, ut nimis periculoſam acriter diſſuadebant; *ſed vicit impetus togatorum.* Exercitus cum Oſtendam à fœderatis inſeſſam ventis adverſis devenire non poſſet, apud *Iſendicum* expoſitus per *mediam Flandriam*, cuncta hoſtilia, more victoris iter faciebat, *Oſtendamque ſuam prætergreſſus* Neoportum invadebat, ut eo rapto, *Dunkerkam* aggrederetur. Albertus omneſque Duces Hiſpani tam inſperata occaſione confligendi cum hoſte, *quem ſemper intra paludes & flumina ſubducere ſe queſti fuerant*, undique milites exciebant, tantuſque fuit ardor pugnandi, ut etiam qui ſeceſſerant, ipſâ *Iſabella* paſſis orante manibus,

ſub

ſub ducibus ſuis *Electis* ſemet accingerent. Incredibili celeritate paratis omnibus, eodem itinere, quo *Mauritius* inceſſerat, raptis quæ occupaverat locis, ipſos prævenere nuntios, etiam *Erneſtum Naſſavium*, qui cum cohortibus *Scoticis* & *Zeelandicis* nocturno curſu pontem hoſtibus præripere juſſus erat; Ponte jam occupato, tamen id egit, *ut hoſtem detineret. Sed impetu oppreſſi, onctingentis cæſis*, reliqui *Oſtendam* fugerunt. Hiſpani dimiſſis primæ victoriæ nuntiis, cujus ſigna publice data, ſine intermiſſione properabant, *metu, ne Fœderati ſe in naves aut Caletum* reciperent, quod ſuaſerant nonnulli Mauritio. Sed parabat ei hanc diem fortuna, quo conſtaret, *eum non timore*, quod inimici & invidi jactabant, ſed *caritate* Patriæ, *ſummam rei nunquam prælio committere voluiſſe.* Nunquam dux belli majore conſtantiâ neceſſitatem flexit in virtutem, majoremque tam *in providendo perſpicaciam, quam in ipſo conflictu animi præſentiam rationemque* demonſtravit. In receſſu cladem videns certiſſimam, è continenti militem machinaſque per portum Neoportenſem vel pontibus reduxit obviam hoſti, naves in altum provehi juſſas cohortibus in litore diſpoſitis monſtrabat, ut *inter mortem & victoriam, nihil medium intelligerent.* Hiſpani impetu immani, præcipiti conſilio ducebantur: Nam ſi inter *Oſtendam* & *Neoportum* caſtra feciſſent, *Mauritium*, cui in hoſtis conſpectu nullus erat receptus, fame in poteſtatem certiſſime redegiſſent, idque pauci Duces veterani ſuade-

bant. Sed *Albertus* ipſe rapiebatur, & ſeditioſi, robur exercitus, ſi reliqui cunctarentur, ut *ſoli manus conſerturi* præceſſerant, non curantes, quod citato bidui curſu fatigati nec curatis corporibus recentes invadebant. Sed in conſpectum adducti, hoſtium aciem præter opinionem videntes inſtructam, per quatuor horas ad tertiam uſque pomeridianam ſubſtiterunt; *Mauritio ad expectandum non ad procurrendum obſtinato.* Initium ab Hiſpanis fuit; Numero ferme æquales erant, *duodena utrimque millia*; veterani omnes, animis odiiſque infeſti; *peditatus Hiſpanorum, Equitatus fœderatorum melior* cenſebatur. Et hinc adfulſit victoria; Nam *Ludovicus Naſſavius* primo equeſtri conflictu hoſtilem alam, ſuâ numeroſiorem fudit: ſecundo minus proſperè congreſſus, tertio rurſus vicit, & *Mendoza Arragonius* Dux equitum ſummus oppreſſus & captus eſt. Peditatus Hiſpanorum immani irruens clamore, *ſilentio à fœderatis exceptus*, primo Anglos & Friſios ſub Verio Anglo, cujus præcipua virtus eluxit, in ipſos fluctus impulerant. Sed hi reparata virtute, cum omni peditatu ſtrenuiſſime conflixere, donec ab equitatu victore Hiſpanienſes omnes in fugam diſſoluti ſunt, quod *de notabili Hiſpanorum corpore nulla adhuc pugnâ in Europâ compertum fuerat*, quando ſemper integris ordinibus diſcedere curæ habuerant; tum illud decus quater mille Germanis vindicatum eſt. Octingenti hoſtium capti, plerique notabiles; *Quinque millia* occiſi creduntur, tria Grotius;

nec

nec incruenta fœderatis victoria, cæſis mane veſperique *tribus* fere *millibus*; hunc etiam numerum duplo minorem Grotius facit, ut nihil in præliis incertius eſt, quam numerus cæſorum. Albertus ægre, jam manu ipſi injectâ, evaſit. Synchroniſmus, quod eadem die, quæ fuit ſecunda menſis Julii, ante duos & ducentos annos, *Albertus Auſtriacus Adolphum Naſſavium* prælio vicerat, ſuprà commemoratus eſt.

6. Mirum eſt, tam excellentem victoriam nullum *niſi gloriæ* peperiſſe fructum; *Albertus* enim tantam adhibuit diligentiam, & Mauritius tot adverſa cœli ſolique habuit, ut nullâ re geſtâ, exercitum *quaſi victum* iiſdem quibus venerat navibus avehere coactus fuerit, mirantibus vanitatem conſilii ſui optimatibus, quod *nec victores eorum quæ re dubiâ conceperant quicquam efficere poſſent*, omniſque populus & miles *non minori horrore quam lætitia* rei geſtæ memoriam repetebat. Nec defuere, qui Mauritio nimiam *Togatorum, à quibus ad hoc conſilium impulſus erat*, auctoritatem, cui poſthac cedere non oporteret, figurabant, ipſique Optimates aliquanto plus animi deinceps in illo, minuſque adverſus Ordines obſequii, paulatim & ſtudii plus immiſcendi ſe Reipubl. quam vix adhuc attigerat, obſervare ſibi viſi ſunt. Unde paulatim *rudimenta factionum reviviſcere*, nonnullis evehendi ſe cupidis hanc viam rimantibus: Sed quamdiu bellum fuit, ejus rei ſpecies non cepit publicum, *donec quies & occaſio ſecreta initia detexit.*

texit. Duabus adhuc belli commiſſionibus defungi oportuit; Oſtendæ obſidione & expeditione TransRhenana, quæque interim alibi geſta.

7. *Oſtendæ obſidione* nihil habet celebrius omnium Hiſtoria gentium & ſeculorum, *tempore*, vi, *ſumptu*, *arte belli & numero cæſorum*, qui à parte duntaxat Hiſpanorum, ad numerum LXX *millium* adſcendit, ſumptus ultra *decem milliones auri*; tempus ad *triennium* & octo *ſuprà ſeptuaginta* dies. Vis è trecentis millibus tormentorum ictibus majorum, colligi poteſt. Artium belli quicquid adhuc in orbe cognitum erat, adhibitum pluresque ibi repertæ. Albertus Flandrorum adſiduis motus querelis, quod illa civitas in medio Flandriæ poſita mirifice illos, etſi caſtellis undique cincta, vexabat, obſidionem inchoavit *die* 5. *Julii* 1601. eique finem impoſuit *Ambroſius Spinola* Genuenſis *d.* 20 *Septembris* 1604. quo deditum eſt *coemiterium potius quam oppidum*; in quo nihil in ſolo aut ſuperficie integrum; poſtquam Mauritius interim *Bercam Rheni*, *Graviam Brabantiæ*, *Sluſas & Ardenburgum Flandriæ* Hiſpanis eripuerat, quibus damnum *Oſtendæ* abunde penſaverat. Cauſa tantæ durationis, *ſitus erat urbis maritimus*, quo factum, ut fœderati maris potentes adſiduo illam adire poſſent; etſi *Fridericus Spinola*, adductis, inſolito in hoc mari navium genere, longis navibus ſex, in quibus præter vela remorum uſus, rei navalis imperium diſputave-

taverat, *irritus incepti:* prævalentibus indies hac parte virium fœderatis, non modo in ſuo, verum etiam in *Atlantico & Indico Mari*, quod *Hiſpanis à Pontificibus Maximis* donatum claſſibus & mercimoniis ſibi vindicabant. Anno 1602 placuit Societates in Hollandiâ & Zeelandiâ, quæ adhuc multæ verſus Indias fuerant, cum ſe mutuo impedirent, in unam compingi, vetito, ne cuiquam præter illam è Belgis in Indias navigare liceret. Quod *monopolium ejus generis unicum, pulcherrimi ſucceſſus in omni ſeculorum extat memoria:* Ut privati mercatores ſub alio ſole cœloque Rempubl. potentem lateque diffuſam ſtabiliverint, modicoque patrimonio non excedente *vicies & quater centena ſcutatorum millia*, pacis & belli jura complexi, Imperium ſuum contra maximas orbis terrarum poteſtates vindicaverint & tueantur; ſede quaſi Regiâ apud *Jacatram* inſulæ *Javæ*, cui *Bataviæ* nomen dedere, conſtitutâ.

8. Transrhenanæ expeditionis auctor fuit idem, qui *Oſtendæ* expugnatæ, *Marchio Spinola*, qui ex improviſo, copiis alio prætextu apud *Cæſaris Uvertam* collectis, trajecto Rheno, *Bercâ, Grollâ omnibuſque ad Iſalam urbibus a tergo relictis*, dum Mauritius in Flandriâ detinetur, *Lingam* petiit, inde apertum Friſiæ Tranſiſalaniæ Gelriæque latus habiturus; neque terruit eum vetus belli monitum, *non relinquendas à tergo munitas hoſtium urbes*; docuit *ſuperſtitione præceptorum* belli rationem *poſſe corrumpi.* Nec du-

binum, quin *ſic, aut nunquam*, ut in ſuis ſignis *Spinola* proſcripſerat, bellum conficeretur. Ducebat expeditum agmen *novem peditum, equitatus duo millia,* ſtipendiis de ſuo ex pacto cum Rege exactè ſolutis, ac ita res nova Hiſpanis, *exa a in militem diſciplina conſtitit.* Unde commeatus itinere longo è vicina Germaniâ abundantes; *Oldenzalium* è viâ raptum, *Linga* recens à Mauritio munita, *nonum intra diem*, ante quam *Spinola* poſtularet, dedita. Ingens terror ſubitæ invaſionis Friſiam Viciniamque pervaſerat. Poſtquam enim pulſis trans Rhenum Hiſpanis, bellum omne in Brabantiam & Flandriam migraverat, hæ partes ſtipendiis duntaxat & tributis bellum ſentiebant, inermes & tanquam in altâ pace ſecuræ. Rarus apud *Covordiam & Bortaniam* clauſtra paludum, quibus *Friſia* cingitur, miles, *Friſia omnis Vacua*, trepida *Groninga* necdum oblita partium, quas indulgentiores in ſe quam Fœderatos experta fuerat. Sed improviſa proſperitas attonitum quaſi Spinolam hactenus impediit, ut tempus Mauritio accurrenti daret, omnia firmandi præſidiis, qui mox regreſſum ſequutus *Spinolam*, quominus apud *Mullemum Rheni oppidum*, notabile damnum ex inſidiis illi daret, ignavo equitatus ſui pavore fugâque impeditus fuit. Annus ſequens æquè proſper Hiſpanis, *captâ Grollâ & Berca*, opinione celerius, etſi numeroſo & egregio præſidio, inſpectante Mauritio; Cui nec viribus impari Ordines pugnandi poteſtatem fecerant; *Sed ille tutio-*

tutiora prætulit. Quin mox, obſeſſam à ſe Grollam imminente Spinola, *cum ſeptem millibus peditum mille ducentis equitibus*, ipſe multo numeroſior, deſeruit, adverſus rumores, gloriam *poſt ſalutem* ponendi pervicax. Ita exiit annus MDCVII.

CAP. XIV.

De Belgicis rebus ab anno 1608 *ad annum* 1619.

PRoſperi Hiſpanorum ſucceſſus ut gloriæ animiſque fœderatorum detraxerant, ita palam fecerunt, eſſe rem immenſam & viribus Hiſpanis longè majorem, illas gentes *armis belli redigere in poteſtatem*; accedente imprimis ſummâ rei pecuniariæ anguſtiâ, unde crebræ ſeditiones & pejor in futurum metus: etiam *à navigationibus Batavorum*, præſertim ſi paria his, quæ apud *Indias* effecerant, *in Americâ* perpetrarent. Cujus rei jam præceſſerant initia & Societas nova hac gratiâ parabatur. Auxitque terrorem quod expeditio *Heemskerkii* in freto Calpetano, de quo *in Hiſpanicis* dictum, his ipſis diebus evenerat. Plane *Albertus & Elizabeth* ardentiſſimè pacem cupiebant, nec eam *Spinola* diſſuadebat, æris ſui recuperandi ſtudio & gloriâ partâ contentus. Nec alia mens *Fœderatorum primoribus*, ob magnitudinem æris alieni & abominatione belli ſempiterni onerumque ſine fine modoque augeſcentium. Suberat *occulta in Mauritium æmulatio*, qui jam pridem plus ſibi arrogare, quam ſolitus erat, *olim Optimatium auctoritati*

tati obnoxius, videbatur, & qui ſola quiete, ne poteſtatem quam acceperat, vi quam ſpecie majorem, uſu cognoſceret, impediri poſſe videbatur. Sed hæc *in altitudinem condita ratio, non minus apud animos valebat:* Alia perinde occulta inter Proceres tamen interque hos & Mauritium agitata, *duos foris eſſe Reges longiore bello ſuſpectos*, Anglum non modo nullâ re partes juvare, ſed *etiam favere Hiſpanis &* invidere commerciis maritimæque Reip. potentiæ. *Gallum* quoque majora quam *pro ſocio inſtituere* & ſive hæc vera ſpecies illos ceperat, ſive ad impellendos *Hiſpanos* excogitatum, exiit ab ipſis Optimatibus fama, *Gallum id agere, ut fœderati certis ſub legibus regno ſuo accederent eâque gratia Flandriam ipſe perrumperet*. Cujuſmodi conjunctionem nonnulli Hiſpanico jugo infeſtiorem, quanto propior & præſentior foret vis Galliarum, augurabantur. Plebs tamen *Belgarum & Veteres Geuſii*, maximè *Concionatores* præſumptione tenebantur *inveterata, omnem cum Hiſpano pacem eſſe inſidioſam & abominabilem*; hiſque *Mauritius* ſe aggregabat, intelligens, pacem aut inducias ſuum munus reddere ſupervacuum *& Optimatium auctoritatem prævalituram*, quæ jam pridem ut ipſi adverſa repræſentabatur. Propoſitio *ab Hiſpanis* prima per privatos, dein per *Nayum* Franciſcani Ordinis Præfectum, quaſi Ordines ſollicitantibus, nec ſine corruptione pecuniariâ, profecta eſt: Quominus eam *Mauritius* primo auditu rejiciendam pertenderet, fecit perſuaſio *Johannis Olden-*

Oldenbarneveldii Ordinum Hollandiæ *Syndici* & *Advocati*, jus *perpetuum relationis* in eorundem Conſeſſu habentis; qui ingenio, prudentiâ, rerum uſu & gravitate morum inde *a receſſu Leiceſtrii* tantam in Conſiliis auctoritatem, quanta in Republ. libera eſſe poteſt, obtinuerat, & *vim Ariſtocraticam*, adoleſcente *Mauritio*, mirificè intenderat, *Democraticis* & *Concionatoribus*, quos odiſſe credebatur, adverſus; pacis vel induciarum conſilia fovens & aperte promovens, *modo libertati, Prævia hoſtium Confeſſione* caveretur, quam cautionem ab *Alberto & Elizabethe* facile, ab Hiſpano Rege ſic etiam ſatis, etſi minus amplâ formâ acceperunt. Admiſſi tamen ſunt Legati Hiſpanienſes, quorum Princeps *Marchio Spinola*, recepti *Hagæ Comitum, menſe Februario* 1608. anno inuſitati rigoris hyeme memorabili: Menſe *Septembri* infectâ rei ſummâ *Bruxellas* rediere, duplici imprimis difficultate, una in ſpeciem de *Catholiciſmo in fœderatorum ditionibus permittendo*; alterâ ſolidiore, *de Commerciis Indicis.* Nullius adhuc tractatus adeo conteſtati extat memoria; *Legatis Franciæ, Angliæ, Daniæ* & plerorumque *Germaniæ Principum* adſiſtentibus: Qui auctores fuere denuo ſuper induciis *loco pacis* tractandi Antwerpiæ, ubi repugnante verbis & ſcriptis *Mauritio*, ad annos XII. convenerunt, *Aprilis die* 14. 1609. In præfatione Tractatus; *Archiduces & Hiſpani declarabant, ſe cum Belgis fœderatis, ut liberis populis, in quos nihil ſibi juris eſſe contenderent, paciſci.* Porro, quod *utrimque*

quæ poſſidebant, id deinceps poſſiderent, etiam Scaldis fluvii clauſtra: commerciis alioquin ubiq; terrarum liberis, & quæ ſolita pacificationibus, æquis legibus initis.

2. Securitati induciarum ſerviebat fœdus cum *Gallo prius* & mox cum *Anglo* initum, mutuæ defenſionis cauſâ. Sed pace foris partâ, domi ingens diſcordiarum fomes coaluit. Optimates à Galliæ imprimis legato adjuti, invito Mauritio, inducias tantum non extorſerant; Amſtelodamenſibus *licet* in Hollandiâ, & Zeelandis omnibus diſſentientibus, cum Mauritio enixe, *qui deinceps amicos & inimicos ſuos ab affectu adverſus inducias æſtimabat.* Maxime in *Barneveldium* animatùs, qui inveteratâ libertate nimis palam illi adverſabatur, *cui rei, monitus licet à Janino Galliæ legato, moderari tamen non potuit aut noluit.* In hunc igitur altâ mente repoſita manebat ira, cùm *Principis*, tum *multitudinis* & qui regebant eam *Concionatorum*; incitantibus omnes, qui & à Reipubl. honoribus remoti potentibus invidebant & viam ſibi per horum ſtragem ad majora parabant. Credebat *Oldenbarneveldius* & qui cum eo ſentiebant, hos animorum motus in tempore, per quietem ac onerum levamenta ſedatum iri; *Togæque auctoritatem Sago in pace prævalituram:* Sed quominus id eveniret, in cauſa fuit de *Religione* contentio. Quæ aliquot ante inducias annis, Leidæ inter *Franciſcum Gomarum* & *Jacobum Arminium* Theologiæ Profeſſores inchoata fuerat; quorum hic Calvini & communem Reformatorum ſententiam *de Prædeſtina-*

ſtinatione & Gratiâ impugnabat; & cum popularis ejus ſententia videretur, etiam novitatis prurigine Belgis peculiari blandiretur, *Procerum populique & Concionatorum multi illam amplectebantur*, quos inter excelluit *Johannes Utenbogardus* Paſtor *Hagienſis* Eccleſiæ facundiſſimus ipſique Principi gratiſſimus & Aulæ quoque ipſius Gallico ſermone Miniſter: Qui & ſolus ex omnibus Eccleſiaſticis, *Oldenbarneveldii* animum ſibi devinxerat, eumque ad Eccleſiæ publicæ communionem, *antea nulli deditum religioni*, cum familiâ ſuâ adduxerat. Multitudo tamen *Eccleſiaſticorum & plebis* in recepta opinione perſiſtebant & novatores cenſuris aliiſque incommodis urgebant; qui, operam dante *Utenbogardo*, ſe Procerum favore tuebantur, pauloque poſt inducias contractas *Remonſtrantiam*, ut vocant, hac gratiâ *Ordinibus Hollandiæ* exhibuerunt, quam adverſa pars refellit per ſcriptum, quod dixere *Contra-Remonſtrantiam:* Unde nomina, quibus diſtinctæ ſunt partes *Remonſtrantium* & *Contraremonſtrantium* exiere duraturæ. Fere ita exinde uſu venit, ut *Novatores Optimatium favore nitentes* inducias laudarent; Pars oppoſita novas ſententias æquè ac inducias vituperarent, ac ita *Mauritius* ab induciis abhorrens æquè à novis ſententiis alienus fieret: Ut jam Gubernatoris *& multitudinis eadem rurſus eſſet adverſa optimatibus factio.* Quæ potuiſſet obſoleſcere *ſi ab ſolis fuiſſet induciis.* Sed de Religione diſcrepantia, interjecto tempore indies ingraveſcens, prio-

prioris quoque diſcordiæ memoriam adſiduo renovabat.

3. Hæ res argumentum hujus ſectionis reliquum conficiunt, excepta in *Juliacum & viciniam* expeditione, de quâ in *Germanicis* actum, cui præ fuit *Mauritius*, urbe expugnatâ anno 1610. At ſciendum, Eccleſiaſticos anno ſeculi VI petiſſe & impetraſſe *Synodum Nationalem*, quæ legatis omnium quæ ſunt in ſeptem nationibus Eccleſiarum conſtare deberet, rem magnæ *ἀναθεωρίσεως* ac ideo rariſſimè ab Ordinibus conceſſam. Addita fuerat clauſula duplex, *Recenſendam eſſe in ea Synodo Confeſſionem atque Catecheſin recep am; & convocandos prius aliquot Thologos, qui de formâ modoque celebrandi Synodum agerent.* Convenerunt illi anno ſequenti Hagæ, quindecim numero, quos inter erat Arminius & tres *Arminiani*, reliqui *Gomariſtæ*, quibus etiam nominibus diſtinguebantur. *Arminiani* ſtatuebant, in recenſendis *Catecheſi & Confeſſione ſolum Dei verbum regulam eſſe debere*, cenſoreſque interim eſſe liberandos ab obligatione, quâ ex *formulis Eccleſiæ* illis ſcriptis erant devincti, Id reliqui abnuebant, uti & hoc, *ne Synodus haberet concludendi poteſtatem*, ſed recedere & referre ad Eccleſias ſuas, ſi quæ id peterent, cogerentur. Non erat obſcurum, quorſum ea ſpectarent: cumque de his *præparatoriis* minime conveniret, iiſdem qui curaverant illas clauſulas adjici, cautio fuit, *ne Synodus aliter quam iſtis legibus procederet.* Habita eſt interim *Collatio Hagienſis*, ſive diſceptatio in-

inter Arminium & Gomarum, juſſu Ordinum Hollandiæ anno 1607 coram *Supremâ Curiâ* & aliquot Theologis teſtibus, cujus exitus fuit, qui ſolet, *exacerbatio major*. *Uitenbogardus* conſultus quid conſilii, in pleno Ordinum Conſeſſu reſponderat, *nullam ſpem eſſe, quamdiu Eccleſiaſtici crederent, Ordinibus nihil eſſe juris in ſacris neque ſe hactenus illis eſſe ſubordinatos; Proinde ſe exitum non videre, niſi Ordines pro jure ſuo partibus injungerent, quod ipſis videretur.* Hoc dictum ingentem animorum motum aliamque adjunxit diſputationem, *de jure Summæ poteſtatis circa Sacra*, non minoribus agitatam contentionibus.

4. Poſt inducias contraverſiis indies creſcentibus, *Ordines Hollandiæ* ipſi *Colloquium*, ſe coram, *inter Præcipuos Theologos* inſtitui juſſere, nullâ quidem ſpe concordiæ inter ipſos ſtabiliendæ; ſed *ut occaſionem haberent, auctoritatem ſuam interponendi*, quemadmodum factum, Decreto *Tolerantiæ*, quo ſalvâ pace, quilibet *de quinque articulis*, quibus omnis diſceptatio comprehenſa erant, ſentire & docere, quod videretur, poſſet, ſine convitio & ſine *metu Cenſuræ*, quod exiit anno 1611; Cum *anno præcedente* Cunradi *Vorſtii*, qui nuper erroneas *de Naturâ Dei* ſententias *edito libro* publicaverat, vocatio ad profeſſionem *Theologicam in Academiâ Leidenſi*, Arminio pridem mortuo, querelas adverſæ partis auxiſſet, ipſumque magnæ Britanniæ Regem excitaſſet, ut ejus reſpectu Vorſtius profeſſione abſtentus Goudam digredi juſſus fue-

fuerit. Delphenſis inde ſequuta Collatio nihilo majorem quam præcedentes fructum peperit, anno 1613.

5. Cum igitur Ordines Hollandiæ *Decretum Tolerantiæ* nullis limitibus circumſcriptum hactenus quidem, *ne Cenſuris uterentur*, obtinere, convitia & certamina non minuiſſe viderent, *anno ſequenti menſe Januario*, Decretum novum *de pace Eccleſiarum* ediderunt, quo copioſe & acutè ediſſerunt, quibus terminis Doctrina *Prædeſtinationis & Gratiæ* à publicis Doctoribus eſſet exponenda, pœnâ *ſuſpenſionis & exautorationis* in refractarios conſtitutâ; quod tamen Decretum nihilo magis ad litem componendam profecit, undique libellis impugnatum & ab *Utenbogardo Grotioque* auctoribus ejus acriter defenſum; odiis partium indies infeſtioribus, non jam religioſis tantum *ſed politicarum factionum ſtudiis*, ſacrâ ſub teſſerâ, *ferventibus*. Res enim eò pervenerat, ut de omni *jure Reipubl. & fœderatarum inter ſe Nationum obligatione* diſputaretur: Dum alii Ordinum Generalium poteſtatem ſuprà ſingulas Nationes extollunt: Alii ſingulas Nationes verè ſummam in ſe ſuoſque poteſtatem, *Ordinibus Generalibus* nullò modo ſubjectam habere, ſinguliſque liberam de Religione ſtatuendi eſſe poteſtatem contendunt. Jam Principi *Mauritio* penitus erat perſuaſum, *prævalente Arminianiſmo, actum fore de ſuâ potentia*. Multique jam à Republ. excluſi, Remonſtrantibus aliquando oppresſis, aditum ad honores ſibi moliebantur. *Henricus* interim *Mauritii* frater vel

à ma-

à matre,quæ *Vtenbogardo* addicta erat,eodem favore imbutus, vel expedire ſibi ratus, ut *exitu dubio*, partem à *Mauritio* diverſam haberet propitiam, à Remonſtrantibus ſe non alienum oſtendebat; quod multi *ipſo Mauritio non nolente* fieri putabant.

6. Poſtremo, Conſtraremonſtrantes *ſine mutatione Reipubl. partes ſuas paulatim ſuccubituras* clarè prævidentes, id agendum cenſuerunt, ut majores motus excitarentur, quibus occaſio daretur *Mauritio*, ſuum *officium*, quod extra tumultus adhiberi non poterat, *interponendi*. Primo igitur *ſubducere ſe Remonſtrantium auditionibus*, ire foras ad audiendos *veteranos*, tantis numeris, ut res *à motibus* non abhorreret, aut in illos quandoque erumperet: Hæc initia *Magiſtratus Remonſtrantes, Edictis, mulctis* & ſub prætextu ſeditionum, *carceribus* aut *corporalibus pœnis cohibere ſatagebant*. Contra *Remonſtrantes* queri, adverſus hæc inſurgere, fidere numero, formare Eccleſias ſeorſim, palam præferre *ſchiſma pium & neceſſarium*: Etiam manu ſe quandoq; tuentes, neque diſſimulantes, *eſſe majus ſibi præſidium* in tempore appariturum. Cum in pleriſque civitatibus *ſchiſmata* formata eſſent, (Amſtelodami, Dordraci, Enkhuſæ partes veteranæ ſemper valuerant) ſub *finem anni* 1615. idem Hagæ confectum: Ita enim expediebat, ut *rebus ubique maturatis*, apud Imperii ſedem *motus* fieret *peremptorius*: Miniſtro ſeparationis *Henrico Roſao* Utenbogardi adverſario.

6. Rebus ita turbatis, initio anni 1616 *Mauritius* ab *Oldenbarneveldio* rogatus, ut *Summæ poteſta-*

teſtati ex officio manum præberet, reſpondit, ſe *cupere neutriusesse Partis*. At cum mox per omnes urbes & pagos in numerum & qualitatem *Remonſtrantium* ac adverſantium exactè inquiri juſſiſſet, *aperte Contra-Remonſtrantes laudare & adjuvare* cœpit, cum in aliis rebus tum ut *templo apud Hagam proprio potirentur*. Initio anni 1617. res acta in Conſeſſu *Ordinum Hollandiæ*, adſiſtente *Mauritio*, qui rem ut *ſuam* apertis verbis urgebat. Injuriam ſibi fieri, ſi negaretur; *Quid dicent homines per omnem Europam, ſi hoc non impetro*, inquit. Olden-Barnaveldius tamen contra tendere. Princeps uſus erat his verbis, *Domine Barneveldi, meus honos æque mihi carus eſt ac tibi tuus*. Barneveldius, *Cenſeo, inquirendum in eos, qui jactant, Præ orianos principis eſſe ſuos*. Princeps; *hæc inania & affectuum ſunt*. Item, *Scio me poſſe deprimi; ſed an hoc pro meritis?* Barneveldius, *Eſſe in conclavi Principis perverſa conſulentes*. Princeps; *Quid de meo conclavi?* In tuo quidcum *Utenbogardo non coquitur?* Et ſimilia, quæ mirum non eſt, *aliter quam ſanguine* tranſigi non potuiſſe. Tandem manu & vi *Contraremonſtrantes* templum à monaſterio dictum *Barneveldii* ædibus proximum Hagæ occupaverunt, dicentes, *templa eſſe populi, non magiſtratuum*. In hac ſe *Princeps*, deſerto coetu ordinario, & Utenbog. auditione, palam ſtitit, menſe Julio 1617.

7. Paulo ante factum erat opera conſilioque imprimis *Olden-Barneveldii*, ut urbs Fliſſinga, Briela cum Zeeburgi arce præſidiis Anglorum, jure pignoris, refuſo ære alieno, tandem

An-

Anglis perſoluto , cum remiſſione ejus , quod debebatur illis ex adſignatione Galliæ Regis Henrici IV; cujus filius Rex Ludovicus reliquum Ordinibus remiſit liberaliter, utrumque anno 1616. Dix. *& ſuprà*

8. Sed religionum diſcrepantia tandem in manifeſtam erupit contentionem & Vim , cujus ille fuit exitus, ut *Optimates experimento didicerint, cum Gubernatoribus ſuis certandum illis eſſe , rationibus , morâ & autoritate ; vim , quã pares eſſe nequeunt, quovis modo & ſi aliter nequeant , cedendo , eſſe vitandam.* Ordines Hollandiæ non modo nihil præſidii videntes in *Mauritio* , ſed etiam metuentes ab illo, ſolenni decreto permittunt Magiſtratibus Urbium *conſcribere militem*, idque Principi denuntiant , inutiliter; niſi quo huic prætextum quaſi vim vi opponendi darent; Is enim contra leges id eſſe contendens , ſcribi *militem ſuo non ſubjectum imperio* , primo quidem id impedire ſtatuit, per Civitates ſibi addictas, quæ prævalidæ & ardentes erant; Remonſtrantibus non æquè fervide agentibus; dein imperio manuque , *Briela* occupatâ in *Septembri* 1617. Mox & Neomagi Magiſtratus extra ordinem mutat. Ab eo tempore menſes aliquot *ſummæ quietis erant , expectantium*, quid fieret : Donec Princeps Ultrajectum ſubito profectus in *Julio* 1618. militem extraordinarium dimittit, Remonſtrantes è Curiâ demovet. Omnia cedunt. Togatis *ſolvuntur frigore membra.* Barneveldius *die* 29 *Auguſti* habens in animo admittere conſilium *Utenbogar-*

gardi, quod erat, omnia concedere, ut *mutationem Magiſtratuum & Conſequenter damnationes exiliaque redimerent*, ingreſſus palatium ad Principem *Mauritium* vocatur, ut & *Hugo Grotius* atque *Hogerbetius* Roterodam. & Leidenſis *Syndici*, *cum aliis nonnullis*, *qui ſeorſim cuſtodiæ dantur*, Tanquam ex *mandatu Ordinum Generalium*, è quibus *octo fuiſſe volunt tantæ rei conſcios*, idque juris hac ratione prælata; *Quod cum Barneveldius & Grotius cum ſuis contra leges Unionis Ultrajectinæ peccaſſent*, *neque ab Ordinibus Hollandiæ*, *qui Barneveldium* in Tutelam publicam ſolenni decreto receperant, animadverſio amplius expectari poſſet, *Sociis nationibus ex fœdere jus eſſet*, *coercere Hollandiæ cives eorumque Rempubl. diſponere ad uniformitatem fœderis communis*; Quod & aliàs in cives Ordineſque aliarum provinciarum ab ipſis Hollandis exercitum fuerat. Juxta quam rationem *Mauritius* perculſis omnibus, per *Hollandiæ* Civitates profectus, *Remonſtrantes* Magiſtratus ubique removit, novos ſubſtituit; teſtatus id ſe, *pro tempore*, bono publico, & abſque notâ removendorum inſtituere. Sic etiam ab *ipſis Hollandiæ Ordinibus*, *ita percolatis*, approbationem actorum ſuorum impetravit *die* 16. *Novemb.* 1618. Proximum fuit, ut *Synodus Nationalis* jam pridem decreta, ſine veteribus clauſulis, convocaretur, idque apud *Dordracum*, quæ prima Hollandiæ civitas & Remonſtrantibus adverſa fuerat. Quoque majori cum auctoritate *Remonſtrantes à Reformatâ Eccleſiâ diſcrepantes convincerentur*,

ne

ne ſoli judices in cauſa domeſticâ *Contra-Remonſtrantes* eſſe viderentur, placuit, *ex omni Europa Legatos Eccleſiarum Reformatarum invitari*, quemadmodum omnes, exceptis Gallicis, qui à Rege ſuo prohibiti ſunt, nec non Polonicis Hungaricisque, convenerunt, ſub *finem anni* 1618. Exitum harum rerum ſequenti ſectione *videbimus*.

CAP. XV.

De rebus Turcarum

SUperſunt *Turcica hujus intervalli*, ſed occupatis *Hungarici belli*, quod ſecutum erat *Perſicum*, ſucceſſibus, brevior heic erit oratio. *Amurathes* Imperator *Conſtantinopoli* vitam cum morte commutavit è calculi doloribus, anno 1595 *anno ætatis* 48. *imperii* XXI. famâ, ut inter Turcas, Principis non peſſimi relictâ, librorum ſtudioſi, bellis tamen ingenio gentis potius quam ſuo per omne tempus imperii ſatis feliciter geſtis, relicta è variis feminis ſobole numeroſa, quorum primogenitus MAHOMETIS III annorum triginta, Magneſiâ, cui à Patre Præfectus fuerat, à matre revocatus, undecimo poſt obitum Patris die *Conſtantinopolim* appulit, ubi poſt ſalutatam honoratamque matrem, *novendecim fratres ad ſe productos*, *pro diſciplina tum vigente Othomanmicæ domus ſtrangulari juſſit.* Bellum ejus auſpiciis in Hungaria ſucceſſu vario geſtum; At domi inter pellices ipſe deſes agebat, eoque

contemptus à ſuis graviſſimâ ſeditione primos è miniſtris militibus ad ſupplicium tradere coactus, *parum abfuit, quin ipſi imperium, filio ſubſtituto, abrogaretur*; quod morte filii feſtinata prævenit, quem tamen ipſe brevi ſequutus eſt, ſub exitum anni 1603, cum imperaſſet annos 8. vixiſſet XXXIX.

2. Filium reliquit *ACHMETEM I* tantum quod egreſſum pubertatem rebuſque gerendis imparem, quod adhuc in Imperio Turcico non evenerat. Alys tamen purpuratorum primi induſtria, qui Sultani aviam ambitionis exoſæ feminam rebus amoverat, pax domi conſervata eſt, *donec Achmetes* adultus à fratris pridem excæcati multorumque Procerum cæde *fecit initium poteſtatis* exercendæ; conſequenter bellum *Ungaricum* continuavit, *Strigonio*, proditione militis præſidiarii recuperato. Sed cum ab Oriente *Schah-Abas Perſarum* Rex ſtrenuus *Tauriſium*, *Erzeram*, *Babylonem* & octuaginta plus minus urbes arceſque occupaſſet, *cum Cæſare retentis quæ occupaverat*, viginti annorum inducias compoſuit *anno* 1606. Et anno ſequenti contra Perſas miſit *Amurathem Serdarem* purpuratorum principem, qui in rebellem *Aleppi* præfectum arma vertere coactus nihil adverſus *Perſas* profecit. At hi cum adempta ſibi quondam à *Turcis* recuperaſſent, pacem expetebant, quam *Achmetes* negans ad bellum tamen non rediit *ante annum* 1611, quo cum ſpe minus proficeret, Perſis rem ad prælii ſummam minime

me referentibus, *pax tandem coiit*, *ſub lege, tribui loco dandi quotannis tantum ſerici, quantum ducenti ferre poſſent cameli*, quaſi pro reditibus ditionum occupatarum.

3. Ab eo tempore Turcarum res aliquot rebellionibus, *Coſacorum* prædationibus, domique *Georgianorum & Mingrelinorum*, qui ſunt in *Colchide*, bellis variè diſtractæ ſunt, donec anno 1617 *Achmetes triginta natus annos*, cum regnaſſet *quindecim*, Luxu diſſolutus periit, puero duodecim anorum herede relicto, cui nomen OSMANNO. Qui cum imperio eſſet immaturus MUSTAPHA patruus ejus è carcere, cui à fratre incluſus fuerat, in ſolium evectus tres ex fratre nepotes interfecit, ſolo *Oſmanno* ſuperſtite relicto, ſed arcta cuſtodia detento. Verum *Muſtapha* brevi fidem fecit *ingenii ad Imperium nullo modo nati*; abſente in Perſiâ *Viſirio* magno, res abſurde gerens. Ideo ab hoc & cæteris Proceribus *tertio menſe* remotus à regno & priori cuſtodiæ denuo mancipatus eſt, evecto in ſolium OSMANNO puero; cujus miſerabilem exitum *ſequenti ſectione* videbimus.

CAP. XVI.

De ſtatu Eccleſiarum.

QUod aliquoties dictum eſt, Eccleſiaſticas res à civilibus hoc ſeculo inſeparabiles eſſe, in *ſectione præſenti*, *ſpiſſius* quam antea, demonſtratum eſt. De ſingulis tamen Religionum in Europa primariis factionibus aliquid ſpecilegii recolligemus. Pontificum electiones & ingenia in *Italicis* ordine habuimus. Sed hujus initio ſectionis occaſione potiti videbantur, quâ *fractam à temporibus Reformationis, etiam inter ſuos poteſtatem recuperarent:* Per diſſenſiones in *Gallia*, quam adhuc, in primis in re *temporali, ſuæ poteſtati adverſam* habuerant; & quam per *Henoticam factionem* ſuo jugo melius ſubigendam ſperabant. Hac fine *Sixtus* V. Regem Navarræ & Principem Condæum excommunicatos omni jure ſanguinis regii & ſucceſſionis excidiſſe declaravit. Quod tamen illi ut *brutum fulmen* edito Proteſtationis edicto, accuratè refutarunt, idque in ipſa urbe Româ publicis locis adfigi & ſpargi curarunt, *Papâ ad Concilium citato*; *niſi ſiſteret ſe, fore ut illum pro Antichriſto haberent*, quod jam evenerat *anno* 1585. Sed hujus ſectionis initio *Sixtus* idem publicavit Monitorium adverſus *Henricum* III. in quo, niſi pareret ſuis præceptis, ei minabatur ultimas pœnas; eumque citabat, *uti Romæ, ſe coram*, non per Procuratorem, *ſiſteret judicio intra dies ſexaginta*, ſub pœna

na *excommunicationis majoris* ; quod Edictum Romæ *Majo menſe*, *in Gallia* apud Carnutes & Meldenſes *Junio menſe* 1588 publicatum eſt, atque ab eo tempore *Legati Pontificum apud Henoticos* ingens imperium in Gallias exercuerunt. Quod *Henrico IV* invaleſcente, diminutum quidem, *auctoritas tamen Papalis* ſub illius, etſi minus crederetur Catholicus, Imperio *major fuit quam vel antea vel deinceps*. Siquidem is id omnium primo egit & adſequutus eſt, ut *Rex in ſolium admitti non poſſe*, niſi prævià *ipſius abſolutione*, *videretur*; quam diu negatam aliquando impertitus eſt, hac lege, uti *Regis Legatus aliquot ictibus virgæ* Papæ manu *inflictis* publicè *vapularet*. Et *Henricus* quamdiu vixit nihil in mundo magis *quam Papam*, cujus inimicitia civium animos diſcrepantià veteri adhuc ſuſpenſos alienare poſſet, *reformidavit*. Unde & *Jeſuitas*, utcumque Hiſpanis ſibi infeſtiſſimis addictos, invitis pleriſque regni ſui prudentiſſimis & reluctante Senatu Pariſienſi, revocavit, ut intelleximus; omnique regni ſui curſu, *defectu conſtantiæ hac parte*, multas à Curià Romana tulit indignitates.

2. Quamquam autem Pontifices alioquin hoc ſæculo magnum auctoritatis potentiæque detrimentum paſſi erant, nihilo tamen minus ſeculum ipſum magnifico clauſerunt apparatu, *Jubilæo Romæ maximo hominum confluxu celebrato*, non ſine ſpe, res ſuas futuro ſæculo reſtituendi, *potentia, concordia, ordine zeloque propagandi fidem* etiam in

aliud ſolum cœlumque, nec minus *languore diſcordiâque Proteſtantium*, quos nemo intra limites continebat; dum ipſorum diſſenſiones imperio cohibentur; quales initio hujus ſeculi duæ, non maximi in ſe momenti maximos tamen excitavere turbas. Una prope ridiculá, quâ tamen inſultatum ſibi Pontifex à *Jeſuitis* arbitratus in hoc fuit, ut totam Societatem Romæ interdiceret; vulgaverant enim theſin; *non eſſe articulum fidei credere, quod Clemens VIII. illis diebus eſſet Papa Romanus.* Altera poſitio, *Confeſſionem auricularem fieri poſſe per literas.* Jeſuitæ ſententiam ſuam de his theſibus coacti ſunt retractare vel potius ſupprimere ac ita prævenire condemnationem. Tertia ſententia tum pariter nata majoris fuit momenti & durationis, *de Gratiâ*, cujus auctor fuit *Molina Jeſuita*, non negans opinionem ſuam eſſe novam, ſed perutilem, cujus ignorantiâ Patres multis modis impegerint. Cui tamen Dominicani, ut *Divis Auguſtino Thomæque ſuo* contrariæ ſeſe acriter oppoſuerunt. Tum quidem *Clemens Papa* totum ſe huic ſpinoſæ controverſiæ intricans, ita *cerebum adfecit*, verba Mezeræi, ut *febrim ac inde mortem contraxerit.* De ſucceſſore ejus primo, ſecundo dictum, quorum hic omne ſectionis hujus tempus ſupervixit.

3. Hæc de *Pontificiis. Auguſtanæ Confeſſionis* res & ſtatus nullam hoc intervallo ſubiit mutationem, etſi periculum notabile non defuit, eo quod *Chriſtianus Elector Saxoniæ*, *Auguſto* Patri ſucce-

dens.

dens ab *Ubiquitariis* alienus *Philippi Melanchtonis* doctrinam & diſcipulos ubique præferebat, abrogato etiam *Concordiæ* libro, planeque ad Reformatorum diſciplinam ſuæ ditionis Eccleſias præparabat; Amicitiam colens intimam cum *Johanne Caſimiro* Adminiſtratore Palatino: Etſi mores haud uſquequaque convenirent, gravi & ſancta *Caſimiri* vita, *Chriſtiano* poculis intemperantius dedito. Si *diutius vixiſſent*, *aliquid notabile contre Auſtriacos moliti fuiſſent*; Chriſtianus ex hac vita deceſſit die 25 *Septembr. anno* 1591 Caſimirus *menſe Januario ſequente die* XVI. Cujuſmodi mortes tam vicinæ, tam inimicis amborum opportunæ, feſtinationis venenoſæ ſuſpicionem moverunt, quaſi *Caſimirus* cereis aromaticis, quibus plerumque utebatur, infectus & *Chriſtainus à Swertzero* circulatore medico, quem diſſuadentibus aliis adhibuerat, potionem medicatam accepiſſet, idque veroſimilius factum eo quod Swertzerum apud aulam Cæſaris deinde honeſtatum fuiſſe conſtat. Filius *Chriſtiani* octennis Tutorem accepit Fridericum *Wilhelmum Saxoniæ Vinarienſis Ducem*, *nepotem Johannis Friderici*, Electoratu à Mauririo Chriſtiani Patruo privati; quem multi merito ſuſpectum habuiſſent: Hic *acerbe Lutheranus* prioris Regimenti miniſtris, præſertim *Crellio* Cancellario & *Urbano Pierio* Theologo malè habitis, omnia rigido Lutheraniſmo reſtituit. Idem erat periculum in Palatinatu, ſi *Richardus Friderici III* quem Reformati *Pium* dixere, frater, *jure agna-*

tionis Curâ Electoris adhuc minoris potitus fuiſſet. Adoleſcens vero annum agens XVIII. *ſuam ipſe Tutelam*, ex *Aurea Bulla* ſibi vindicavit, *annum inchoatum pro impleto reputans* ac ita *Civium conſenſu fretus* Patruum magnum facile refutavit. Idem *Mauritii* Principis ſorore poſt *Bullioneum* Ducem, qui aliam habebat ſororem in uxorem, ductâ, partibus Reformatis arctiſſimè illigatus eſt. Ex illa filium reliquit *Fridericum V.* fatalem *Bohemiæ Regem*, de quo *ſuprà* aliquid in *Germanicis* dictum & plura *inferius* dicenda ſuperſunt.

4. Sequuntur Reformatorum Eccleſiaſticæ res in *Galliâ*, *Britanniâ Belgiſque fœderatis*. In Galliâ Reformatorum numerus & vires, regno in partes lacerato, nunquam majores fuerant, quam *hujus ſectionis initio*; ſed mores vulgi & Procerum per bella mixturamque politicorum *à prima ſanctitate* vehementer defecerant, *zelo in factiones* maximâ parte conſumpto, ſalvo licet numero *in cauſa Dei incorrupto, notabili.* Cum *Henricus III.* occumberet, *Henricus IV.* nullum ſucceſſionis colligendæ fundamentum quam in ipſorum copiis bello induratis *omniaque Regi jura religionis adſerendo periclitaturis*, habebat. Ejurata religione, Rex & illos incontinenti habuit ſuſpectos & illi non minus ipſum; *quando Regi qualicunque non poterat non eſſe moleſtum, videre corpus hominum toto regno diffuſum a reliquis civibus diſtinctum, animis, inſtitutis, forma regiminis; paratam factionibus & bellis civilibus materiam.*

riam. Recens tamen beneficiorum ab illis acceptorum memoria *Henrico* non permittebat eos perdere, quod neque tum magis quam antea, ſine maximo motu periculoque fieri poterat. Ergo Edictum illis *Nannetenſe*, de quo in *Gallicis* actum, indulſit *anno* 1598. habens in animo civium animos diverſitati religionum, ut in *magna Europæ parte fieri videbat*, adſuefacere.

5. Operæ pretium eſt, audire, quâ formâ (præcipuam ejus materiam *ſuprà* intelleximus) Edictum illud fuerit conceptum, ut *vim ejus obligatoriam*, de qua dein uſu venit diſceptari, præſumere liceat. Rex illam Legem in *præfatione* vocat *Edictum perpetuum & irrevocabile*, cujus *obſervatio ſit fundamentum pacis publicæ & reſtituendi priſtinæ potentiæ regni*; *quod proinde ſe religioſe obſervaturum teſtatur & à Magiſtratibus omnique populo inviolabiliter obſervari mandat*. Teſtatur in eâdem præfatione; *ſe auditis Catholicorum & Reformatorum querelis & deſideriis, causâ plene cum Principibus & Magiſtratibus regni cognitâ, hanc legem inter eos tuliſſe generalem, claram, nitidam & abſolutam, Dirimendis omnibus inter eos litibus ventilatis aut ventilandis*. Additur *articulo* 92. *Omnes Gubernatores eorumque Legatos per Provincias, Parlamenta, Collegia, Curias, Magiſtratus Judiceſque tam annuos quam perpetuos, Incolas urbium utriuſque religionis præcipuos jurejurando ad hujus Edicti obſervationem adigendos*. Poſtremo ad formam Edicti pertinet, quod ab *omnibus Parlamentorum Curiis atque Collegiis*

urbium

urbium & Præfecturarum in Acta relatum & ubique pleno omnium Conſenſu executioni datum fuerit. Hinc Reformati collegerunt has poſitiones juris, I. *Hoc Edictum eſſe promiſſionem Regiam abſolutam & irrevocabilem ad omnem poſteritatem.* II. *Eſſe Decretum cauſa cognita inter Catholicos & Reformatos à ſumma poteſtate dirimendis litibus præſcriptum.* III. *Eſſe tractatum & Conventionem omnium Ordinum conſenſu initum.* IV. *Eſſe divini juris factum & jurisjurandi religione conſecratum*, ut probat D. Claudius *in Querela Reformatorum*. Multi addiderunt; Eſſe *Conventionem inter Regem & Reformatos*; *cujus obligatio ex jure Gentium utramque partem teneret*, ut præcipuos Reformatorum contendiſſe refert Cardinalis *Perronius* Reformati Miniſtri filius in *ſermonibus à Pythoeis editis*.

6. Ejuſdem Perronii celebre eſt colloquium apud *Fontem bellaquæ* cum *Philippo Pleſſiaco Mornæo*; qui conſilio & armis Regi nec minus Reformatæ Religioni ſcriptis acerrimè ſervierat; Diſputationibus Scholaſticis parum licet ſuetus, Perronium tamen, qui dixerat, in libro ejus de Miſſa, quingenta è quatuor millibus loca Veterum male eſſe citata, provocaverat. Poterat eludere, dicendo, ſufficere ad cauſam reliqua millia. Maluit diſputationem Rege coram & quinque arbitris, inter quos Thuanus Præſes & Caſaubonus. Favor aulæ & judicum, an cauſæ fecit, ut contra Pleſſæum, qui altercando par non erat, reſponderetur. Alter ex arbitris Refor-

Reformatis *Freno Canæus* ad Pontificios defecit, nec Caſaubonus, quam diu vixit, ſuſpicione caruit. Cæterum, quamdiu ſuperfuit *Henricus* Rex, in eodem ſtatu res fere manſit Reformatorum & manſura fuit; ſiquidem ille nunquam in animum induxiſſet pati, ut ulla vis iis inferretur, ad interitum licet incentores non deeſſent; nec ſemper ipſe tædium ex eorum inſtitutis diſſimularet: cum politicis, tum & quibuſdam Theologicis; inter quæ tulit ægerrimè, quod in Synodo *Gapenſi* 1603. ſtatuiſſent, auctore potiſſimum *Ferrerio*, poſthac inter articulos fidei eſſe collocandum, *quod Papa ſit Antichriſtus*; idque in Eccleſiarum Confeſſione collocandum, *quod tamen ne fieret* per moderatiores inter ipſos effecit. Cumque repetitum eſſet illud decretum anno 1607. ſummâ cum indignatione totius regni, *rurſus executionem ſufflaminavit.* Adfirmanti cuidam, faciendum ipſi eſſe, ut ſectam in ordinem redigeret, *filium monſtraſſe dicitur puerum*; huic ſe partes illas delegaturum. Poſt mortem ejus, ut certum eſt, Pontificios & Regios id egiſſe, ut Edicti *jura ſenſim roderent ac everterent*, ita non poteſt negari, *Reformatos multa irritando Regi inſtituiſſe*, veluti, quod *Eccleſias non modo ſecundum provincias, ſed etiam per circulos*, id eſt, corpora plurium Provinciarum, quæ per Conventus majores colligerentur, diſtinxerunt; quaſi *Rempubl. moris Germanici* pararent. Ex rebus *ſupra* narratis manifeſtum eſt, Proceres *Bullionæum*, *Rohanæum* alioſque

ex

ex optimis Reformatorum id egiſſe variis artibus, ut *ſuffragiis in Conventibus eorum prævalerent*; prævalentes vim ſuam *Regiis oſtentarent*, eâque ad *ſuos fines proprios* abuterentur. Quæ non eſt mirum tandem in eorum ceſſiſſe perniciem, cui Regii ſemper intenti illos æque intentos eſſe nullaſque Edicti perverſiones, etſi minimas, ſine luctâ tranſmittere cogebant.

7. In *Anglia* durabat & invaleſcebat Schiſma *Puritanorum*, qui regimen Epiſcopale cærimoniaſque receptas ut *crucis ſignum* in *Baptiſmo*, genu *flexionem in cœna*, veſtem *albam in concionibus* & *Liturgiam* ferre non poterant. De quibus rebus inter *Epiſcopos* & *Presbyterianos*, Rege *Jacobo* coram primo ipſius regni anno apud *Hamptonis* aulam, habita eſt diſputatio, in quâ *Jacobus* Rex eruditionem ſuam in refutandis *Reinoldo* aliiſque Theologis luculenter oſtendit, formamque cultus *ſub Elizabethe* receptam acriter vindicavit, ut etiam ex ore ejus exierit dictum, *Aut fer epiſcopos, aut tolle Reges.* Exiſtimabat enim haud temere, Spiritum illum libertatis Presbytericæ ad *Ariſtocratiam*; *Independentis* ad *Democratiam* tendere. Cumque opiniones illas è *fœderatis Belgarum* populis proficiſci aut foveri putaret, viſa paulatim eſt invidia & averſio in hanc partem animos ſubire. In *Scotiâ* Epiſcopale regimen jam pridem erat receptum, non æquè *Liturgia* & cærimoniæ. Dedit quidem *Jacobus* operam, ut *Scoti* per omnia ad Anglorum exemplum ſe conformarent: Sed aliquanto

quanto

quanto majorem in Scotis pervicaciam ſimplicitatis Euangelicæ, quam in Anglis invenit, nec adeò quicquam hactenus effecit. Cæterum, *Independentium* ſecta hoc tempore inſtaurata & recocta eſt ab Anglo Paſtore *Lugduni Batavorum Robinſono*, qui doctus homo & ſanctus *Independentiſmum* multo fecit cultiorem & modeſtiorem quam fuerat pridem. Hæ fuerunt Anglorum ſectæ in ipſo Reformatorum corpore, per opiniones quaſdam ſingulares *ad ſubſtantiam fidei*, ut ſaniores judicabant, *minimè pertinentes*; ſed quæ *pro gentis ingenio*, mirificos animorum motus & factiones atroces excitaverunt, quibus Rex *auctoritatis & potentiæ defectu*, nec minus ob genus diverſum controverſiarum, non poterat tam validum adhibere remedium, *quam in Belgis adhibitum* vidimus.

8. De quibus adhuc paucis agendum, plerisque jam *ſuperius* dictis. Digreſſo *Leiceſtrio*, Optimatibus auctoritati ſuæ reſtitutis, novis hominibus, qui ſub plebis tuendæ ſpecie res novas moliti fuerant, amotis, *Concionatores*, qui poteſtatem *Eccleſiaſticam* à primis *Reformatoribus*, excepto *Calvino*, neglectam, attollere & à *ſubordinatione politicâ* liberare conati fuerant, intra limites imperioſius cohibiti ſunt, operam dante cum aliis *Oldenbarneveldio*, quem illi hoſtem & proditorem Eccleſiæ inter ſe appellabant: per ſe quidem aperte nihil contra moliri valentes, eo quod bonis ſacris in uſum belli divenditis, *ſalaria è manu Magiſtratuum* petere cogebantur ac

ita

ita multo magis illis erant obnoxii. Cæterum, Eccleſiaſtæ primores tametſi jure pares *ἱεροκηρυκτικῶς*, tum ſatis *eruditi & fervidi* in cauſâ Religionis contra diſſentientes erant, præcipui ex illis *Calvini & Bezæ auditores*, & de illorum ſententiis validè perſuaſi. Quas inter cum maxime tum ferveret controverſia *de Prædeſtinatione & Gratia*, quam *Lutherani* odioſiſſime exagitabant, non defuerunt etiam inde ab initio, *inter Belgas*, qui à rigore *Decreti* recedentes vim *Gratiæ* immediatæ alioſque inde pendentes fidei articulus *remiſſius & diſſolutius explicarent: Caſpar Colhaſius* Leidæ, *Hermannus Herbertus* Goudæ, *Cornelius Wiggerus* Hornæ, ſub cenſuram hoc nomine vocati partim reconciliati, partim exauctorati fuerant; *Gellius Snecanus* in Friſiâ magnâ cum libertate diverſa *à Calvino* docuerat & ſcripto propagaverat, impune. Sicut *febris maligna, cum ex eâ multi moriuntur, fit peſtis*; ita error *in fide, quem multi amplectuntur, fit hæreſis & ſecta*, quod in hac cauſa uſu venit. Jacobus *Arminius* Veteraquinas, Paſtor *Amſtelodamenſis* jam anno 1590. heterodoxias hac parte apud Conſiſtorium ſuum inſimulatus fuerat; ſed intercedentibus Martino Lydio Prof. Theol. Franekerano, J. *Taffino* & J. *Utenbogardo*, (hic jam occultè cum eo ſentiebat) accedente Magiſtratus auctoritate, res erat compoſita. *Utenbogardus* conciliatis ſibi Principe *Mauritio*; *Oldenbarneveldio* aliiſque Proceribus & popularitate ſententiæ contra *Decretum Reprobationis*, fretus, animo con-

concepiſſe videtur inſtitutum *novandi Belgicam* hac parte *Confeſſionem.* Inde factum, ut cum Eccleſiæ peterent *Nationale* Concilium, quale poſtremum anno 1586. habitum fuerat, exiret decretum, permittens, Synodum *ſub lege reſumendi Confeſſionem fidei*, anno 1597. quâ de re dictum *ſuperius.* Sed Ordines ſingularum Provinciarum ad Conſenſum, de convocandâ *omnium nationum Synodo*, per totum octennium adduci non potuerunt, quemadmodum ſemper ea res *populorum Rectoribus* haud immerito ſuſpecta difficiliſque facultatis habita fuit. Interim nata eſt occaſio, quæ ſola novas Interpretationes in Eccleſias introducere poterat, *Arminii ad Profeſſionem in Academiâ Leidenſi Theologicam anno* 1603. *vocatio*, quam ſequuta ſunt ea quæ *ſuprà* expoſita non repetemus.

9. Contentio partium in hoc fuit; Remonſtrantes urgebant *Tolerantiam*, rati ſe *novitatis illicio*, *popularitate ſententiæ ſuæ*, *ratiocinando diſputandoque* ſub clypeo publicæ auctoritatis, quæ per *Olden-Barneveldium*, Grotium alioſque in Academiâ & alibi paſſim illis libere favebat, paulatim prævalituros: Æquitatem hujus poſtulati, *Grotius*, *Utenbogardus* aliique docti & facundi homines enixè probabant & facile ſuſtinebant. *ContraRemonſtrantes* deciſionem per *Synodum Nationalem* quam primum, ipſis adhuc numero præſtantibus, fieri poſtulabant: Aliter futurum, ut per inſtitutionem *Academicam* & *Ordinum Hollandiæ auctoritatem* non modo *quin-*

que articuli paſſim reciperentur; ſed ingeniis per tolerantiæ decretum ſemel emancipatis, *Vorſtiana*, *quorum* initium extabat & *Soziniana* florentiſſimas Eccleſias, invaderent; Quem minime fuiſſe inanem metum deinceps eventus docuit. Quo pacto Remonſtrantes ſubacti & Veterani copiam Synodi & deciſionis adepti ſint, *quà jure quà fa lo*, ſuprà demonſtratum eſt. Sicut enim eventus pro Republ. & Eccleſiâ fuit ſalutaris, ita mediis nonniſi æquis & juridicis uſos eſſe *Contra Remonſtrantes* & Principem Proceresque illis faventes, aut talibus illos exactè ſervatis, imminentem depellere potuiſſe contagem ineptum ſit contendere. Extrema neceſſitate, *curandi*, *ne quid Reſpubl. detrimenti capiat*, cujuſmodi fere decreto armatus fuit *Mauritius*, juridicæ rationes ſemper debent cedere politicis, nec aliter uſquam gentium uſuvenit. Nec enim poteſt fieri, quin, ita pravis hominum actionibus moderante divinâ providentiâ, *Omne magnum exemplum habeat aliquid ex iniquo*, quod utilitate publicâ *contra ſingulos* rependitur.

10. Cæterum, quem fructum contentiones in Eccleſiâ ſemper habuerunt, hunc etiamnum eximie præſtitere, *diſſolutionem* veræ *pietatis in ratiocinia*, *opiniones & ſtudia partium pravaſque myſteriorum detorſiones*; dum *Remonſtrantes* libero nimium arbitrio tribuentes ab annihilatione ſui & abnegatione virium naturæ ad *rationalia mera digreſſi ſpirituale Chriſti regimen* & devotionem ſui pervertunt; *Contra-Remonſtrantes*, dum

dum parum ſe putant Reformatos, ni certitudinem ſalutis ſuæ plenis bucis adferant, utcunque à novi hominis cultu alieniſſimi, quæ vere pii nonniſi rara, cum tremore, ſolatia recordantur, hæc arrogantiâ deformi præſumunt & impudenti jactantiâ divinæ providentiæ arcana proſtituunt. Denique, charitas extincta odiis & factionibus; Hæreſium & Schiſmatum multitudo novis aucta nominibus. Et tamen in medio tot incommodorum Veritas adſerta, illuſtrata, conſervata ſemen Dei fovit in Eccleſiâ.

11. Sed Remonſtrantium opiniones, etſi aliquantiſper coërcitæ, libertatem religionum majorem quam fuerat, in Hollandiam vicinaſque regiones ſenſim introduxerunt; etiam *Sociniani in Polonia malè habiti*, huc ſe conferre cœperunt; duo nominatim doctrina illorum eximie culti, *Chriſtophorus Oſtorodius* & Andreas *Voidovius*, qui varios doctrinæ ſuæ libros huc intulerunt aut excudi curarunt, de quibus moniti *Ordines* Fœderati, quos *Generales* vocant, *conſultis Theologiæ Profeſſoribus Lugduni Batavorum*, libros in aulâ ſuâ comburi juſſerunt, illis vero intra decem dies fœderatorum ditionibus interdixerunt; addito, ſibi è re videri, ut Ordines ſingularum nationum eâ de re moneantur, *die* 3 *Septembr*. 1598. Sed an Ordines *Hollandiæ* & reliquarum nationum, ſine quarum juſſu proprio, ejuſmodi *decreta Ordinum Generalium* impune ſpernuntur, eoſdem exilio mulctaverint, non comperi. Scribit *Utenbogardus*, eos tum

quidem in Friſiam eſſe digreſſos, ibique non veritos eſſe *apologiam* contra *Decretum* illud *Ordinum* typis excuſum emittere in lucem; nec ab eo tempore *Sociniani* & ſententiæ illorum in Belgio figere ſedes & propagari deſierunt, Rectoribus Hollandiæ Civitatum promiſcue indulgentibus, aut conniventibus, commerciorum ſemperque ſpecioſâ libertatis conſcientiæ cauſâ.

SECTIO III.

Ab initio belli Germanici uſque ad mortem Guſtavi Adolphi, ab anno 1619 *ad* 1632.

CAP. I.

De primâ commiſſione belli Germanici in Bohemia inchoati, ab anno 1619 *ad annum* 1625.

SEptuaginta fere annos in pace Germania *cauſis ſupra demonſtratis*, exegerat, Imperatoribus contra Turcas occupatis & naturâ pacificis, Principibus & populis *æqualitate virium mutuoque metu* ab injuriis inter ſeſe abſtinentibus, neque armatis; nec in promptu, unde bella ſuſtinerent, vectigalibus, ut tum res erat, ad ſumptus vitæ abundantibus, ad bella minimè ſuffecturis: Statu tamen beatiore, quam urgens magna *vitiis & felicitate ſua laborans* cum diutius ferre poſ-

poſſet, coaleſcentibus paulatim invidiæ rixarumque, *de quibus ſuperioris initio ſectionis actum eſt*, initiis, quæ tandem in infeſtas hoſtilis animi commiſſiones eruperunt: Per quas *Germania theatrum malorum*, quibus ira Dei peccata generis humani adfligere ſolet, *per integram hominum generationum* facta eſt, neque deinceps etſi bellis defuncta belli ſenſum amiſit, *exercitibus onerata perpetuis*, quibus in Principum ſuorum redactâ ſervitutem, *antiqui ſtatus memoriam nonniſi ex annalibus repetere poteſt*, ſemper armis & bellorum cauſis obnoxia parataque materia, è religionum diſcrepantiâ & multitudine dominantium.

2. Initium apertæ commiſſionis, quod habuimus in Bohæmiâ fuit, haud ſine ſpe pacis, quandiu *ſacramentum Auſtriacæ domus* non erat mutatum: Eo per novi Regis electionem abjecto, *ſolus Mars omnium rerum arbiter factus eſt*. Elector *Fridericus Palatinus* optimæ indolis, avitum Palatinatus patrimonium cum laude civiumque bono regebat; ſed ad magnos conatus & aliena regna rapienda nec conſilio nec manu factus, quo minus regnum *Bohæmicum*, ut omnes prudentiæ leges ſuadebant, recuſaret, uxoris *Elizabethæ Anglæ* importunitate & adulantium illi amicorum conſilio præpeditus fuit. Fama tulit, duos ejus avunculos, Mauritium & Ducem *Bullioneum* magnæ prudentiæ viros, *ſed quibus Auſtriacis adverſa unicè placerent, auctores ei fuiſſe*, cauſam amplectendi. Quod ut nullo certo auctore traditur, ne refellere quidem auſim. Socerum ſane *Jacobum Re-*

gem & pleroſque Germaniæ Principes acriter eum dehortatos fuiſſe conſtat. Sed quod apparet, Fatum prævaluit, Cui ſervire oportuit innocentiſſimi Principis temeritatem. De Oſtentis, quæ maximi motus bella præceſſere, deque *ſtella Comete*, quæ tanto incendio præluxit; denique de *Plurij* in Rhetiâ oppidi per terræ motum ſequutâ ſub monte ſubverſione ſimilibuſque nihil à nobis proferetur. Ad rem pergemus.

3. Conſentiebant pro novo Bohæmiæ Rege præter ſpem remotam ab *Anglis & Batavis*, quorum hi tamen L. Millia florenorum menſtrua, donec ipſi cum Hiſpanis bello rurſus impliciti ſunt, *contribuerunt*; Potentiſſimæ gentes, ipſi *Bohæmi*, *Sileſii*, *Luſati*, & *Moravi*, vetuſtis fœderibus & religionis conſenſu inter ſe juncti; Principes *Unionis Euangelicæ* pridem contractæ, & *Betlenus Gabor Tranſylvaniæ* Princeps, qui comparata per *Hungariam* ſuperiorem ingenti factione, pariter huic imminebat regno; nec jam *Auſtriæ* Proteſtantibus plenæ, ſatis fidere *Ferdinandus*. Sed cum ipſo faciebant præter *Hiſpaniæ Regem*, *cui res ut ſua*, quemadmodum erat, ad animum pertinebat, *Ligua*, quam vocant, Principes Catholicæ, quorum dux *Maximilianus* Bavarus, non minore in *Palatinum Agnatum* invidiâ, quam religionis ſtudio & ſpe rem ſuam faciendi incitatus; quibus etiam ſtimulis Elector Saxo, Lutheranus Palatino adverſum ſe ferebat. Ipſe *Ferdinandus* magni vir animi & conſilii, auctoritatem Imperatoriam viribus undique

que contractis ſumma contentione firmabat. Quod ſi tamen Proteſtantes ſua tempora bene comparaſſent & cum *Bethlenus Gabor Hungariam* invaderet. quod magno cum impetu & ſucceſſu fecit, *Fridericus* & Uniti Principes à ſuis partibus, Auſtria nutante, cunctis viribus incubuiſſent, *Ferdinandi* res in ſummas redactæ fuiſſent anguſtias. Sed illo concurſu ceſſante, *Gabore* ad inducias ſemeſtres adducto, *Saxone* Luſatiam ingreſſo & hac parte juxta *Buquojum & Tempierum Ferdinandi Duces*, *Fridericum* infeſtante, *Maximilianus Bavarus*, cum exercitu 25 millium in Proteſtantes unitos proficiſcebatur; qui intelligentes, *Spinolam è Belgio Hiſpanienſi tendere in Palatina:um*, inducias cum *Bavaro* pangunt *Ulmæ menſe Julio* 1623. ſeque Rhenum verſus, ut Spinolæ ſe opponerent, contulerunt. Ab eo tempore bellum aliquandiu bipartito geſtum, *ad Rhenum & in Bohæmia*, utrobique à Proteſtantibus imprudenter & infeliciter.

4. Ad Rhenum præerat Foederatis *Joachimus Erneſtus Marchio Ansbacenſis*, nomine *Friderici Palatini*, in *Bohæmiam* digreſſi; qui caſtris apud *Francofurtum* factis, cum viderent, *Spinolam* tendere *Moguntiam*, motis repente caſtris apud *Oppenheimium* Palatinatus oppidum ad Rhenum conſederunt; Dum Spinola Crucenaco & Alzæâ potitur, etiam mox *Oppenheimio*, quod Anſpacenſis Spinolæ *Wormatiam* prærepturus imprudenter reliquerat; quibus *Zimmeram*, *Bacharacum*, *Cubam* adjecit, omnia menſe *Septembri*; etſi fœde-

tatis tria peditum Anglorum millia, Ductore *Veerio* & equitatus Batavorum *Henrico Arauſionenſi* Duce, in auxilium veniſſent. Ad prælium res tamen non pervenit, ſed *Anſpacenſis* cum præcipuis ducibus hyberna *Vormatiæ* tranſegit, *ubi per hyemem prægrandibus*, ait è Proteſtantibus ſcriptor, *pugnatum eſt cyathis*; quod videns Arauſienſis *Henricus* nec quicquam inde ſani ſperandum, ſuo cum equitatu rediit in Patriam, dum Spinola in ipſa brumâ pleraque *Wetteraviæ* oppida redigit in poteſtatem, *Haſſiæque* imminens, cum interim in *Bohæmiâ* conclamatum eſſet, *Mauritium Lantgravium* ad pacem accipiendam compellit, *menſe Aprili* 1621. ut & reliquos ſocios ejuſdem menſis die XII, quo *Moguntiæ* ſepulta eſt Unio, quam dixerant Euangelici; Verio cum ſuis Anglis & quibuſdam Germanis reliquum Palatinatum tuentibus. Spinola, exeuntibus induciis Belgicis, ad ſua reverſurus *Cordubam* Ducem ſummæ rei in *Palatinatu* præpoſuit.

5. Cauſa & ſocia tanti mali fuit *ruina Bohæmorum*, *qui primogenitum novi Regis ſui Henricum Fridericum* regni ſucceſſorem jam pridem ſolenniter declaraverant; Cæterum, ipſi inter ſe diſcordes, exiguâ *Regis* auctoritate, *quem alieno obnoxium conſilio ſpernebant*; Proceres æmuli, contumaces, *Plebs* averſata jam peregrinos & gravata militem, magis etiam tributa, nihil boni augurari patiebantur. Sed *Maximilianus Bavariæ Dux* Ulmenſi tranſactione diviſis fœderatis, Auſtriam cum Bohæmis commotam *Auguſto menſe*

coë-

coëgit Imperatori ſine exceptione ſe ſubmittere. Tunc in Bohæmos, qui ſimul à Saxone in Luſatiâ oppugnabantur, conjunctis cum *Buquoyo* copiis, ſe convertit, ipſe Legatum habens *Zerclaſium Tillium.* Bohæmis nuſquam reſiſtentibus, *Pragam* contendit, ante quam urbem *Bohæmi* in *albo* qui dicitur *monte*, quem munire cœperant, hoſtem expectabant, qui circa meridiem ſummâ contentione in montem eniſus, cum aliquandiu ancipiti Marte dimicatum eſſet, *ſplendidam plenamque* reportat victoriam; cæſis novem millibus, initio fugæ ab octo millibus equitum Hungarorum à *Gabore in auxilium miſſis*, facto, qui prædâ graves eique metuentes in tempore ſe recipiebant, et ſi plerique *Moldava* flumine hauſti vel ſpoliis exuti ſint. Pugnatum eſt VIII. *Novembris* 1620. die *Dominico*, in quem vetuſtas contulit Lectionem Euangelii, *Date quæ Cæſaris ſunt, Cæſari.* Hoc uno prælio tranſactum de regno ditionibuſque ei conjunctis & *novus Rex cum Reginâ ſuâ liberiſque*, nondum anno regiæ fortunæ exacto, poſtridie *Pragâ* ſe recipit *Vratislaviam*, unde abeunti Ordines Sileſii, animis cum fortunâ necdum mutatis, *Octuaginta millia florenorum* donarunt in viaticum. Inde profectus *Berolinum* & mox *Zegeburgum*, ubi cum Daniæ Rege collocutus, nihil tamen profecit. Expertus ubique, *miſeros non habere amicos*, *Hagam Batavorum* cum triſti agmine defluxit. Ubi in Conſeſſu *Ordinum Generalium die* XIX Aprilis 1621. inter alia dixit, *ab omnibus amicis ſe fuiſſe deſertum, præterquam ab*

Ordinibus fœderatis, quibus immortales hoc nomine gratias deberet, *Jacobum* Regem Socerum non obſcure perſtringens. In Bohæmia deinde nihil quam ſupplicia, Proſcriptiones & omnium in Priorem ſtatum reſtitutio, cum *abſoluto & hereditario domus Auſtracæ imperio* ſolitaque victoriis alia.

6. Solus *Mansfeldius*, qui prælio Albi montis non interfuerat, palantes elapſoſque è clade colligens loca quædam *Bohæmiæ* occupata præſidiis tenebat & belli reliquias, atrocia ubique veſtigia impreſſa relinquens ſuſtinebat, multis undique, præſertim ex iis qui *ſub Unionis vexillis antea militaverant*, ſpe prædæ ad illum confluentibus, Ut brevi *Bavarum* & *Cæſareanos*, totis in ſe viribus concitarit, à quibus undique cinctus in *Palatinatu ſuperiore*, ſingulari evaſit dolo. Stipulatus pecuniam, ab armis ſe receſſurum, copias intra dies 14 dimiſſurum promiſerat; acceptâque parte pecuniæ, petit locum à caſtris hoſtium remotiorem, *quod aliter milites ejus ſe tuto abire non poſſe judicarent*. Hoc impetrato, clam & ſubitò indictâ profectione, *cum omnibus copiis in Palatinatum inferiorem ſe recepit*, junctiſque ſibi *Anglis*, *Frankenthalium* à *Corduba* obſeſſum liberavit. Inter hoc & *Manhemium* eſt oppidulum, *Oggershemi* nomine, quod *Corduba* nuper eâ lege in deditionem acceperat, ut *vita, fortunis & religioni caveretur*. Ingreſſi oppidum Hiſpani invenerunt unum opilionem cum uxore puerperâ, qui reliquis fugâ dilapſis, uxori ad-

adhæſerat, *& in vallo, ut dictum, ita ſuper deditione* pactus erat. Servata ei fides, nec *Corduba* dedignatus eſt filium hominis *è baptiſmo ſuſcipere* doniſque feſtivitatem ejus remunerari. *Mansfeldius* hibernis inde per *Franconiam* & *Alſatiam* actis, inermes populos ad contributiones adigebat, ex unâ *Hagenoa* centum millibus Imperialium perceptis. Quod exemplum duos alios in diverſis Imperii partibus ad imitationem excitavit Principes, quorum primus fuit *Johannes Georgius Marchio Jegern-Dorffius* è domo *Brandenburgica*, qui *Sileſiam* & *Moraviam* infeſtavit; Alter fuit *Chriſtianus* Dux Brunſwicenſis, Epiſcopus *Halberſtadienſis* ingenii ferocis & tumultuarii, vulgus *Ducem furioſum* appellabat, qui modicâ manu collecta per *Haſſiam* & *Wetteraviam* Mansfeldico more, profeſſus odium hoſtile in Pontificios, ſed ubi res ferret, amicos inimicoſque promiſcue habens ad Mansfeldium pergebat. Sed inde repulſus in *Weſtfaliam*, majore collecto exercitu, *Lippiam*, *Soeſtam*, *Paderbornam*, aliaſque civitates occupavit,

7. His duobus aut tribus non admodum juſti exercitus ducibus tum quidem *res Proteſtantium* in *Germania* nitebantur; Sed ad *Mansfeldium* firmioribus inſtructum copiis, etiam *Brunſwicenſi* callidiorem *Fridericus Palatinus* Bohæmiæ Ex-Rege, itinere clam per Galliam, duobus Comitibus inſtituto, ſe contulit, *initio anni* 1622. abrupto adventu ſuo tractatu inter *Manſveldium* & *Hiſpanos*, quibus ille ſpem operæ ſuæ

ipſis

ipſis locandæ per ludibrium fecerat. Ergo *Tillius* illum apud *Mingelshemium* Palatinatus oppidum aggreſſus acie victum perſequebatur, quando fugâ anguſtiis præcluſa, *Mansfeldius*, ſubitis acer, incenſo pago, moram hoſtibus objiciens, *ſuos, è neceſſitate virtutem induendam* inculcans in ordinem redegit, hoſteſque *ſolutis ordinibus ſequentes* accerrime aggreſſus viciſſim pellit & victoria potitur; fructu tamen intra *Ladenburgum*, & pauca *Palatinatus* oppida conſiſtente. Quin *Tillius* ignominiam brevi reparavit, devicto *Wimphenam* inter & *Heilbrunnam*, *Georgio Friderico Marchione Durlacenſi*, qui Manfeldii ſucceſſu animatus collecto pro partibus exercitu, cum *Tillio* ſolus æmulatione pravâ in *Manfeldium* conflixit. Satis primo feliciter, donec incenſo tormenti ictu, nitrato pulvere, terror & fuga copias ejus diſſiparet, à *Mansfeldio* è fuga receptus; qui regreſſus in *Alſatiam* liberatâque *Hagenoâ*, quam *Leopoldus Archi-Dux* obſederat, inde rurſus *Spirenſem Epiſcopatum* populatus & *Rhenum* denuo tranſgreſſus, Ludovici *Damſtadienſis*, qui Cæſaris æditurus vocabatur, quod ad omnia diceret, Amen, ditiones invaſit, ipſumque *Tillio* ſerius auxilium ferente, captum *Manheimium* in cuſtodiam mittit ac rurſus in *Alſatiam* digreditur. Quo & *Fridericus* flexit, vocato eodem *Chriſtiano Brunſwicenſe*, qui è Weſtphaliâ, ex ſpoliis ſacrarum & profanarum rerum, nominatim ex imaginibus argenteis Eccleſiæ Parderbornenſis pecuniam & exercitum collegerat, ad Mœnum iterfaciens obvium

vium habuit Tillium, à quo apud Hogſtam magnâ pugnâ victus cum paucis ægrè ad *Manſfeldium* & *Fridericum* evaſit. Qui ſummâ de ſpe dejectus cum ob hanc cladem, tum quod *Hiſpani* & *Bavari* adhuc diſcordes ſe denuo conjunxerant, & literis Soceri ex Angliâ, qui multam de tractatu Bruxellenſi ſpem faciebat, induit deſperationem, ut gratiis *Manſfeldio* & *Chriſtiano Duci* actis, illos ſibi permitteret. Cumque ab iis deductus eſſet Sedanum inde rurſus ad uxorem liberos ſe recepit in *Hollandiam*, pacis ludibrio, nihilo plus, ut erat conſentaneum, quam bello conſecuturus. Palatinatum ita ab omnibus deſertum Tillio vacuum fuit aggredi; occupatis primo minoribus oppidis, Heidelbergam deinde vi capit 16 Septembr. prædâ ingente in urbe & arce potitus, cujus pars non minima fuit, *illa celebris bibliotheca rariſſimis omnigenæ eruditionis & antiquitatis refertas monumentis; Præcipuis Romam in Vaticanum, reliquis Monachium tranſlatis æternum victoriæ decus & memoria.* Secundum hæc *Tillius Manhemium* ad confluentes Rheni & Nicri cepit die 25 Octobris 1622. ſolo Francenthalio adhuc nomine Frederici conſervato.

8. Mansfeldius interim ſolitis artibus cum *Auſtriacis* agens operamque ſuam oſtentans varia volvebat animo; primo de Venetis; quippe nuper à *Senatu Veneto* electus dux ſupremus militiæ *Tranſalpinæ*, cum honorario ampliſſimo. Sed tum res illorum huic uſui nondum maturuerant nec ipſi iter illuc ſatis totum nec belligenus æquè

con-

conveniens. Ergo in Lotharingiam digreſſus modo in Gallias iter, auxilio Reformatorum, quod Brunſuicenſis urgebat, modo reditum in *Germaniam* ſimulans, fundo carens ſtabili, ſubito in *Brabantiam* contendit, accitus ab *Ordinibus fœderatis*, *qui* exercitum ejus dilabi nolentes, hoſpitium illi in propinquo parabant, ſimul opera ejus *contra Hiſpanos* magna vi cervicibus ſuis incumbentes & tum *Bergam Zomæ* obſidentes uti cupiebant; Occurrebat ei ſecum habenti *Brunſuicenſem* cum ſuis Conſalvus Corduba cum *Hiſpanis & Burgundicis* copiis ad *Fleuriacum* haud procul *Namurco*, *nuper alia pugna nobilitatum*; ubi ancipiti Marte pugnatum. *Mansfeldius & Chriſtianus*, qui ſiniſtram ibi manum amiſit, pugna inferiores tranſitu tamen, de quo certamen erat, potiti ſunt, *d.* 19. *Auguſti* 1622 Inde *Mansfeldius* obſidionis ſolvendæ miniſterio functus, in *Friſiam Orientalem*, non prohibentibus *Fœderatorum Ordinibus*, quod ditionis illius Comes affectum pro Hiſpano multis modis oſtenderat, hyberna cœpit; *Chriſtiano* Duce in ulteriorem *Weſtphaliam* ſecedente, ubi more ſuo ad exitum anni 1624 dominatus eſt. Tum demum Tillius cum novo exercitu in Batavos properantem, apud Statloam Auguſto menſe, victum denuo in Hollandiam fugavit, *Mansfeldio* nocere non potuit, etſi ad nova molimina nec ipſe facultatem haberet.

8. Poſt hæc *Imperator*, qui jam in *Bohemia Thaborinum* oppidum munitiſſimum, *Ziſkæ* veteris *Huſſitarum* ducis opus, *ultimam partium ſedem*, ad

de-

deditionem coëgerat, Comitiis *Ratiſponam* indictis, & fruſtra deprecantibus *aureamque Bullam contra citantibus Saxone, Brandeburgico, Haſſo, Electoralem* dignitatem *Friderico* Palatino ademptam in *Maximilianum Bavarum* ſolenniter transtulit *d.* 25. *Februar.* 1623, cum *Bohemiam* vicinasque regiones prius *reformaßet*, hoc eſt, ſuppliciis & exiliis omnique *Proteſtantium cultu & Doctoribus evacuaſſet*; æquè in caſſum dolente *Saxone*, qui fructum operæ Cæſari adverſus *Palatinum* navatæ pridem ei prædictum percipiebat. Iiſdem Comitiis Principatus Haſſiæ ſuperioris Caſſellenſi Lantgravio ademptus & *Ludovico Darmſtadienſi* adjudicatus eſt, ut & *Marchionatus Badenſis à Georgio Friderico* Durlacenſi poſſeſſus *Wilhelmo Eduardi Fortunati* filio primogenito addictus & adſcriptus eſt. Poſtremo *Mansfeldius*, è Friſiâ Orientali, provinciâ fere exhauſtâ, *acceptis* adhuc *trecentis florenorum millibus*, abiit in *Hollandiam*, ultimum partium perfugium; ubi & *Brunſwicenſis* agebat, Belli conſiliis adeo deſperatis, ut Francothalium mox etiam, ſuaſu Jacobi Regis, in manus Iſabellæ Claræ Eugeniæ traderetur. Atque ita Germania ſub Auſtriaco jugo nolens volens acquieſcebat, uſque ad annum 1625.

CAP. II.

De ſecunda commiſſione belli Germanici, ductu Chriſtiani IV Daniæ Regis, ab anno 1625 ad annum 1630.

GErmaniâ pacatâ, Cæſ re prope ſolo in armis apparente, *nimis ſerò quam oportuit, Europæ reliquæ Poteſtates Auſtriacæ domus potentiam ſuſpexerunt.* Galliæ Rex nondum, uti res erat, commotus, nec manus adhuc domi liberas habens: *Jacobus Anglus* diu miſere indigneque doloſâ ſpe pacis ab *Hiſpanis* illuſus. *Daniæ* Rex Palatini uxoris avunculus metuque communi incitatus; *Belgæ fœderati* omnium *Promptiſſimi* & novæ ſocietatis ubique *incentores*; Dux etiam *Sabaudus* & *Veneti* in partes venere, ſed verbis votiſque potius quam armis aut pecuniis, aliter *quam ut Hiſpanos in Italia diſtraherent.* Id verò actum à Sociis, ut auctoritate potentiâque ſolidiore, quam olim ſub *Mansfeldio Brunſvigioque* bellum gereretur. Ideo placuit, uti *Chriſtianus Daniæ Rex* animo, ætate, opibus tanto bello par ſuſciperet ducatum. In quem finem data eſt opera, ut *Saxoniæ inferioris Circuli director*, *Luneburgenſis* loco *Ducis*, eligeretur, & novus Rex Angliæ promittebat ingens pecuniæ ſubſidium Dano, *trecena millia florenorum* in ſingulos menſes: Etſi *quinquagena* millia ab *Ordinibus fœderatis* promiſſa exactè ſoluta plus ei profuere, quam *trecena nunquam* præſtita, Anglorum. Conventio inita fuerat *Hagæ* Batavorum *d. 9. Decemb.* 1629. Conſilium erat, ut

ut *Mansfeldius & Brunſuicenſis* ejus auſpiciis militarent, qui ambo in *Angliam* profecti pecuniiſque inſtructi, *Mansfeldius* cum Anglorum, *Brunſuicenſis* cum Gallorum validâ manu *Fliſſingam* delati, Gallis naufragio non parum imminutis, in Epiſcopatum Colonienſem cum XII. millibus perrexerunt; dum exercitum *Danus* haud procul inde, *menſe Majo* 1625. *Viſurgi* admovebat. Et illi quidem à *Comite Anhaltino* agitati, nullâ re notabili geſta, diviſerunt exercitum, Chriſtiano ad ſuum Ducatum & Epiſcopatum contra *Tillium* defendendos, *Mansfeldio* Lubecam verſus digreſſo. Rex Daniæ Principes populoſque *Saxoniæ inferioris* Brunſuici bis congregatos fruſtra ad *unionem majoremque vim parandam* adducere conatus, *Tillium* difficulter ſuſtinebat, ipſe *Hameliæ* cum equo noctu è vallo delapſus, à præſentiſſimo vitæ periculo ægrè, cum per biduum impos ſui & loquendi fuiſſet, liberatus. Tamen & Tillius duras habuit partes ad *Neoburgum* Luneburcicæ ditionis oppidum, cujus obſidionem, amiſſis quatuor M. deſerere coactus eſt: Penſato mox dedecore apud *Hanobriam*, ubi Dani quingenti ceciderunt, quos inter *Fridericus Saxoniæ dux Altenburgicus* & egregius militiæ, *Oberntrautius*. Tillio deinde venit auxilio *Albertus Vallenſtein Fridlandiæ* dux cum novo XXIII millium exercitu, qui in anguſtiis aliquandiu à Chriſtiano duce retentus, aliâ tandem viâ *Magenburgenſem & Halberſtadienſem* ditiones occupavit.

2. Hyeme, tractatu pacis irrito tranſacta, bellum ſummâ vi paratum eſt, non, ut noſtro fit tempore, lentis & preſſis, *quibus inſiſti queat, gradibus, ſed immenſis ſaltibus*, modo ut in *Weſtphalia*, modo in *Sileſiâ* & *Hungariâ* gereretur deque *Viſorgi* ad *Danubium*, à Rheno ad Albim tranſiret; quam methodum in hoc bello Germanico inde ab initio inſtitutam ad extremum uſque tenuerunt, *donec è Belgio in reliquam Europam ſolidior belli ratio* veſtigiis ſuis inſiſtens propagata fuit. *Danus* exercitus ſuos ad millia LX trifariam diviſit, ſub *Mansfeldio, Brunſvicenſi* & penes ſe. Quid primus egerit, primo videamus. Vix hyeme exactâ, per Ducatum Megapolitanum in *Marchiam Brandeburgicam* progreſſus occupat *Serveſtam*, & in *Sileſiam*, ut Cæſareanos ad ſua tuenda conpelleret, penetrare conatus eſt, quo fine *pontem Albi apud Deſſaviam* à Cæſareanis inſeſſum occupaturus, cum neſciret, *Wallenſtenium* omnibus cum copiis illic adeſſe, magno prælio, *peditatu fere omni cum tormentis & impedimentis amiſſo*, victus eſt *d.* 25 *Aprilis* 1626. Mirum quam brevi, ut erat vulgo militum gratiſſimus, exercitum reparaverit, ſuique tenax Propoſiti *per Sileſiam tetenderit in Hungariam*, illic cum *Bethlenio* novas Cæſari moleſtias ſociiſque in Weſtphaliâ levamentum paraturus. *Wallenſteinius* eum inſequutus & ipſe plus negotii *cum fame & cœli ſolique malis*, quam ab hoſtibus invicem habuerunt. Unde *Mansfeldius* ipſe morbo implici-

tus

tus *Budam*, & inde Venetias, præpoſito copiis ſuis *Johanne* Erneſto Vinarienſi, ſe recepit; verum antequam eo veniret, in *Boſnia* apud Racaviam vicum inter *Zaram* & *Spalatum* quietem in morte, *quam in vita nunquam habuerat*, invenit d. 17 Martii 1627. Filius erat *Petri Erneſti Mansfeldii*, qui Belgicis rebus olim, nomine Regis Hiſpaniæ in extrema ſenectâ præfuerat; ſed ex matre impare junior Filius familias. Unde quam domi & apud Pontificios fortunam habere non poterat, foris ac inter *Proteſtantes* quæſivit; *perſona*, ut ex rebus geſtis intellectum eſt, mirabiliter notabili functus, ut *vixit ita mortuus*, ſine terris, ſine pecuniis, ideoque ſine militari diſciplina, eaque re populis, dum vixit, gravis. Vini & veneris abſtinens, iræ dominus, ultioni minime intentus. Militibus mire gratus, qui ultro ad eum, toties licet victum, undique adfluebant. Jam ante illum *Joh: Erneſtus Vinarienſis*, qui copiis in *Hungaria* relictis præerat, morbo etiam an veneno ſublatus erat. Cohortes eorum reliquas *Baudiſſio* duce ad Danum ſe recipientes, *Wallenſteinius* anno ſequenti in Sileſiâ diſſipavit, paucis cum Duce in *Weſtfaliam* penetrantibus. Nec multo poſt *Chriſtianus Brunſvicenſis*, cum in ſuo Ducatu locisque vicinis fortunam partium, cæſis menſe *Januar.* 500 *Cæſareanis* interim ſuſtinuiſſet, morbo confectus, nondum expletis *triginta ætatis annis*, vitâ exceſſit, *Wolfenbucelia*; repertis, ut ajunt, in viſceribus ejus *lumbricis prælongis*; unde

de Pontificiis anſa colommiæ inepta adverſus hoſtem ſuæ Profeſſionis præcipuum; menſe *Junio* 1626. Quo etiam anno Cæſar *Papenheimio Duce*, *confecit bellum Ruſticum in Auſtria* ſuperiore, natum ex reformatione violenta, interdicto uſu ſacrorum & ejectis Auguſtanæ Confeſſionis miniſtris; poſtquam illi incendiis, rapinis cædibuſque inhumanis omnia compleverant: Donec Cæſar ex vaſtitare pacem & Papiſmum adeptus eſt reformatum.

3. Regi interim *Daniæ* cum *Tillio* negotium fuerat, qui coacto ad abdicationem *Mauritio Haſſiæ Lantgravio*, cui *Guilielmus* filius ſucceſſit, *Mindam* armata manu expugnavit, cæſis bis mille quingentis, nec *amplius viginti civium militumque ſuperſtitibus:* quo exemplo territi *Gotingenſes* maturiori deditione exitium evitarunt. Danos interim *Calenbergam*, avertendo Tillio, obſidentes *Furſtenbergius* Comes inde profligavit; ſed Rex majoribus collectis viribus Tillium viciſſim obſidentem Northemium præcipiti fuga inde ſe proripere compulit. Verum Tillius eundem mox ad *Lutherum* in Ducatu *Brunſvicenſi* arcem, aliquid ominis in nomine præferentem adſecutus, prælio diu ancipite vicit & peditatu exutum cum parte equitatus *egit in fugam die* 28 *Auguſti* 1626, quam victoriam ſequuta eſt plurium oppidorum deditio, nec non *Ulrici Friderici & Georgii Brunſvicenſis ac Luneburgenſis* Ducum *ad Cæſareas partes* adjunctio. Acceſſit poſt *Bauditſii in Sileſiâ* cladem

dem *Fridlandius ad Tillium*, quorum vi Rex Daniæ, novis licet ex *Hollandiâ* & *Holſatiâ* ſubſidiis atque copiis auctus, ad poſtremum tamen intra regnum ſuum, omnibus ad *Viſurgim* & *Albim* præter *Crempen & Glukſtadium* amiſſis, redactus eſt, ut ipſam quoque *Jutiam*, ſub finem anni 1627 regni ſui partem notabilem amitteret.

4. Initio ſequentis anni *Fridlandius* Ducatu *Megalopolitano* pridem publicato, quod *Duces Dano militaſſent*, donatur, aut à Cæſare in ſolutum ei datum accepit, & *Tyllius*, qui hyberna egerat in *Friſiâ Orientali*, *menſe Majo anni* 1628 *Stadam* ad deditionem coëgit, etſi Danus inſtaurato exercitu, aliquot Holſatiæ oppida recuperaſſet, Cæſareanis aliquoties male mulctatis, *Uſedomio quoque* inſulâ & urbe per claſſem, qua Cæſereani carebant, captâ. *Fridlandius* urgebat interea *Stralſundam*, *Wiſmariâ & Roſtochio* jam pridem captis; quæ propterea cum Daniæ & imprimis cum *Sueciæ Rege* pacta, ab illis auxilium accepit, *Unde initium longe maximi deinde motus.* Erat autem conſilium, quando maris potentia deerat Imperatori, *navibus in civitatibus maritimis fabrefactis*, hac etiam parte virium regnis inſtare Septentrionalibus. Sed Danus apud *Wolgaſtum* à Fridlandio clade nova adflictus & tot detrimentis fractus poſtremo *Lubecæ* finem armis ſuis infelicibus impoſuit, eo rediens unde coeperat, hoc eſt, reſtitutis utrimque locis eo bello captis, die 12 *Maji* 1629, Ad quem tractatum *Regis Sueciæ Legati* aditum adſectantes, *indecoram tulere repulſam*,

ut ſi dubitaret, hoc argumento diſceret, quo loco, non magis odii, quàm contemptus cauſâ apud Auſtriacos haberetur.

CAUSÆ NOVI BELLI.

5. Germaniâ ſic iterum pacatâ, cum quies gentis in longum ſtabilita videretur, multo majus & infeſtius incendium brevi univerſam invaſit: *Ferdinandus* Cæſar, adhibitis in conſilium *Domus ſuæ Principibus*, à Pontifice Clericiſque, *maximè à Jeſuitis* incitatus, hoc tempus eſſe credidit, quo Germaniæ imponeret jugum & magnitudinem domus ſuæ monarchicam ſuper ruinas Proteſtantium fundare poſſet. Vires ad executionem abundabant, exercitus ſub *Wallenſtenio* & *Tillio* maximi & validiſſimi, nec ullo in Imperio præter Cæſarem in armis agente; ut jam non modo Germaniæ in officio continendæ, ſed etiam fœderatorum *Hiſpaniæ & Poloniæ Regum*, auxilio ſufficerent. Prætextus etiam luculentus erat ad manum; *Proteſtantes enim poſt pacem Religionis Paſſavienſem, Archiepiſcopatus Magdeburgenſem & Bremenſem; Epiſcopatus Mindenſem, Halberſtadienſem, Verdenſem, Lubeccenſem, Miſnicum, Meersburgicum, Ratzenburgicum, & Schaumburgicum, Brandeburgicum, Havelbergicum, Libuſſenſem & Caminenſem, Pontifici Romano ſubtractos ſibi vindicaverant*, quod *articulo quarto* Conventionis Paſſavienſis erat prohibitum; cauto, ut, *ſi quis ordinis Eccleſiaſtici Auguſtanam Confeſſionem amplecteretur, is beneficiis ſuis cederet omneſque reditus*

per-

perceptos reſtitueret. Sæpe quidem *obteſtati fuerant Proteſtantes*, ut articulus ille tolleretur, ſed remanſerat, *executione in idoneum tempus dilata.* Jam præter epiſcopatus enumeratos duo Teutonici Ordinis magiſtri per *Boruſſiam & Livoniam* pluresque in iiſdem provinciis epiſcopatus arguebantur & præterea per omnem Germaniam *numerus collegiorum & cœnobiorum infinitus* omneſque adeo Principes & *Civitates Auguſtanæ Confeſſionis* repetundarum poſtulabantur. Reformati autem ſeu *Calviniſtæ per tertium* Paſſavienſem *articulum*, beneficio religioſæ pacis, *juxta omnes alios à Catholicis & Auguſtanis diſcrepantes* penitus excluſi dicebantur. Quin jam frequenter in hanc ſententiam diſputabatur, Qui ſe *Auguſtanæ Confeſſionis* hiſce diebus eſſe contenderent, eos nihil præter nomen retinuiſſe, à Veteribus qui jus haberent è Paſſaviâ longe eſſe diverſos. Ergo prodit Edictum menſe *Majo* 1629. *Quo bona Eccleſiaſtica inde à Paſſavienſi Conventione Catholicis ſubtracta, poſſeſſoribus antiquis extemplo reddi jubebantur, contumacibus etiam in fructus perceptos condemnatis, excluſo omni præſcriptionis & appellationis ad Ordines Imperii beneficio.* Poſtulatio *Auguſti Electoris Saxoniæ* filii, in *Archiepiſcopum Magdeburgenſem* retractabatur, quaſi à Canonicis Majeſtatis reis facta, filioque Cæſaris, juxta alia ampliſſima beneficia, vindicabatur. Tum *Commiſſarii* per omnes Imperii partes executionis cauſa dimittuntur, manus militaris in refragantes adhibetur. Hæc

tam late patens & abſoluti vis Imperii, manifeſto aliter, *quam vi & vi armata prævalentis exercitus* adminiſtrari non poterat: Quam *Wallenſteinius* ut victor & dominator, diſpoſitis quaquaverſum per hyberna & æſtiva legionibus, ubique more victoris exercebat, injuriaſque per ſe graviſſimas inſolentiâ ſuperbiâque intolerabiles reddebat; unde immenſa vis querelarum tam *à Catholicis*, qui ab his incommodis, ut res ferebat, non erant liberi, *& ſervitutem æquè in ſe valituram prævidebant*, quam *Proteſtantibus* emittebantur; Uno ore Legionum *exauctorationem* flagitabant; dum interim vi Reformationis Cæſareæ, ingens hominum numerus in exteras regiones adſiduo demigrabat. Quàm non etiam *intra terminos conventionis Paſſavienſis* Cæſar ſubſtiturus eſſet, inde colligebatur, quod *Auguſtæ Vindelicorum* prætextu juriſdictionis Epiſcopo reſtitutæ, *Lutheraniſmus*, qui diu ante Paſſavica pacta ibi receptus & ſtabilitus erat, prohibitus & ſublatus eſt, Auguſto menſe 1629. quod Proteſtantes ut *præjudicium univerſæ Confeſſionis olim Auguſtæ conditæ* accipiebant; qui interim legiones Cæſareas toto Imperio ſparſas alere, pecunias & injurias ferre atque conferre cogebantur, & ni parerent, *væ victis*, quod *Wallenſteinius* egregie callebat, ingeminabatur. Hæ res aliter quam manu & vi præſente ac intenta nullo modo ſuſtineri poterant; ideoque ſi *Ferdinandus* Imperator ab inſtituta Reformatione, quæ plane ei ſederat, deſiſtere nollet, ob injurias militum

& in-

& inſolentiam Ducis, quæ ab uſu victoriarum *inſeparabiles ſunt*, querelaſque *Catholicorum*, à methodo coactâ militari abire non debuiſſet; Nec committere, ut eo rerum ſtatu *Comitia* convocarentur, in quibus quod ſinguli non audebant, univerſi loquerentur & urgerent. Hoc tamen commiſit, indictis in annum 1630. Comitiis Ratiſponam. Ergo ibi tantus clamor & tam concors omnium querela *de Wallenſteinio* exorta eſt, *ut Imperium* Cæſar illi *abrogaret* majoremque militum partem dimitteret. Ajunt, *Wallenſteinium* agitanti de minuendis numeris & ſumptuum ratione Cæſari reſpondiſſe, *pro centum & triginta millibus militum, qui in armis erant, opus ſibi eſſe Nihil*; Pro *triginta millibus, ſi huc reducerentur*, auro perquam multo. Præfecturæ autem armorum ſupremæ, quam *Bavarus ſub ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiverat*, admotus eſt *Zerclaſius Tillius* arte militari æquè egregius, ſed ætatis vigore, quem fortuna fere ſequitur, declinante; cæterum, Vir melior & Ordinibus gratior, adhuc etiam ubique Victor & Imperatori in omnem eventum fidelior futurus, *quam de Bavaro certus eſſe potuiſſet*; Etſi *Wallenſteinius* ad præſens inſtitutum *ſubjugandi Germaniam* & per hanc Europâ univerſa prævalendi, longè fuiſſet utilior; maximè quia inſtitutum reducendi bona Eccleſiaſtica non mutabatur. Ex his, animorum rerumque diſpoſitio ad excipiendum *Sueciæ Regis* adventum, de quo nunc agendum, exiſtimari poteſt.

C A P. III.

Tertia belli Germanici commiſſio, ductu Guſtavi Adolphi *Suecorum Regis.*

ANtequam *Suedici* in *Germaniâ* belli compendium exhibeamus, res à *Guſtavo Adolpho* alibi geſtas, quibus Germanicæ ſuccuturiantur, cum alia non ferat occaſio, ſummatim commemorabimus. Durantibus induciis, cum *Polono* initis & ſubinde productis, animum Rex ad firmandum Succeſſoribus regnum, ducta in uxorem *Mariâ Eleonorâ Sigiſmundi Electoris Brandeburgici filiâ* & præſentis *Georgii Wilhelmi* ſorore, adjecit anno 1620. poſtquam Sororem ſuam *Catharinam* elocaſſet *Johanni Caſimiro*, Comiti Palatino, è Ducibus Bipontinis. In cujus nuptiis, *Guſtavum Adolphum* clarâ voce optaſſe, refert *Puffendorffius*, ſi proles ſibi deficeret, *ut primogenitus ex his nuptiis, ſibi in regno ſuccederet*; Quod in *Carolo Guſtavo* deinceps uſu veniſſe, fuere qui ad memoriam repetiverunt. Sed anno ſequente faciendum putavit Rex, ut Polonum, qui adhuc *ſuperbe adverſus ipſum ſe geſſerat*, nec Regem agnoſcere, nec proprio nomine cum illo tractare voluerat, ad majorem civilitatem adduceret; opportunum ad hoc tempus, *quo Poloni Turcico bello diſtracti erant*, adeptus; ſimul ardebat animus *Livoniam* ſibi valde commodam regno ſuo adjicere. Quare cum viginti quatuor millium exercitu Livoniam ingreſ-

ingreſſus *Rigam* urbem poſt ſex, non maximâ difficultate, ſeptimanarum obſidionem, occupavit, civium animis *Sueco* quam *Polono*, ob religionem, addictioribus; Polonis etiam per *domeſticas diſſenſiones* impeditis & *Sigiſmundo* biennalibus induciis Suecorum victoriam firmare coacto. Quarum tempore *Carolus Philippus Guſtavi Adolphi* frater, in finibus Muſcoviæ, cujus imperio aliquando diſtinatus fuerat, è vitâ exceſſit, an. 1623. Elapſis induciis eâdem promptitudine Suecus reliquam *Livoniam* ſubegit, ac inde in *Lithuaniam* irrumpens luculenta ſpolia reportavit.

2. Sed anno 1626. cum ab eadem parte bellum Poloni metuerent, *Guſtavus Adolphus* ſubitò in Boruſſiam Regalem claſſe trajecit, eamque nemine fere obſiſtente, receptum habens & commeatum in *Pruſſiâ Ducali*, cui adfinis ejus præerat *Elector Brandenburgius*, magna ex parte redegit in poteſtatem. Sed Rege Sigismundo cum exercitu adfluente, Suecus acquiſita cuſtodire ſatis habuit. Anno ſequente nihil memorabile geſtum, niſi quod Brodnicia menſe Septembri capta eſt. Sed anno 1628. Conflictus ingens & aſper fuit apud *Lydam* fluvium, ubi ruptis Suecorum ordinibus Rex, *amiſſo baltea pileoque*, celeritate equi ſe captivitati ægrè ſubtraxit. Diſcordiâ *Polonorum & auxiliarium Cæſareanorum* uſu venit, ut tam præclara victoria ſine fructu notabili abiret. Intererat Imperatoris, *Suecum* atrociter offenſum *in Polonia detineri*, quo nihil erat facilius, *Sigiſmundo ad bel-*

lum obſirmato, ſi vires adfuiſſent. Sed Ordines qui ſuſpectam habebant ejus potentiam paremque Germanicæ metuebant ſervitutem, ſubſidia detrectabant & Cæſar tot ſucceſſibus inflatus Suecum præ ſe vehementer contemnens ſuas promiſſiones nihilo magis *quam Rex Hiſpaniæ* implebat, qui vim magnam pecuniæ navalemque pollicitus nihil præſtabat. Quâ re *Sigiſmundus* invitus & frendens ad *inducias quinquennales* incundas adductus eſt, ſub exitum anni 1629.

3. Tum vero liber hac parte *Guſtavus Adolphus*, miſſo Comite *Ferensbergio in Belgium*, *Angliam*, *Galliam*, *Italiam* fœdus operamque ſuam adverſus Auſtriacos oſtentabat: neque tamen quicquam præter vota & affectus teſtimonia primitus eliciebat: nemine in his rudibus initiis, *poſt tot infelicia experimenta*, quicquam conferre parato, Belgis etiam offenſis Guſtavo propter *exactiones in Pruſſia vectigalium* immoderatas. Sed ipſe interim decretum ab Ordinibus ſuis *pro bello Germanico*, cujus cupiditate, vindictæ gloriæque ſtudio, flagrabat, impetravit. Prodigia, quibus funeſti belli auſpicia, ſignis cœlo terrâque commiſſis & monſtroſis partibus, aliiſque nobilitata ſunt, prætERimus. Sed Rex Suecus, initium fecit ab Edicto, quod *manifeſtum* vocant, in quo *cauſæ juſtificæ* recenſentur, hæc potiſſimum: *Interceptas apertaſque à Cæſare literas ſuas ad Tranſſylvaniæ Principem*, *repulſos à conventu Lubeccenſi legatos ſuos indignè*, *negatum* ſibi ab Electoribus in *Epiſtolis ad ſe datis Regiæ* *digni-*

dignitatis titulum, Commercia Suecorum in Imperio prohibita, ſuoſque ſpoliatos; exercitus validos Polonis auxilio miſſos, Cognatos Principes & confeſſionis ſocios in Germania oppreſſos. Augebant animum hortamenta multorum Principum & foris & in Germania, Proteſtantium, qui apertis animis manibuſque illum expectabant.

4. Primum in *Uſedomium* inſulam; *Rugiâ, Straleſundæ*, quam pridem tenebat, adverſa, jam ante per ſuos occupatâ; portu *Rudenſi*, appulit & copias tum quidem *nonaginta duas peditum & ſedecim equitum turmas, ſatis pro tanto bello modicas* expoſuit. Ipſe cum pedem terræ imponeret *ingenua procumbens & proſperum expeditionis pro gloriâ Dei & Euangelio ſuſceptæ precatus eſt ſucceſſum.* Commodum evenerat, fatis & hoſtibus viam illi parantibus, ut amoto vel amovendo ab exercitu *Wallenſteinio*, maximæ auctoritatis & peritiæ Duce, qui Patrimonium ſuum Mekelenburgum acerrime tutaturus fuiſſet, *nemo ſummæ rei* hac parte Germaniæ *præeſſet.* Idcirco præter inſulas *Uſedomium, Rugiam & Wollinum*, in continente Pomeraniæ *Wolgaſtum, Caminum, Golnovam*, nullo reſiſtente cepit. *Sedini* à Duce civibuſque habitâ oratione ad illos ante mœnia, *de propoſiti ſui pro libertate Germaniæ ſynceritate*, fecit ut reciperetur, *Stargardiam* inſidiis & vi cepit. Inde in *Megapolitanum* converſus Ducatum, *Damgarta* & *Rebnitio* captis, cum *Roſtochium* & caſtra hoſtium ſub Savellio oppugnare non auderet, *Straleſundam* ſeceſſit ibique fœdus cum Haſſiæ

Lant-

Lantgravii legato, dein confirmatum pepigit. Ex adverſo tamen *Franciſcum Carolum* Ducem *Lauwenburgicum*, exercitum ad *Albim* pro ſe colligentem, rebus jam proſperè cedentibus, à *Papenheimio* fuſum & captum eſſe intellexit. Ipſe mox *Gartium & Griffenhagam* cepit, populis ubique non minus quam Suedis ipſis allaborantibus, eò quod *Cæſareani*, cum antea ſummo habiti odio, tum hoc tempore, quæ loca tenere non poterant, prius hoſtiliter ipſi diripiebant; hæc omnia *cis exitum anni* 1630. quo jam in media quoque Germaniâ turbari cœptum *à Magdeburgenſibus*, qui ab Adminiſtratore ſuo *Chriſtiano Wilhelmo* Marchione *Brandenburgenſi* à Cæſare proſcripto excitati & Suecorum adventu animati hoſtilia contra Cæſareanos, inde à *menſe Auguſto*; inſtituerant, nimis propero initio & improſpero exitu, *Suecis nondum eò provectis, ut vires ſuas cum illis conjungere poſſent.*

3. Porrò Tillius valido cum exercitu illi obviam profectus *Neobrandeburgum* à Suecis occupatum ſummâ vi expugnat, interfectis omnibus præſidiariis, ſolo *Kniphuſio* Duce excepto. Sed tamen de Pomeraniâ & Mekelenburgo *Tillius* cum Suecis contendere non auſus, hanc illis reliquit ſeque ad *Magdeburgi* obſidionem convertit, quo Rex *Falcobergium* Ducem, qui ope conſilio oppidanis adeſſet, miſit, donec ipſe cum totis viribus accedere poſſet. Interea fœdere ſe cum *Galliæ Rege* inito, pecuniarium ſtipulatus ſubſidium, muniens & *Saxonem* ſociſ-

ciоſ-

cioſque fœderatos *Lipſiæ* congregatos in partes ſuas obnixè invitans. At hi Cæſarem metuentes & *Suecum habentes ſuſpectum* neutri ſe obnoxios reddere cupientes, id ſolummodo decreverunt, *in ſui defenſionem vires eſſe comparandas* & conjungendas *die 2 Apr.* 1631. Rex interim caſtris ad *Viadrum* provectis, *Francofurtum*, cui ingens præſidium & exercitus inſtar à Tillio, *ſpe ſiſtendi illic impetum Guſtavi* & bellum ducendi impoſitum erat, ſummâ vi coronâ cinctum expugnavit, non minore Cæſareanorum terrore quam detrimento, *poſtridie Kalendarum Aprilis.*

5. Sed inſequenti *Majo Magdeburgum* urbs nobiliſſima, Proteſtantium arx validiſſima, toties ab hoſtibus utroque ſeculo tentata, nunquam plane capta, poſt aliquot menſium obſidionem, multos impetus, plurimas eruptiones, cum tandem fatigatis civibus, *tractatu quoque deditionis*, miſſo feciali, *ſuſpenſis, decimo Maji die*, ſeptimâ matutinâ, cum *dilapſis vigiliis minus intenti eſſent oppidani*, *Falkenbergio* & Magiſtratibus de reſponſo feciali dando in Curiâ deliberantibus, urbs undique totis viribus oppugnata, *Falkenbergio* accurrente cæſoque capitur & horribili excidio, *inter paucas toto orbe* miſerabili exſcinditur, civibus ſine ſexus ac ætatis diſcrimine ipſaque urbe pulcherrimâ ferro flammaque conſumptis, præter paucos in vincula conjectos, quos inter *Adminiſtrator*, cujus temeritate bellum ante tempus erat feſtinatum, qui dein, *religione mutata, veniam & libertatem* quæſivit. Tantæ

cladis invidiam *Guſtavus* à ſeſe amolitus, in *Electorum Saxonis & Brandeburgici* dubiam fidem, quâ fieri non potuiſſet, ut ipſe cum exercitu ad urbem liberandam accederet, rejecit. Ergo ut *Brandenburgio* dubitationem excuteret, arcem ab eo *Spandaviam* ad tempus ſecuritatis ſuæ cauſâ cuſtodiendam petiit ac obtinuit; Sed elapſo tempore, cum Elector reſtitutionem, *cauſa licet eâdem durante*, importune urgeret, *liberavit ille* quidem, arce redditâ, *fidem ſuam*; at mox, omnem *Berolino* ſedi Electorali admovens exercitum, eundem *ad novas pactiones* nolentem volentem adegit, non modo *Spandavia* ſed etiam *Cuſtrino* traditis, omniaque fidæ ſocietatis officia utrimque promiſſa ſunt. Quo tempore copiis è Suetiâ, pecuniis è *Galliâ* & ex *Hollandiâ*, quæ 150 millia florenorum contulit, opportunè adjutus eſt.

6. Brandeburgico in partes Sueci traducto, *Tillius* idem in *Haſſum* moliturus, *appropinquante Guſtavo*, ad Albim revocatur, in quo itinere tres legiones, nocturnis inſidiis à Suecis conciſas amiſit. Caſtris deinde apud *Werbenam* collatis, utrique ſe ab adverſariis intra munitiones ſuas oppugnandis abſtinuere, donec *Tillius* commeatu deficiente, reverſus eſt illuc unde venerat. Quo tempore Cæſar copiis *ex Italia belloque Mantuano* reduces adeptus, *ſub Comite Furſtenbergio* circa initium *Junii Memmingam* capit & *Campodunenſes* ſubigit, *Ulmam* quoque & *Wirtenbergenſem* Ducem

à Lip-

à *Lipſienſi* fœdere, quod *tertiam in Imperio factionem armatam* parabat, abſtraxit; quod exemplum Ordines & Civitates *Franconiæ* omniumque poſtrema *Noribergæ* imitatæ ſunt. Quæ mox omnes novos delectus omiſere ſeque Cæſari dicto audientes futuros & exercitus ejus alturos, coactæ ſunt polliceri.

7. Proximi erant, qui ad ejurandam *Societatem Lipſienſem cogerentur, Lantgravius & Saxo*; quorum ultimum ſi Imperator miſſum feciſſet, in priore non multum fuiſſet negotii; Sed nullo modo pati poterat, *quemquam è Germaniæ Principibus in armis eſſe*; Illis exutis, cum Sueco facilius fore negotium; non animadvertens, quam ſuis rebus noxium eſſet, *Saxonem vi extrema cogere ad Conjunctionem cum Suecis* incontinenti faciendam, à quâ verè abhorrebat & abhorruit ille ſemper. Sic erat tamen conſilium, *cogere Saxonem ad dimittendum*, aut ſibi transſcribendum militem; quâ gratia ditiones ejus invadens *Tillius*, *Meerſeburgo*, *Naumburgo*, *Jena ſine* labore captis, *Lipſiam* quoque ad deditionem coëgit. Hæc res omnem *Saxoni* dubitationem ademit, quominus, *rogato Sueciæ Regis auxilio*, caſtra cum illo conjungeret; Idemque omnem belli vim in ſuas ditiones incubuiſſe videns *Regem à prælio adhuc alienum* ad ſummam rei decidendam impellit. Quo ipſi morem gerente, *Lipſiam die* v. *Septembris* pergunt, ubi *Tillius* expectans copias, ſub *Aldringero & Fuggero*, quos evocaverat, ſubſiſtebat, occupatum tenens

collem, ut paratus ad pugnam, ita certus illam, ſi poſſet, adhuc evitare. Quæ res in cauſa fuit, ut occaſionem ſummis viribus invadendi hoſtes in anguſtiis, quas tranſire cogebantur, amitteret. Conceſſis tamen Papenheimio *duobus equitum millibus*, veniam explorandi res hoſtium dederat, monito, caveret *ut omnia ſibi* prælium detrectanti *integra præſtaret.* Fefellit ea res *Papenheimium* manu promptum & acrem. Implicitus *alia duo millia* flagitabat in auxilium; quæ miſſa cum nonniſi univerſi exercitus motu explicari poſſent, ægrè ferente *Tillio* & perplexo, ut rogantibus imperia nullum verbum reſponderet; ſequutum eſt fatale prælium, inter exercitus numero & viribus fere pares, niſi quod Saxonicus tyro miles erat. Idcirco fuſus etiam ille, vi præcipuâ Tillianorum huic impactâ, ut dein Suecos utrimque & à latere premerent. Sed Rex ſiniſtro ſuorum cornu verſo & fronte illis oppoſitâ, ſic eos excepit, ut *Sueci poſt acerrimam pugnam, victores etiam cornu Saxonicum reſtituerint.* Exigua ſuorum jacturâ potiti clarâ victoriâ, *ſex millibus hoſtium cæſis*, tormentis bellicis & pluribus centum ſignis cohortium turmarumque, juxta impedimenta, captis; *Tillius* ipſe gravi vulnere ſaucius & pene captus *Halam* ac inde *Halberſtadium* fugiens, id egit, ut reliquias legionum recolligeret ſeque cum *Aldringero Fuggeroque* conjungeret; cumque ſe prius *Viſurgim* verſus contuliſſet, relicto ibi quod ſatis eſſet præſidio, cum viginti fere mil-

millibus ad *Auſtriæ* & *Bavariæ* fines contendit. Planè ita eſt, *nullius prælii fortunam* ullo hujus ſeculi bello *tantum intuliſſe mutationis*, quantum hac *Lipſienſi pugna* utrique parti illatum fuiſſe res docuit. *Proteſtantes* è ſummis rerum anguſtiis, obnoxii *Pontificiis*, ad ampliſſimam ſpem ſecuritatemque evecti; *Pontificii* non modo inſultandi facultate amiſſa, *jam de ſalute ſuâ merito ſolliciti*; Dum hinc quidem Saxo, recuperatis ſuis, *Bohæmiam*, *Arnhemio Duce*, ingreſſus plurima regni loca ipſamque *Pragam* capit; *Lantgravio* maximam *Weſtphaliæ* partem occupante; Rege quo ſe verteret, omnia ſubigente; mirifico hoſtium ubique terrore & confuſione rerum. Quâ etiam factum, ut *Roſtochiani*, quos Cæſar adhuc in *Mekelenburgenſi* Ducatu, juxta *Viſmariam*, tenebat, etſi milite commeatuque longæ pares obſidioni ſe Ducibus & Suecis dediderint; poſtquam *Roſtochii* Præfectus *Hatsfeldius* à *Varmejero Oſnabrugenſi*, privatæ ultionis cauſâ, literis ſcribendis intentus, ſecuri impactâ cervici, nefariè obtruncatus erat. Præſidiarii *Roſtochienſes* ex itinere *Halberſtadium* aggreſſi à *Baniero* Sueco fuſi & cæſi ſunt; *Viſmarienſibus* ad Suecorum ſtipendia quâ vi, quâ voluntate adactis.

8. *Major ſine dubio in ſecundis quam in adverſis rebus prudentiæ vis requiritur. Nam in adverſis animus eſt intentior & una fere via ſalutis, quæ in Proſperitate variat, animis fluxioribus; & plerumque fit, ut quæ via placuit, hæc eventu improbetur;*

 quando

quando quod aliâ viâ contigiſſet, ignoratur & laudatur. Multi putant, ſi *Guſtavus Adolphus* à victoriâ *Lipſienſi* rectâ *Pragam* & *Viennam* contendiſſet, *Ferdinandum* hereditariis ditionibus expelli potuiſſe; quando poſt ingentem cicuitum ſpatiumque recolligendi illis datum, nihilominus *Rhenum* & *Danubium*, etſi Tillius cum adflictis legionibus ſuis adeſſet, edomuit, Bavarumque ſuis pene ditionibus ejecit. Id ſatis conſtat, *Oxenſtirnium* à conſiliis primum, tunc abſentem ægre tuliſſe, quod Rex viam ſubjungendi ſibi omnem Germaniam, quæ teneri non poſſet, invidiamque amicorum excitaret, elegiſſet. Rapiendam fuiſſe *Pragam & Viennam*, non ut ſibi acquireret, aut retineret, *quod in exitu inane fuiſſet*, verum ut Imperatorem ad pacem, ſalvâ religione juribuſque ſingulorum & omnium reſtitutis, *ſibi verè glorioſam & quomodo vellet*, *utilem* fructuoſamque adigeret: Inde armis in *Poloniam* verſis, *Pruſſiam* utramque duraturo Sueciæ incremento acquiri potuiſſe, Brandeburgico *æquivalenti* è Germaniâ deciſo, vel *Pomerania*, quam ſine Suedicis armis obtinere non potuiſſet, in compenſationem acceptâ. Sed *Guſtavus* alias rationes in ſpeciem magnificas, revera deteriores ſequutus eſt. Audivit adulationes *Bernardi Vinarienſis & aliorum*, qui dicerent, illum nullo negotio *Germaniam in poteſtatem* redacturum & *Imperatoriam dignitatem* conſecuturum; *Bernardo* nihil minus ſibi hoc caſu quam Electoralis dignitatis proavo ſuo ademptæ reſtitutionem polli-

pollicente; quin *Saxo*, *cui nihil fuiſſet moleſtius*, inter pocula ſic ei blandiebatur. Metuebat etiam, ne *Tillius*, ſe digreſſo, *Saxoni* omnibuſque à tergo Proteſtantibus inſultaret, quaſi *Saxo*, *Brandeburgicus*, *Langravius* & victoriæ reputatio contra victos ſuffectura non fuiſſent. Placuit igitur, ut Saxone, quod diximus, hereditarias Cæſaris ditiones invadente, *Suecus Germaniam peragraret*, quod hoc ordine fecit; *Erphordiam*, *Gotham*, *Mansfeldiam*, *Koningshovium* & hoc quidem bene munitum occupavit, menſe *Septembri*. Dein *Sveinfurtum*, *Vursburgem* una cum arce munitiſſimâ in *Octobri*, quo & *Noribergenſes* & *Bambergenſis* epiſcopatus cum illo paciſcuntur. *Francofurtum ad Mœnum* ingreſſus medio *Novembri*, die ſexto *Decembris* Rhenum haud procul *Oppenheimio* ſuperat & *Moguntiam*, pulſis Hiſpanis, in poteſtatem redegit. Sequutæ *Spira*, *Landavia* & *Weiſſenburgum*. *Heilbrunna* ab *Hornio*, *Manheimium* à *Vinarienſi* capiuntur. *Argentoratum* & *Ulma* Regi fœdere junguntur, eodem adhuc menſe *Decembri*. cum ingente animorum, ut cujuſque intererat, motu, in *Galliam* uſque penetrante, cujus Rex nimiam Sveci potentiam, modo fultam ſubſidiis, pene jam ſuſpectam habebat, ut ſatis conſtaret, eum *Catholiciſmi* in *Germania* interitum ad extremum nullo modo fuiſſe paſſurum.

9. Anni ſequentis XXXII initio Rex *Francofurti* Reginam ſuam, juxta *Fridericum Palatinum* nunc demum in ſpem reſtitutionis addu-

ctum recepit; etſi hujus quidem gratior adventus fuiſſet, ſi milite pecuniâve partibus ſubvenire potuiſſet, ſine quibus rebus miſeri non habent amicos. Partium tamen & famæ intererat, eum fovere & amplecti. Adferebat etiam quod potuerat, *trecenta millia Florencrum de* peculio ſuo, quod habebat in *Hollandiâ*, quibus *Ordines millia Centum* adjecerant, Anglo nihil conferente quam Legationes. Interim *Wilhelmus* Lantgravius & *Papenheimius* in Weſtphaliâ variante fortunâ contendedant. *Sed Martio menſe* Rex omnibus ſuis copiis *Vinshemii* collectis, *Norībergam* petit ac inde profectus *Donaverdam* expugnat; dum *Tillius*, caſtris ad *Lycum* fluvium collocatis *Auguſtam* præſidiis confirmat; ſed mox *Aprilis die* ſexto à Rege *Lycum* tranſgreſſo vi tormentorum in fugam conjicitur, ipſe ita vulneratus, ut paucis poſt diebus *Ingolſtadii* vitam finiverit: Vir memorabilis, à parvis initiis ad magna provectus & ultimis diebus à *fortunâ magis quam à virtute* deſtitutus, Religionis & modeſtiæ in militaribus rara laude inſignis. Rex *eodem* menſe *Neoburgo* ad Danubium expugnato, ipſam *Auguſtam* redegit in poteſtatem, *Urbemque* ſolenni & concepta jurisjurandi formulâ *in ſuam regnique Suedeci ſubjectionem recepit*, non ſine ſumma prudentiorum admiratione, quod ſimulationem vindicandi Germaniam in libertatem tam manifeſto adverſus liberam & præcipuam Imperii civitatem, immaturo nihilque profuturo ſpecimine, proderet; etſi non minus evi-

den-

den ter hunc animum oſtenderat, cum Francofurti à *Friderico Palatino* reſtitutionem Palatinatus petente auſus eſt exigere, ut dignitatem Electoralem à ſe Regnoque Suetiæ in feudum agnoſceret. Ex quibus rebus intelligi potuit, ejus judicium victoriæ enormitate fuiſſe præſtrictum neque ſatis recti amplius capax fuiſſe conſilii: quod eſt in magna & ſubita felicitate difficillimum. Jam Galliæ Rex, qui admoto in Lotharingiam exercitu non obſcura invidiæ adverſus inexpectatam *Suecorum* fortunam indicia dabat, hoc agebat, ut *Bavariæ* Ducem, *qui in maximo Auſtriacorum vigore, non ceſſaverat occulta cum Gallis conſilia fovere*, Sueco reconciliaret; quo illum ut *Catholicorum in Germania* caput ſeorſum à Cæſare conſtabiliret; ſed rebus exulceratis irrito conatu. Quâ de re cum Legatus Gallicus Suecum acrius urgeret, ad rixas ventum dicitur, ut Guſtavus, *neque ſe Gallum metuere* ſubindicaret: Intonabat enim fortunæ. Igitur in Bavariam ingreſſus ad *Ingolſtadium* gravem tulit repulſam; quo tempore equus Regis, cui inſidebat, tormento necatus, & *Chriſtophoro Marchioni Badenſi* ad ejus latus caput ablatum eſt; Reliqua Bavariæ loca ipſumque Monachium ſedes Electoralis, prædæ fuerunt, intacto tamen Ducis palatio, ſed ex armamentario centum quadraginta machinas bellicas, quarum uni inerant triginta millia ducatorum, ablatas miſit Auguſtam menſe *Majo* 1632.

10. Rex ita Germaniam victoriis, quæ

veſtigia cladis majora quam validæ poſſeſſionis monumenta relinquebant, peragrabat; totus re & verbis in hoc, ut omnium *corpus unum* faceret *Proteſtantium*, Pontificiis opponendum, cujus ipſe Caput foret, idque *ſuadente pacem Dano* aliiſque proponebat; prætextu idoneo ad eludendam pacem, ſed conſilio ad alienandos amicos facto atque ad executionis facultatem inani ac eluſorio. Interim Saxo poſt primos in *Bohæmiam* impetus Imperatori parum moleſtiæ creabat, *Arnhemio* Duce ejus, *mox* cum *Vallenſteinio* veteri amico & Patrono ſecretas habente communicationes, *ipſe non minus Sueci, quam Imperatoris nimiam metuens potentiam*, nihilque aliud optans, quam ut inter utramque medius partem neutri obnoxius, *Proteſtantium in Germaniâ caput* haberetur. In quo conſilio firmabant eum adſiduæ *Guſtavi* inſtantiæ, de fœdere & unione, quam diximus, omnium Proteſtantium, arctiore ineunda Conventuque eâ gratiâ celebrando, dum ne quidem ejus legati diſſimularent, *Imperatorem è Proteſtantibus eſſe creandum*, aliter eos nunquam Pontificiis pares futuros, nihilque eſſe potius factu, quam *Guſtavum Adolphum* ad illam evehi dignitatem. Toto igitur tempore, quod à pugnâ Lipſienſi interceſſerat, Rege apud Rhenum agente, Saxone quieſcente, *liberum fuerat Imperatori novos colligere exercitus*, quibus antea ſpretus & repudiatus *Wallenſteinius* ſummo præpoſitus eſt cum Imperio & majore *quam utrique, tam ipſi quam Imperatori expediret, ut etiam arbitratu ſuo pacem*

pacem cum quibus vellet, inire poſſet; imo ut *revera* ipſe ſine Imperatore quicquid vellet, Imperator ſine ejus conſenſu nihil ageret. Hic igitur *pulſis è Bohœmia Saxonibus*, junctoque ſibi *Bavaro*, jam Succiæ Rege longe viribus ſuperior, *Noribergæ* imminebat, Promiſſâ militibus ſuis eâ civitate Prædæ; cujus ſervandæ gratiâ *Guſtavus* à Danubio propere ſe recipiens *ante urbem* caſtra munivit. Quo cum & *Wallenſteinus* acceſſiſſet, numeroſó equitatu ſperabat, ſe commeatus *Suècis* intercluſurum, quod ex parte adſecutus, quominus ſubigendo Sueco ſufficeret, Urbis *Noribergæ* fecit abundantia. Interim Suecus ſuas copias undique contrahebat, donec ad *Septuaginta quinque millia*, numeri illius adſurgerent. Cum igitur nec Urbem relinquere nec otioſus ibi deſidere vellet, *augeſcente commeatus inopiâ*, primo vi tormentorum hoſtes è caſtris ſuis extrudere conatus, cum id non ſuccederet, vi armatâ ſuperare vallum & hoſtem profligare conſtituit, *rem ſane difficilem*, quam & Duces ejus enixe diſſuadebant; *ſed nihil habens potius quod ageret* & ſui jam conſilii nec aliis, ut par erat, auſcultans pervicit. Duobus millibus hominum ſtetit hic irritus conatus, *non ſine murmure Germanorum*, ſuo ſanguine quaſi viliore hunc impetum conſtitiſſe, *dum Suecis parceretur* & Germanis timiditas exprobraretur; etſi poſtremo immiſſi & hoſtibus illi nihilo plus effecerant, acta res *d.* 24. *Aug.* 1632.

11. Eodem tempore *Papenheimius* in Saxoniâ

inferiore contra Suecos eorumque Socios bellum proſperè adminiſtrabat, Hiſpanoque Regi operam liberando *Moſæ Trajecto* impendit; Ubi repulſam tulit immanem, exercitumque dilaceratum in *Weſtphaliam* reduxit. *Arnhemius* autem cum *ſedecim millibus Saxonum* ingreſſus *Sileſiam*, cum hoſtes notabiliter avertere poſſet, nihil ob *cauſas ſupra dictas* memoriâ dignum efficiebat, *Auſtriacis indeſinenter in Saxonis reconcilationem intentis*. Quam cum ei minime adhuc tutam perſuadere non poſſent, vi majore illum putarunt abſtrahendum; Ergo *Walleſteinius* in *Miſniam* progreſſus omnia ferro flammiſque devaſtabat, dum Rex in Bavariam cum majore copiarum parte contenderet, *Bernardo Vinarienſi* in *Franconia* relicto; certus in *Bavariam & Auſtriam* transferre bellum & cogere *Wallenſteinium*, cui *Papenheimus* cum ſuis copiis ſe adjunxerat, illuc ſe convertere; neve mutaret id conſilium, *Saxo licet ad tempus vexaretur*, auctor erat valide *Oxenſtirnius*; At ille tam altum clamitabat, ſeque deſeri invidioſe quiritabatur, ut Rex *ejus defectionem*, alioqui non multum ei fidens, reformidaret. Ergo invitus in *Miſniam* reverſus etſi nondum omnibus copiis conjunctis, cum intelligeret, *Papenheinium* à *Wallenſteinio* eſſe digreſſum, & hunc caſtra ſatis tuto loco capta munire, quod ſibi magno fore præjudicio videbat, Cæſareanos aggredi ſtatuit, non tam diſſuadentibus quam improbantibus ſuis, qui *Saxonicas copias expectari vellent*. Sed Rex

in

in vehiculo ſuo cum præcipuis ducibus inſomni fere nocte exactâ, minaci voce vultuque pugnam intonabat; inſolentior; etſi nuper admodum acclamationibus populorum ſatiatus & ad Paſtorem ſuum converſus; *Timeo* dixerat, *ne non iram Dei in me populi avertant*, tribuendo mihi, quod Ipſi debetur. Concurſum eſt ad *Lutzam* haud procul *Lipſia*, oppidum, die VI *Novembris* cruento Regique fatali prælio, Qui magnâ vi inclamato ter, altâ voce nomine JESU, cecidit inde à Principio, *nimis avidus periculorum*; nec unquam ſatis, quo pacto mortuus, intellecto, duobus qui adfuerant, famulis pariter cæſis. *Albertus Saxoniæ Dux Lauvenburgicus* ei ſolus ſuperſtes adfuit; in quo idcirco hæſit ſuſpicio, quod *corruptus à Cæſareanis*, quorum ſectam antea ſeqûutus erat, fortiſſimum heroem à tergo, jam vulneratum confeciſſet; verum Incerta res eſt; id ſolum conſtat, cadaver regis eſſe repertum in vulgo cæſorum quinque vulneribus confectum, Spoliatum & Protum, *longè miſerrimo humanæ magnitudinis ſpectaculo*; ætatis anno 38. Quali milite uſus ſit *Guſtavus Adolphus* haud aliunde melius cognoſcas, quam quod tam funeſto caſu minime perculſi *conſtantius & ardentius pugnaverint*, *uſque* dum victoriâ, cæſo etiam in adversâ acie *Papenheimo*, qui durante conflictu, revocatus *à Wallenſteinio* ſupervenerat, potirentur. *Cæſareani* è *Saxonia* fugati, non omnino ſe victos credidere, morte *Guſtavi Adolphi* ſuam facile compenſatam cladem reputantes; quin etiam victoriæ lætitiam præ ſe tulerunt.

runt. Eodem menſe *Fridericus Palatinus* Ex Rege *Bohamiæ* biennio minor Guſtavo, pro quo Sueci triduo ante Lutzenicam pugnam, Hiſpanis Francothalium ademerant; cum, majore Palatinatus inferioris parte recuperatâ, de reliquâ bene ſperaret, *intellecta Regis Adolphi* morte, in quo plus ei quam *in Socero & fratre adfine, magnis Regibus*, erat præſidii, tametſi cum illo nec dum plane tranſegerat, duraſque & ille conditiones ipſi imponebat, fractus diuturni malis exilii, accedente contagione *Moguntiæ* fatalem horam explevit, die *Novembris* XIX: Relictis utriuſque ſexus decem ex *Eliſabethe Angla* liberis, è quibus dum hæc ſcribimus, *Sophia* Duci Luneburgenſi *Hanoverano* nupta, fœcundiſſimæ domus ſtirpe propagata, reliquis ſine ſobole defunctis, ſupereſt. Ante ejuſdem exitum, Duces amici *Guſtavus Hornius Sletſtadium* in *Alſatiâ*, cæſis auxiliaribus Cæſareanis, juxta *Calmariam* & *Hagenoam* in poteſtatem redegerunt, ac inde in *Sueviam*, ut ſociis ibi laborantibus ſubveniret, tranſierat, *Fribergo* in *Briſgovia* prius occupato. Sed miſſis pauliſper Germanicis, aliarum quoque gentium *hoc intervallo*, geſta recenſeamus.

CAP.

CAP. IV.

De Polonicis rebus.

Danorum *Suedorumque* rebus *Germaniæ* hoc intervallo involutis, *Polonica tamen & Hungarica* licet abiiſdem non aliena, ſeorſim collocare viſum eſt. *Sigiſmundus* Rex patrito Sueciæ regno & rebus evolutus *Muſcoviticis* inducias cum utrâque gente, cum Proceribus etiam ſuis quietem, etſi nulla parte ſatis tutam habebat; quando *Turcici* ad eum belli contagio pertigit, neceſſitate patrocinandi *Gratiano* Valachiæ & Moldaviæ Principi, cui *Oſman* Turcarum Imperator arma inferebat. Quanquam & ipſe huic malo cauſam præbuerat, *Coſaccos* in auxilium Imperatoris, cujus potentiam Turca merito ſuſpectam habebat, ſubmittendo, iiſdemque crebras mari terrâque excurſiones in ditiones *Turcicas* permittens. Initium fuit à fraude nefariâ Turcarum, qui Staniſlaum *Zolchievium* ſub amicitiæ ſpecie circumventum, in Valachiâ ad fluvium Tyrazcum tria è ſeptem millibus fortiſſime dimicantes, obtruncarunt. *Oſmanus trecentorum amplius millium* exercitu inſtructus ad *Tyram* omnem conſederat. Poloni LX millia non excedebant, duce *Carolo Chudkinizio*, cui aderat *Uladiſlaus* Regis filius. Illi deinde mortuo ſubſtitutus eſt *Staniſlaus Lubomiriskius*, qui *Chudkivizii* veſtigiis inſiſtens Turcas morâ & vigilantia confecit, dum hi caſtris fruſtra aliquoties oppugnatis, *Caminieco & Panovi-*

zio

zio incaſſum tentatis, paſſi ingentem ſuorum jacturam fame infinitiſque incommodis, re peſſime geſtâ & pace factâ diſceſſerunt; vexati etiam poſtea maritimis *Coſaccorum Polonis militantium* prædationibus in *Boſphorum* uſque Thraciæ, ut *Conſtantinopoli* minime ſecuri eſſent, urbiſque commeatus intercluderentur, inſolito arrogantiſſimæ gentis terrore. Quâ re haud minima ſeditionum & exitii cauſa in *Oſmanum*, quod *in loco videbimus*, præparata eſt, anno 1621. Cum paulo ante *Sigiſmundus* inexpectato vitæ periculo ægrè liberatus eſſet. Quippe *Michael Piecharſius* homo nobilis, alienatæ mentis aut prodigi moris, *Curatoribus à Rege ſubjectus* hanc contumeliam ferro in ejus auctorem ulciſci ſtatuit; Regemque die Novembris xv. in templi veſtibulo, è latebris forium repente proſiliens, ſtricto ferro invaſit cumque *duobus in facie & humero vulneribus* ſauciaſſet, prolapſum, comites & ipſe filius contra ſicarium tuitià morte liberarunt. Captus & tortus ille cum neminem conſcium autoremque nominaſſet, ſine ullo pœnitentiæ, *niſi quod manus à cædis effectu aberraſſet*, ſigno, ſupplicium tentato parricidio dignum mira pertinaciâ tulit.

2. Renovati deinde belli *Suedici* hiſtoriam & quo pacto *Guſtavus Adolphus* Rigam omnemque Livoniam occupaverit anno 1621. *ſuperius* dictum non repetemus. Induciis cum Sueco finitis & *Tartaris Ruſſiam populantibus*, Comitia Rex ad petenda in utrumque bellum ſubſidia ab Ordinibus, indixit, initio anni 1624. Sed Poloni, qui-

quibus ſemper idem fuit animus, *qui liberis populis eſſe ſolet*, ut hoſti indulgere, quam Principi ſuo domi quicquam in libertatis ſuæ, quod opinentur, præjudicium concedere malint, *pecuniæ loco querelas ei ingeſſerunt*; Epiſcopatum *Varmienſem* in filium contulerat; Comitatum *Zyvecenſem* Reginæ nomine in finibus *Sileſiæ & Hungariæ* magno ære comparaverat; Qualia Regibus, *potentiæ illorum limitandæ*, per leges vetita ſunt. Accedebant auxilia Cæſari miſſa, corruptio rei monetariæ aliaque *reformationis indiga* & opinio de pace cum Sueco æquis legibus obtinendâ, ſi rex vellet. Hic autem non minus offenſus erat literis in Belgio interceptis, quibus *nonnulli Proceres ſpem ſucceſſionis Polonicæ Regis Galliæ fratri* oſtentabant. Denique, de ſubſidiis pecuniariis nihil actum, Auxilia Cæſari miſſa, poſt contentionem integræ noctis Rege præſente, revocata, prohibita *ſub pœnâ perduellionis*. Cum Suecis induciæ renovatæ. Sed Tartaros triginta millium numero *Cantimirio Murza Duce*, Egregius *Conjecpolſius* è captivitate Turcicâ reverſus, tria *ducens equitum millia, cum ſeptingentis peditibus* haud procul *Martinovio* fudit omnique rerum hominumque prædâ exutos fugavit. Eodem tempore *Vladiſlaus* Sigiſmundi primogenitus præcipuas Europæ partes eleganti peregrinatione luſtrabat, hæc anno 1624.

3. Sed anno *ſequente*, finitis cum Sueco induciis, re Polonicâ nihilo melius comparatâ, quo pacto bellum renovatum & *Staniſlaus Saphiecha* ſenex

nex octuagenarius armorum imperitus, quem Lithuaniæ, præ *Radzivilio* in literis ſupra dictis *ſuſpecto*, præfecerat Sigiſmundus, prælio victus ſit, antea dictum eſt; etiam quomodo in Lithuaniâ, (cujus hoc tempore florentiſſimum emporium *Iaroſlavia* fortuito incendio tota periit) inſultaverit *Succus*; ad quas injurias ulciſcendas cum *Sigiſmundus* Ordines ſuos novis Comitiis excitare vellet, *Succus* tranſlato, præter opinionem, in *Pruſſiam* bello, vindictæ cupiditatem in neceſſariæ defenſionis ſtudium convertit. Quippe *Rex Suetiæ* occupatis *Braunsberga & Frauvenburgo*, *Elbingam* ſe contulerat, ubi Magiſtratus & cives plerique religionis cauſâ Suecis addicti, *ſe urbemque nullis conditionibus* dediderunt, neque tamen ideo, *quominus urbis deprædationem pecuniâ redimerent præſidiumque reciperent*, evitarunt. Elbingam ſequutum eſt *Mariæburgum*, inde *Mevia & Dirſavia* ad Viſtulam interceptæ, jamque id agebatur à Suecis, ut *Dantiſcum* Polonis intercluderetur; quando *Sigiſmundus* cum exercitu adfluens, ad *Dantiſcanos* ſe recepit eoſque *in obſequio Polonici regni* confirmavit; Sponte illuc inclinatos, ut qui à Suecis utcunque religionis ejuſdem, *Baltico mari* potentibus ejuſque dominium adfectantibus, plus Reipubl. & commerciorum libertati, quam à Polonis, quorum hac parte ſecuri erant, metuebant. Ergo certus Dantiſci *Sigiſmundus*, habitis *Thoruni* comitiis regni, facilius ad hoc bellum, quod multo propius gentem feriebat, ſubſidia, quam ad *Livoni-*

cum,

dum, potuerat, *imperavit* & *Suecorum* progreſſus, Duce potiſſimum Conjecpolſio ſuo, cohibuit; Dirſaviam quoque longa obſidione, Meviam celerius recuperavit. Novos etiam delectus ad *quinque peditum & tria equitum millia*, quæ *Suecis* è vicinâ Germaniâ adducebantur, *Conjecpolſius* in finibus *Pomeraniæ* circumventos ad deditionem coëgit *initio anni* 1627. Sed *Guſtavus* cum novis è *Suetiâ* ſubſidiis *Majomenſe* reverſus in *Boruſſiam*, munimentum *Marienburgenſe Dantiſcanis* ademit, ipſe tamen vulnere aliquandiu retardatus. E quo reſtitutus & hoſtilia caſtra adortus, iterum globo ſecundum humeros trajectus eſt.

4. Interim commerciis, *Danciſco* à Suecis tantum non obſeſſo, plurimum hoc bello turbatis, *Fœderati Belgæ* legatos ad utrumque Regem, pacis reconciliandæ gratiâ miſere, qui tractatus inter ipſa caſtra ſub hyemem aggreſſi, an. 1627. optimam ſpem conceperant, *Suecis omnia præter Rigam, reſtituere paratis*; quando *Sigiſmundus* ſubito in alia omnia conceſſit & abruptis colloquiis, *Warſaviam*, Suecus in hyberna, *Batavi* ad ſua rediere, partibus ad ſpes novas erectis. *Sigiſmundo* perſuaſerant *Hiſpani*, ſe claſſem *viginti quatuor navium* bellicarum in mari *Baltico* comparaturos ejuſque ope Suecis è mari pulſis, occaſionem præbituros non modo *Pruſſiam* liberandi, ſed & *Livoniam*, quin ipſum *Suetiæ* regnum recuperandi. Quod ut tum *res Auſtriaca* florebat, nequaquam, modo *res nautica ſuppeteret*, ſupra facultatem videbatur. Et jam pecunia, ducenta

millia Imperalium ſub *Auchio Barone*, ab Hiſpanis aderat ſuppeditata. Sed *Hanſeaticæ civitates*, novos *Baltici* maris hoſpites cane pejus & angue metuentes, nullo modo ut naves & materiam inſtruendis illis neceſſariam præberent, rationibus uſi variis, adduci poterant: Nec *Auchius*, ut *Sigiſmundo* pecuniam illam tranſſcriberet, quâ claſſem ipſe *Dantiſci* pararet; Ideo quaſdam ſuo ſumptu naves ibi inſtruxit, quibus *Suedicas* portum obſidentes *Dantiſcanum*, male habitas, unâ quoque demerſâ, *profligavit*, ut facile, quid ea viâ Poloni totis viribus incumbentes cum Hiſpanis potuiſſent, animadverteretur, *Wallenſteinius* dein portubus aliquot *Balthici maris* occupatis, idem inſtitutum maritimam acquirendi potentiam agitabat, *Hanſeaticos* ſuâ πιθανάγκῃ facilius quam rationibus ſuis *Auchius* potuerat, perſuaſurus: Sed hæc conſilia, remoto *Wallenſteinio*, ipſe *Ferdinandus* evertit. SIGISMUNDUS hac ſpe deſtitutus, nihilo plus ab Ordinibus ſuis, iratis de tractatu pacis ab *æquiſſimis conditionibus* abrupto ſuſpectamque Regis ſui *cum Auſtriacis* conjunctionem habentibus, impetravit.

5. *Conjecpolſius* tamen cum iis quas habebat copiis *Sueciæ Regi* non modo maſculè reſiſtebat, ſed etiam cladibus aliquot notabilibus adfecit. Vnâ apud *Oſtrodam*, cum Sueci *Brodniciam*, cujus præfectus feſtinatam deditionem capite luit, occupaſſent, trium millium equitatus agmen adſecutus *pleriſque cæſis aut captis*, fudit & delevit. Anno *ſequenti Polonis* ad contributionem pecuniariam

in

in uſum belli aliquam ægre adductis, Imperator bello Danico liber, *Arnhenium* Ducem cum *quinque* peditum & *duobus equitum millibus* auxilio miſſit iſque caſtra cum *Conjecpolſio Grudentii* conjunxit; Qui jam facile par viribus Sueco, trajectus *Lydæ* fluminis, ut Guſtavum illos minime neglecturum, ad certamen eliceret, occupavit.. Nec is detrectavit, accerrimeque pugnatum eſt: Primo impetu *Equitatus* haſtatorum gravis armaturæ *Polonicus* in confertam Suecorum aciem, ejus vim arte nondum eludere doctam, illorum ordines præcipuos rupit & diſſipavit, captis etiam tormentis, unde non procul aberat *Guſtavus*; cujus & reliquæ legiones alæque à *Cæſareanis* fortiter exceptæ pariter terga verterunt, iterumque à Rege ſuo collectæ rurſus in fugam & cladem conjectæ ſunt, extremò Regis ipſius, ut antea dictum, periculo. Quominus tantæ victoriæ fructus Sigiſmundo conſtaret, fecit *Arnhemii*, cujus in omni factione ſuſpecta fides fuit, *Prævaricatio:* qua *Conjecpolſio* ipſique *Sigiſmundo* in caſtra delato adverſabatur, impediens, ne continuo *Mariæburgum*, quo Rex è fuga ſe receperat, invaderetur, bellumque ſuo arbitratu ſeorſim à Polonis, nullo in ſummam fructu, adminiſtrabat. Opinio fuit, cum *Brandeburgici Electoris Sueci adfinis, civis eſſet*, hactenus eum ſtuduiſſe *Suedis*, ut illorum partes nollet oppreſſas. Miſit quidem *Wallenſteinius* illi ſucceſſores, *Lauvenburgium & Mansf.* ſed interim tranſierat opportunitas & novi Duces apud milites, *Arn-*

hemii dimiſſione offenſos minime paris erant au-ctoritatis. His rebus & quod *Ordines* Poloniæ de pace Regem ſuum adſiduo interpellabant, tandem, ut *ſuperius commemoratum eſt*, Galliæ & Angliæ legatis intercedentibus, inducias ad *quinquennium* his legibus fecit, ut *Suecus Livonica retineret*, *Pruſſica reſtitueret*, *excepto Mariæburgo*, *quod Brandeburgicus ut ſequeſter retineret*, *Sueco*, *ſi poſt inducias de pace non conveniret*, *reſtituendum*; *qui interim Elbingam*, *Braunsbergam*, *Memelim & Pillaviam pignoris loco retineret*. Conditiones victo potius quam victori Polono convenientes.

6. *Hæc in exitu anni* 1629. qui annus alia parte Polonis felicior fuit, cæſis, à *Stephano Chmielecio Coſacorum* ſub auſpiciis Polonicis Duce peritiſſimo *Tartaris*, qui GALGA Tartari Principis filio & *Murza Cantamirio* ducibus, Poloniam invaſerant, *bis mille*, quos inter *Galga fuit*, captis, filioque *Cantamirij* inter mortuos reperto. *Chimelecius* ille primus artem fundendi Tartaros in fuga ſua tenuit & egregie exercuit, de re Polonicâ præclare meritus, ideoque *Palatinus Kiovienſis* creatus, in eaque dignitate ſequenti anno mortuus. Sed factis induciis, *Conjecpolſius* militum, quibus plurima debebantur ſtipendia, metuens ſeditionem, per varias longeque diſſitas regni partes illos cenſuit diſtribuendos, partemque in Provincia *Kiovienſi*, qua *Coſacci* habitabanr, collocavit. Quod illi non ferentes, *Præfecto* ſuo *Chrichone*, cum *Polonis* ſentiente, occiſo, novum crearunt Ducem *Taraſium*

ſub

ſub quo *Boriſthenem* tranſgreſſi *ſigna rebellionis ſuſtulere*, donec a *Conjecpolſio* aliquot præliis, non ſine clade ſuorum fracti ſe dediderunt, alioque Duce à *Polonis* accepto, traditiſque ſeditionis auctoribus, ſe Regi & Reipubl. dicto audientes fore pollicerentur. Hac occaſione mercenariæ legiones *Boruſſicæ* junctis viribus ferociores, ſtipendia ſua cum eo quod intereſſet præterea, *Duce* creato *Wilinskio*, flagitaverunt; quem tamen motum *Sigiſmundus*, corraſis de ſuo Reginæque peculio & undecumque poterat, nummis, opinione celerius ſedavit anno 1630. Atque ab eo tempore pace domi foriſque gaviſus eſt, donec ipſe in requiem hac vitâ defunctus conceſſit, ſub *finem Aprilis* 1632, anno ætatis LXVI. E duabus uxoribus Annâ & Conſtantia, *ſororibus germanis Ferdinandi II. Cæſaris* duos ſuſcepit filios, qui ambo regnarunt; Primus fuit ULADISLAUS quem vivo ſurrogari Pater ab Ordinibus ter quaterve petierat totidemque repulſas tulerat, *præjudicium electionis libertati* nullo modo fieri patientes. Nihilo ſecus in Comitiis regni more ſolenni in campo prope *Warſaviam*, juxta villas *Wolam & Powazium* in hunc uſum parato & munito, Convocatis, poſtquam Legati externi prius erant auditi & *Conditiones, in quas Rex futurus juraret*, erant conceptæ, ab *Univerſâ Nobilitate* concordibus ſuffragiis electus eſt, ſub finem *Septembris ejuſdem anni*, inauguratione in *ſequentem annum*, ubi juſta Regi defuncto perſoluta forent, dilatâ.

C AP.

CAP. V.

De Rebus Hungariæ.

Germaniâ religionis & *Auſtriacæ dominationis* cauſâ graviſſime turbatâ, difficile fuit, eoſdem motus, *cum Hungariâ*, cauſis & animorum motibus iiſdem agitatâ non communicari. *Tranſylvaniæ* ſub protectione *Turcæ*, Principis jure præerat, ut jam pridem intelleximus, *Bethlenius Gabor*, Auſtriacorum tam *religionis* quam *ambitionis* cauſâ inimicus, conſilio ac armis acer, occaſionibus intentus. Hæc autem ei commodior evenire non poterat, quam *Bohemica defectio*, quâ diſtractis *Cæſar* viribus *Hungariam* adverſus ſubitam vim tueri non poſſe videbatur. Contracto igitur occulto *cum Bohæmis fœderê*, compoſitâque re cum quibuſdam *Hungariæ* Proceribus, quos inter *Redejus Ferentius* & *Zetſcius Georgius*, collecto exercitu ſub prætextu ſe Bohæmis opponendi; quam primum intellexit, *Electorem Palatinum* Regem à Bohæmis eſſe creatum, derepente *ſuperiorem Hungariam* invadit, ubi conjunctâ ſecum firmâ *Hungarorum* manu *Caſſaviam*, cujus præfecto *Doczio* nuper amicis literis inluſerat, per *Ferentium* & *Zethſium*, ad deditionem urbis & præfecti ſui coëgit. Omnia repentinis belli malis, præſertim in *Eccleſiaſticos Papales*, magno hominum terrore, cunctis imparatis, implentur, omniſque Hungaria *Comorram & Jaurinum uſque* à *Tranſ-ſyl-*

ſylvanis occupatur, ipſum quoque *Poſonium*, quod *Presburgum* vocatur, deletis in ſuburbio tribus veteranis cohortibus à *Buquoyo* cum aliquot tormentis præſidii cauſâ miſſis. Jam *Bethlenius* partem exercitus *Bohæmis* in auxilium miſerat, ipſe *Viennam* tendens, quando intellectâ *Ragotzy*, quem *Caſſoviæ* præfecerat, clade, in ulteriorem *Hungariam* retractus eſt.

2. Intulerat illam *Georgius Humanajus* Comes *Ungarus*, qui primo *Gaboris* adventu ſe receperat in *Poloniam* ibique *Regis Auſtriaci addicti* favore & auxilio, collecto exercitu, primo repulſus erat à *Ragotzio*, dein reparatis copiis prælio per biduum variis commiſſionibus extracto, *Poloni tandem arte Tartaricâ fugientes* ſubitoque reverſi in diſſolutos Tranſſylvanorum ordines invecti illos profligaverant, *peditatu fere conciſo*, *Equitatu* ſe cum *Ragotzio* recipiente, cui cum *Gabor Ferentium* tribunum in auxilium miſiſſet, ipſe regni Ordinibus *Poſonium* convocatis, *fidem ab illis* pleriſque non nolentibus accepit. Quod ſi perculſis *Auſtriacis* ſine intermisſione inſtare potuiſſet, hoc forte jus perpetuum feciſſet; Verum à Cæſare ut *inducias ſecum trimeſtres* pangeret, inductus & *Bohæmos* deſtituit nec ſuas res ſtabilivit: Etſi in ipſo induciarum tempore, paulo antequam *Fridericus* in *Bohemiâ* deſtructus eſt, ipſe *Regis Hungariæ nomen ab Ordinibus Neuſolij congregatis* adeptus eſt. Quare nec Cæſar veritus eſt, *Poſonium* ductu *Henrici* Comitis *Tampierii* tentare, ſed infeliciter, *Duce* in op-

pugnationis initio *tormenti manualis ictu percuſſo* & interfecto militibuſque reinfectâ nec ſine clade recedentibus.

3. Sed Proteſtantium rebus in *Bohemiâ* & *Sileſia* perditis, fracti ſunt pleriſque Proceribus animi, cumque acerrimus *Bethlenii* propugnator *Zetſcius* ab Imperatore in gratiam receptus *Ferentium* vi adortus cepiſſet, qui ex mœrore contabuit, maxima pars Cæſari ſe denuo reconciliavit, & *Buquoijo* cum xxv *millium* exercitu in Hungariam progreſſo, *Bethlenius* è novo ſuo regno in *veterem Principatum*, præcipuis *Hungariæ* locis præſidio munitis, rediit. Sed *Buquoijus* Poſonio Tyrnaque celeriter potitus *Neuſolium* obſidione cinxit: rurſus infeliciter, ipſo Duce in conflictu quodam à *Tranſylvanis* circumvento & multis vulneribus ignoto interfecto. Natus erat in Arteſiâ, Patre Maximiliano Longuevallio, ærarii Belgici ſub Principe Parnenſi præfecto & ejus favore Comitis dignatione adfecto. Morte tanti Ducis obſidio non tantum ſoluta *Neuſolienſis*; *ſed & Bethlenius* iterum è *Tranſſylvaniâ* ſuâ prodiit, comites habens duos partium veteranos, qui ſe apud illum receperant, *Comitem Turrianum Bohæmum* & *Marchionem Jegerndorffium*, quibuſcum Hungariam arbitratu ſuo populatus in *Moraviam* tranſiit, *Jegerndorffius in Sileſiam*, ubi à *Wallenſteinio* aliiſque viribus licet non imparibus, tamen *quia milites eorum prædæ ſueti difficultates adſpernabantur*, nec in longitudinem conſulebant, brevi

ad

ad incitas redacti, retro ſe recipere coacti ſunt.

4. Quo tempore Cæſar, ut hac parte liberatus totum ſe Germaniæ ſubjugandæ dederet, & *Bethlenius*, quod ſe Regnum Hungariæ nullo modo tenere poſſe re ipſa didiciſſet, in pacem *Oldenburgi* convenerunt, ut *Bethlenius* acceptâ pecuniâ, juritituloque Regni renuntians, *Principis Imperii dignitate honeſtaretur*, & *Septem in Hungariâ nonnulliſque in Sileſia juriſdictionibus*, *una cum urbe Caſſovia*, dum viveret, potiretur, *initio anni* 1622.

5. Sed his conditionibus non optima fide ſervatis, *Bethlenius anno ſequenti* cum LX *millium* exercitu, maximâ parte *Turcis* & *Tartaris*, quos per *Turrianum* legatum à Portâ impetraverat, rurſus in *Hungariam* irruit & oppreſſa prope Tyrnaviam Legione *Tieffenbachiana*, reliquum Cæſaris exercitum ſub *Comite Swartſenburgico* intra *Gottingam* clauſit & obſedit. Sed durante in hyemem obſidione, *Turcis & Tartaris* non ferentibus autumni injurias & diffluentibus, res ad inducias rediit; Cum de pace, *Bethlenio prioribus jam non acquieſcente conditionibus*, minimè conveniſſet. Mox idem *Bethlenius Catharinam Electoris Brandeburgici* & *Suecorum Reginæ* ſororem in uxorem duxit. Imperator omni pacatâ Germaniâ deque Bohæmiæ regno & jure ejus hereditario ſecurus; etſi de jure *domus Auſtriacæ in Hungariæ* regnum pactiones antiquas præferebat, jus tamen hereditarium ſibi vin-

 dicare

dicare non auſus id agebat, in *Comitiis Oldenburgum* convocatis, ut filius ſuus *Ferdinandus* Rex & ſucceſſor ſibi deſtinaretur; quod etſi *Tranſſylvani*, qui pars *Hungarici* regni ſunt & *Proteſtantes* reliqui, *ut electionis præjudicium*, impedire conarentur, nihilo minus obtinuit, tam reputatione *victoriæ Germanicæ*, quam imprimis *Eſterhaſii* Comitis operâ, quem in iiſdem Comitiis *Palatinum* regni, id eſt, *Proregem* è binis Catholicis & Proteſtantibus antea nominatis, ab Ordinibus eligi curaverat; Prærogativâ ſuffragiorum adjutâ imprimis à Legatis Sclavoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ, gentium *Hungaris* fœderatarum. Electione impetratâ, Cæſar ex conſilio *Caroli Caraffæ Nuncii Apoſtolici & Archiepiſcopi Strigonienſis Hungariæ Cancellarii* & Legati *Hiſpaniæ* actum inaugurationis differre conſtituerat, ne Rex novus in jura Regni & *Proteſtantium* nominatim *Privilegia* jurare cogeretur, ſperans fore, ut auctoritate vetuſtate corroboratâ *Germaniæque Proteſtantibus* quod agebatur, *in ordinem redactis*, ea quæ in legibus diſplicerent, abrogari poſſent. Verum Ordines hanc arte eludentes artem, in eo concordes fuerunt, *ut eligendus æquè ac Coronandus Rex in* leges & privilegia jurejurando adigeretur. Quod cum recuſari non poſſet, nihil moræ fuit in Imperatore, *quominus & ipſa procederet inauguratio*, diademate *S. Stephani*, *quod à ſeptingentis amplius annis religioſè ſervant Hungari* & cujus recuperandi cauſa ſuperiori *ſeculo cum Friderico*

Cæſa-

Cæſare bellatum fuit, cum reliquis ornamentis magnâ cum Pompâ *Poſonio Oldenburgum* translatis, hæc anno 1625.

6. *Bethlenii* nomen interim & fama *latius quam res erat*, per lonquiquas imprimis regiones vagabatur, nec ullius nomen tam adſiduam mendaciorum materiam, his *qui acta novella* conficiebant, eâ tempeſtate præbuit. In exſulum imprimis ore *Bohemorum* ſpes undique imaginantium & ſibi aliiſque promittentium erat *Betlenus Gabor*, de quo proinde intentisſima expectatio plerumque obſcuro vel nullo auditu eludebatur, adeò ut Princeps *Mauritius* in Belgis aliquando dixerit; *ſe dubitare, an ullus omninò Bethlen Gabor eſſet in mundo.* Nec quicquam de illo ab hoc tempore ad annum uſque 1629. quo mortalitatem explevit, *menſe Novembri; anno ætatis undequinquageſimo*, auditum eſt; nullo ex ſe relicto ſucceſſore; ſed ex Proceribus, *Turcarum Domini* favore, ſubſtitutus eſt in principatu *Georgius Rakozius.* Caſſovia vero ditioneſque *Bethlenio uſufructu tenus* conceſſæ ad *Ferdinandum* Cæſarem *ut Hungariæ Regem* vi conventionis præviæ redierunt.

CAP. VI.

De rebus Italiæ uſque ad pacem Monzonenſem.

DUm Auſtriacæ domus in *Germaniam* omnis incumbebat vis & induſtria, *Gallis* in ſe converſis, *Italia* in pace nuper conſtitutâ acquieſcebat: Nemine ſe turbis ingerere alienis parato; quanquam *Veneti* Hiſpanicæ metu magnitudinis anxii *Proteſtantium* partibus favebant: Auxilia tamen hominum pecuniarumve nulla ſuppeditarunt; etſi cum *Belgis fœderatis* mutuæ defenſionis inivere pactionem *Hagæ Comitis*, *Suriano* interveniente *Legato*, qua in annos xv. alteri invaſo *quinquagena florenorum* millia quotannis pollicebantur; ad quam jurejurando ſolenniter firmandam miſſi inde *Arſſenius*, hinc *Treviſanus* utriuſque partis ſtudium odiumque in Auſtriacos commune teſtati ſunt, voluntatem ſolvendi pecuniam *Venetis in longitudinem* non addiderunt: hæc anno 1619. Sequens finem fecit exoſæ dominationi Ducis *Oſſunæ* Proregis *Neapolitani*, qui *Venetis* plerumque moleſtus, *Nobilitati ipſius regni* moleſtior, cum ab amicis *ex Hiſpania* monitus eſſet, *Imperium* cujus adminiſtrati rationem reddere non poterat, *ipſi abrogatum* iri, ſupplicium defectione & uſurpatione principatus, captato favore plebis, occupare ſtatuit. Sed *Cardinalis Borgia* juſſu Regis noctu, clam, *novum* quod dicitur *Caſtellum* ingreſſus, palam fecit, *Oſſunam eſſe privatum*,

vatum, ſe regno cum imperio eſſe præpoſitum. Conatu illo, *militem donis*, *populum immunitatis ſpe movendi*, fruſtratus, lento itinere, quo ſpatium Regis iræ daret, in *Hiſpaniam* conceſſit, ubi carceri incluſus, morte brevi obitâ, ſupplicium prævenit, ipſius *Patroni ſui*, *Lermæ Ducis* in aulâ iſtâ vacillante fortunâ.

2. Sed Venetis idem annus graviorem animorum motum excitavit defectio *Vallis Tellinæ* ab imperio trium Rhetiæ populorum, quos *Griſones* vocant, *Helveticis* fœderatorum; unde licet exigui res in ſe momenti videretur, *ingens belli motus exiit & duravit*. Incolæ vallis, *Pontificii*, ægrè ferentes jugum *Rhæticum* ut *Hæreticorum*, ab exſulibus quibuſdam incitati & trecentis è *Tiroli* vicina *militibus* firmati, arreptis ſubito armis *Proteſtantium familias trecentis plures* infandâ crudelitate trucidant, res diripiunt, ſeque è *Ducatu Mediolanenſi* rebus ad bellum neceſſariis inſtruxerunt. Dux enim *Feriæ*, Mediolani Gubernator vallem iſtam, apud cujus introitum Comes *Fontanus* jam pridem fecerat caſtellum, *Ducatui Mediolanenſi* adjuncturum ſe *nemine animum magnopere advertente*, ſperabat. Extrema *Italiæ* in *Alpibus* eſt regio, fertilis quidem, ſed non ultra L. millia paſſuum in lontudinem, nec in latitudinem, ubi maxima eſt, ultra xxv millia patens: *ſed momentum ejus in mirifico ſitu conſiſtit*, medio inter *Tirolem & Mediolani Ducatum*, utramque domus *Burgundicæ* partem *Auſtriacam* & *Hiſpanicam* aptiſſime con-

jun-

jungens, *Venetos* autem omnemque Italiam ab *Helvetiis* & *Germanis*, præter *Auſtriacos* ſejungens. Quæ ratio *poſſeſſionem* ejus vallis *Hiſpanicam* ipſis nullo modo tolerabilem reddebat. Quare confeſtim excitati non modo fines ſuos muniebant, ſed & *Griſones* ipſoſque *Helvetios* pecunia ſubornatos impulerunt, ut *Clavennam* ad extremitatem vallis *Helvetiæ* proximam firmo occuparent præſidio. Quo peracto, eadem facilitate *Bormium* ad oppoſitam vallis extremitatem Hiſpanis eripuerunt & *Veneti* omnia quæ ad loci defenſionem pertinerent, diligentiſſime parabant. Sed *Helvetii* malis uſi Ducibus per vallem incuſtoditis itineribus incedentes ab *Hiſpanis* deprehenſi & fuſi, *omiſſo Bornio*, domum ſe recipiebant & ſic omni valle *Hiſpanienſes* iterum potiebantur; qui nihil præ ſe ferentes, quam *Catholicæ Religionis tutelam*, Pontificios *Helvetiorum* pagos cum Reformatis commiſerunt, auctoreſque fuerunt, ut aditus illi in vallem præſidiis ſeptos præcluderent.

3. *Rhæti*, quorum intererat, auxilium per Legatos à Venetis petierunt; hi ſoli nihil auſi; *Galliæ* Regem ſollicitabant, *Sabaudiæ* Dux idem cupiebat, non tam vallis, quæ nihil aut parum ad ipſum, quam belli causâ, magni & mobilis animi, præſentibus non contentus, majora nonniſi è motu rerum ſperans, *in qua expectatione Fortuna eum deluſit.* Hiſpani *Venetorum* contra ſe molimine cognito, legatum ſuum, privato tamen obtentu, *Venetiis* revocarunt: Ubique religionis prætextum inge-

geminantes, maxime apud *Paulum Pontificem* anno 1621 poſt quindecim annorum ſeſſionem mortuum, ejuſque ſucceſſorem *Gregorium* xv. qui Cardinalis fuerat *Alexander Ludouiſius, Bononienſis.* Aliquanto felicius auro uſi Hiſpani duas è fœderatis in Rhætiâ civitates ad rem adduxere componendam; ut ſalvo ſcilicet jure Rhætico, *Hiſpani loca* Vallis munita præſidiis ſuis cuſtodirent. Sed reliquæ civitates *Tigurino* milite, *Venetâ* pecuniâ inſtructæ *Hiſpanis* valide reſiſtebant. Mortuo interim *Philippo III. Hiſpaniæ Rege,* Gallis nondum ad arma paratis, *Madriti* inter omnes quorum intererat, inita pax eſt, quâ convenit, ut omnium arma de *Valle Tellinâ* removerentur reſque in integrum, *ut ante annum* 1617 *fuerat,* reſtitueretur; Sed cum ſecretâ, *de tranſitu per vallem libero Hiſpanis permittendo* conditione, aliiſque clauſulis novam litium materiam præbituris; hoc *die* 25 *Aprilis* 1621.

4. Rex novus *Hiſpaniæ* Feriæ quidem Duci publicè Conventionis hujus executionem imperabat; verum is *cautionem prius de libero tranſitu,* ab *Helvetiis Catholicis,* inter potentiſſimas partes interponere ſe nolentibus, exigebat, & *Leopoldus* Auſtriacus Ferdinandi Cæſaris frater, qui ſe pace Madritenſi teneri negabat, *Griſones* occupata valle Monaſterienſi, à tergo invaſit. Eodem tempore parum abfuit, quin novum inter *Hiſpanos* & *Venetos* bellum de *Steccato*, qui eſt tractus anguſtus Venetorum *Bergamenſe* teri-

ritorium jungens *Cremenſi*, undique *Mediolanenſi* agro cinctus, quem Hiſpani cum milite nunquam aliter, *quam veniâ impetratâ*, tranſire ſolebant. Hujus impetrationem *Feria* cauſatus *humanitatis* fuiſſe non *juris*, modò negligebat; Veneti tranſitum aliter inſtitutum vi prohibebant. Sed hæc quidem cauſa *ſequenti anno* compoſita & venia deinceps, ſeu juris ſive humanitatis eſſet, obtinuit. *Rhæti* verò cum prætextu pacis arma quieſcerent nec *ſibi Vallis redderetur*, irâ in deſperationem versâ, decreto apud *Coiram* facto populariter arma ceperunt *magnâque vi ſed ordine nullo*, in vallem inruperunt: Unde brevi confuſione *inopiâque omnium rerum*, nullo fructu, ut res erat, nec ſine damno domum redire coacti ſunt, *Feriæ* autem Duci prætextum dederunt illis *Clavennam* aliaque etiam extra *Tellinam* loca eripiendi. De quibus malis dum *Coiræ* deliberabant, *Leopoldus* Auſtriacus cum exercitu adfluens ad ipſam *Coiram ſibi dedendam* illos adegit. Jamque *Veneti* gravius ſibi metuebant, quando nuntiata *Mansfeldii* in *Alſatiam* irruptio *Leopoldum* partemque cohortium *Hiſpanicarum* illuc opportune avertit. Quibus vicinorum adverſitatibus tanta *Venetos* formido potentiæ & ſuſpicio fraudis Hiſpanicæ inceſſit, ut *Antonium Foſcarinum, Equitem & Senatorem apud Inquiſitores* Reipubl. accuſatum communicati cum exteris conſilii, publico ſuſpendio necaverint, innocentem, ut deinde compertum publicoque judicio *non ſine gravi notâ gra-*

viſ-

viſſimæ Reipubl. declaratum eſt, initio anni 1622.

5. De *Valle Tellina* interim nova inter Gallos & Hiſpanos conventio, quando Veneti illos ad bellum excitare non poterant, placuit, *ut loca vallis munita ſequeſtro committerentur*, qui primo deſignatus eſt *Florentinus*, dein *Lotharingiæ Dux.* Sed Hiſpani *Rhætos* ipſos malis feſſos pecuniâ inter primores diſtributâ *ad cedendum Valle Tellina* induxerunt, quod plebs ægerrime ferens præſidia *Hiſpanica* diverſis locis ſecure agentia vi ſubita oppreſſit & concidit, ſuamque ditionem hoc modo ab *Auſtriacis* liberavit, Venetis pecuniâ illis ſubvenientibus. Sed improvida plebs à quibuſdam ſuorum, ut fit, prodita, *primo inducias cum Leopoldo pepigit*, eo tempore, quo *Mansfeldio* in Belgicam digreſſo, liberum illi erat, ſuas copias domi adhibere. Quod ſtrenue fecit; Ab induciis enim re ad pacis tractatum rejecta, cum *Rhæti* illâ ſpe ſecuri ſe remitterent, *Leopoldus per Schultzium* Ducem, *Coiram* omnemque fere ditionem illorum uno impetu in poteſtatem redegit; Quo facto, convocatis Comitiis non tantum, ut *conventio Mediolanenſis* de *Valle Telina* confirmaretur, ſed etiam ut *Leopoldo Coiræ* & alibi munimenta facere, præſidia habere liceret, obtinuit. Quæ proſperitas Gallos bello civili defunctos excitavit, ut in principio anni 1623. fœdus cum *Venetis* & cum *Sabaudo* inirent ad biennium, *de reſtituenda in veterem ſta-*

tum Valle Tellina Rhætiâque, collecto in eum finem *exercitu* XL *millium*, è quibus *Galli* XVIII. MM. *Veneti* XII *Sabaudus* VIII *millia* præſtaret. Sed hujus vim fœderis *Hiſpani* arte eludendam rati, *ſequeſtrationem munimentorum in manus Pontificis* obtulerunt, quam cum Legatus Romæ Gallicus *Sillerius*, etſi jam bis hoc ludibrio abuſi erant *Hiſpani*, acceptaſſet, Pontificis cohortes in *Rhætia*, non ſine oppoſitione armata incolarum, receptæ ſunt; exceptis *Clavena*, *Riva* & *Bormio*, in quibus Hiſpani ſubſtiterunt, etſi dein duobus etiam prioribus locis ceſſerint, *Bormio Leopoldo* relicto. Sed conſenſus *Sillerii* dein ex aula Gallica improbatus, dataque eſt opera, ut Pontifex *Urbanus VIII*, qui fuerat *Gregorius Maphæus Barberinus* familiæ *Florentinæ* doctrinâ & humanitate laudatus Gregorii XV. ſucceſſor, *ſequeſtrationem* abdicaret. Quod cum is nullo modo facere vellet, Galli *Harcourtio Duce*, Venetis juncti cum exercitu in *Vallem* transgreſſi, totam dimiſſis honeſtè *Pontificiis* cohortibus, in poteſtatem redegerunt, *exceptis Bormio & Clavenna*, ſub exitum anni 1624. initioque *ſequentis*, illa quoque duo loca, reſtante *Riva* ſolâ, occuparunt.

6. Hanc cum fœderati nullius momenti creditam negligerent, *Hiſpani quatuor millibus ſuorum*, quibus *tria millia Papenheimiana* militiæ acceſſere, muniverunt, abundante ſub *Feria* militum copia, ſi res ferret, ſubmittendâ; Quibus cum Galli, quorum primo vis deferbuerat, minime

nime pares eſſent, *Sabaudo* parum hanc rem curante, totum belli onus in *Venetos* recidebat; maxime, cum hoc ipſo tempore Galli, Duce *Lediguiero*, & *Sabaudiæ* Dux ipſe cum xxx. millium exercitu *Genuenſes* invaderent, quorum *ditionem* illi inter ſe pactis *diviſerant*. Initia belli ſupra modum proſperè cedebant, occupatis *Saſſolo*, *Octavio*, *Gavioque* præcipuis *Genuenſium* verſus Sabaudiam, munimentis, cum ingenti præda & diſſipatione militum. Quod ſi *Lesdiguerius Sabaudi* ardorem pari celeritate conſecutus fuiſſet, urbs ad deditionem ipſa cogi potuiſſet. Sed *Lesdiguerio* vel ætate, vel pecuniâ *Genuenſium*, ut *Sabaudus* jactabat, retardatus, ſpatium dedit *Genuenſibus* exercitum *Hiſpanorum* adhibere in auxilium, *Gallique & Sabaudi* in locis montanis ſterilibuſque inopiâ circumventi *retro in Pedemontium* cedere coacti ſunt, non ſine *indignatione Sabaudi in Gallos* animo alto repoſita. *Papeinhemius* interim ſolus Gallos & Venetos male concordes apud *Rivam* ſuſtinebat, donec Veneti ſub Duce *Candales* & *Milandro* transalpinæ militiæ tribuno *Papenheimium* ſumma vi aggreſſi munitionibus ad Rivam & valle totâ expulerunt.

7. Eodem tempore Cardinalis *Barberinus* apud aulam *Franciæ* Legatus Pontificis pacem fruſtra reconciliare conabatur. Idcirco Pontifex iram præ ſe ferens exercitu collecto, ſpretæ auctoritatis ſuæ, *quod cuſtodia vallis ipſi à fœderatis extorta erat*, vindictam meditabatur: Quando

do ſine ipſius, ſine conſcientia *Venetorum atque Sabaudi*, inter Gallos & Hiſpanos ſubita pax emerſit concluſa Barcellonæ, ſubſcripta *Monzona*, quâ *vallis Tellina*, *in ſtatum*, *quo fuerat ante annum* 1620. *reſtituebatur*, *in ſe quidem*; *ſed cultu religionis Catholicæ duntaxat*, *& relicto Vallenſibus uſu libertatis non dependentis à Rhætis*; *niſi quod hi magiſtratus à Vallenſibus electos confirmarent ſimpliciter*, *abſque arbitrio*, *mora*, *vel ulla poteſtate*; *pro jure veteri penſionem pecuniariam acciperent*. *Munimenta Pontifici reſtituerentur*, *at ſtatim diruerentur*. *Sabaudi & Genuenſes ab armis diſcederent*: *Ni facerent*, *Rex uterque de conditionibus ſtatuerent*. Sabaudi, Venetorum nulla mentio facta; etſi in horum Concilio Gallorum Legatus in ipſo publicandæ pacis momento adfirmaverat; *nullo modo futurum*, *ut ſine conſenſu Reipubl. de pace cogitaretur*, *nedum ſtatueretur*. Re cognita, in communi omnium ſtupore, dum *Carolus Sabaudus* iram ſuis querelis & probris in Gallos (revocato Pariſiis filio, qui pridem *Ludovici Regis ſororem* habebat uxorem inde ab anno 1618.) effunderet; *Senatus Venetus* neceſſitati cedens in pace conquievit, Caroloque auctor fuit, ut idem ſaperet, *donec res & tempus aliam copiam facerent*. Nec enim quod vulgus fremeret, eſſe metuendum, ne tam inopina pax argumento eſſet, *Reges in ſubjectionem & diviſionem minorum Europæ poteſtatum*, maximè *Proteſtantium* conſenſiſſe; occultas & temporarias ſine dubio cauſas eſſe, qui-

quibusGalli ad tam *deformem* redacti eſſent pactionem. Sic igitur Italiæ motus *Vallis Tellinæ cauſa* conſopiti potius quam extincti ſunt, paratis ad renovandum data occaſione ludum, his quorum intererat, *Hiſpanos ea valle*, quam hujus pacis beneficio revera tenebant, *non potiri.*

CAP. VII.

De rebus Italicis, poſt pacem Monzonicam & de bello Mantuano.

SUperior belli tempeſtas *intra Alpes* delituerat magis quam detonuerat. Alia triſtior nubes, interiora verſus *Italiæ* ſe collegit. Mantuanæ domus Principes *Gonzagæ, quaſi pœnam luxus & famoſarum libidinum*, Orbitatem retinuerant, *Ferdinando* primum ſine maſculis heredibus, unica filia relictâ, mortuo; Cui in *Mantuam*, quæ feudi lege maſculini habetur, *Vincentius frater ſucceſſerat*, idemque ſub *finem anni* 1627. ſine liberis erat mortuus, etſi pridem in uxorem duxerat, *Elizabethem Bozzolanam*, conditione generis imparem & furtivis amoribus conciliatam. A quâ cum divortium Romæ peteret, priuſquam voti compos fieret, morbo deceſſit; Curato prius, ut *Maria* fratris ſui filia nuberet *Carolo Reteliæ Duci*, filio *Caroli Gonzagæ* Ducis Neverii, qui rectà ortus erat è *Ludovico Gonzagâ* filio *Friderici Mantuæ Marchionis*, qui primus honore *Ducis* auctus eſt. Is domi ſuæ junior in Galliâ for-

tunam ſequutus, matrimonii jure *Ducatus Neverii, Retelii & Menæ* in familiam ſuam intulerat. Alius erat ejuſdem gentis Princeps *Ferrantus Guaſtallæ* Princeps, ortus in rectâ lineâ ex *Franciſco patre prioris Friderici*; Proinde remotior in jure ſucceſſionis, quod ſatis manifeſto ad *Neverium* pertinebat. Ejus filius moriente *Vincentio*, *Mantuæ* præſens fidem à civibus & poſſeſſionem accepit: Sed diſplicebat *Hiſpanis*, ut pote *Gallus*, & Gallicæ factionis, *quam ab Italiâ remotam vellent*, futurus; etſi diverſum magnis adſeverationibus, *quibus Auſtriaci merito non fiderent*, promittebat. Guaſtallenſem igitur illi præferre; duntaxat, *Imperator ut Dominus feudi ſequeſtrationem controverſi Ducatus pendente lite, ſibi vindicabat*, habens etiam uxorem *Eleonoram Vincentii* Ducis ſororem natu minorem; major *Margarita* Duci *Lotharingiæ* nupſerat; quæ pariter ſucceſſionem, *deficientibus maribus*, ad ſe pertinere contendebant. Hæ rationes ſatis prætextus addebant Cæſari, cujus arma *in Germania florentia* magnum per Italiam terrorem ſparſerant; ubi præter *Pontificem* & *Venetos* nemo ſe Auſtriacis opponere poterat vel audebat; *Florentini* Ducatus Regimine ſub *matre* Ducis, *Auſtriaca*, adhuc Tutrice, Hiſpanis obnoxio; Pontifex autem & Veneti ſine Gallis bello ſe implicare non audebant; Quorum ſocietatem etſi inconſtantiâ *parum fidam* experti, ob potentiam tamen *ut opportunam* implorabant; quanquam *Sabaudus* Gallis ob pric-

priorem perfidiam adeo infenſus erat, ut in hoc negotio ſua conſilia ſegregaret. Gallis non deerat animus reparandi jacturam exiſtimationis, quam *pace Monzonica* commiſerant; Sed obſidione Rupellenſi belloque Anglicano diſtracti nondum vires conferre poterant.

2. Intera Hiſpani & Sabaudus, diviſo pactis inter ſe *Montisferratenſi* ditione, quæ ad *Mantuæ Duces* pertinebat, illam invaſere; Dux Sabaudiæ partem ſuam facile & celeriter occupavit, Hiſpani Duce *Corduba* ad *Caſalium* hærebant; etſi auxiliares Galli *à Duce Mantuano*, qui jam pridem ipſe præſidebat *Mantuæ*, ſuo ſumptu conſcripti, à Sabaudo tranſitu prohibiti diffluxerant. Tamen *Caſalienſes* urbem pro Duce ſuo tenuerunt *uſque ad initium anni* 1629. quo Rex ipſe *Ludovicus & Richelius Cardinalis* Rupellâ tandem potiti cum XXX *millium exercitu* in *Italiam* progreſſi *Caſalem* obſidione liberarunt Ducemque Sabaudiæ ad tranſactionem, *Suſæ*, quam pignoris loco tenuerunt, initam compulere. Sed cum pulcherrima eſſet occaſio, in Ducatu *Mediolanenſi* Hiſpanos opprimendi, quod *Dux Mantuæ Venetique* flagitabant, regreſſi tamen in Galliam ad reliquias belli civilis extinguendas, *res Italicas*, præter momentaneam *Caſalis* liberationem, *in eodem ſtatu reliquerunt*. Unde *Ferdinandus* Cæſar, finito bello *Danico*, brevi potentem exercitum per *Vallem Telinam* miſit in *Italiam*, Gallis iterum per domeſticas turbas impeditis. Regionem illi *Mantuanam*

brevi omnibus belli malis adflictam, *excepta urbe præcipuâ*, in poteſtatem redegerunt. Ipſa *Mantua* non tam Ducis quam *Venetorum* copiis defenſa fuit, *his ſolis ad libertatem Italiæ adſerendam accinctis*; Pontifice non tantum non concurrente, ſed ejus nepotibus frumentum, cujus inopiâ coacti Cæſareani abitum parabant, immani pretio illis vendentibus. Quia tamen urbi, *Venetorum* induſtriâ, bis erat ſubventum, inſtante brumâ *Cæſareani* obſidionem ſoluere coacti ſunt.

3. Initio anni ſequentis *Richelius Dux Cardin.* cum recenti exercitu *Italiam* petens, cum *Sabaudum* haberet inimicum, primo parum abfuit, quin eum cum filio caperet; Sed cum is ſe *Taurinos* recepiſſet, eoque omnes ſuas vires contraxiſſet, Richelius die XXI Martij 1630. *Pinarolum in exitu Alpium ante plana Italiæ ſitam* urbem, Italiæ portam merito dictam, occupavit in *perpetuam Galliæ poſſeſſionem*, illa compede *Pedemontium* validiſſime tenens conſtrictum; Cujus Principi fortuna dedit hoc in ſenectute præmium vaſtæ ambitionis, quâ nullam augendi ditiones ſuas opportunitatem omiſerat; addito adhuc alio vulnere, quod Rex ipſe *Ludovicus* omnem *Sabaudiam*, novo cum exercitu, *excepto Montemelino*, occupavit. Sed interim circa *Mantuam* ſoli Veneti laborabant, magis quam ipſe Dux novus, cui deerat *conſtantia* ferendi continuas difficultates & *Judicium* diſtinguendi proditores à fidelibus conſiliis & populo libenter fidens, licet affectus erga *Auſtriacos* manifeſto. Quibus rebus

acci-

accidit, ut die XVIII *Julij*, *Mantua* tutiſſimo ſitu, medio in lacu poſita *nocturnis inſidiis à Caſareanis caperetur*, omniaque deplorandæ captivitatis mala civitas antiquiſſimæ pacis opibus referta per triduum pateretur, *nullo civium Auſtriacis addictorum aut Duci fidelium diſcrimine:* Dux ipſe cum filio Principe, nuru, legatoque *Gallo* & *Veneto* dediti atque dimiſſi. Proditio tam manifeſta fuit, ut naves armatæ *Venetorum* in lacu excubantes imperium acceperint, *eâ nocte ſe non movendi*, quaſi ſubſidia in urbem Venetiis immittenda forent; Claves portarum, pulvis & globi tormentorum aliaque ablata deſiderarentur. Neque tamen auctores proditionis in Hiſtoria diſertè memorantur, primo per tumultum, dein pacis ac etiam dignitatis cauſâ occultati. Victores ſcelerum in Urbe captâ commiſſorum haud multo poſt Deo repetenti pœnas dederunt, *peſte* tum horribili per *Italiam* graſſante plerique ſublati. Quo tempore *Maria Philippi Regis Hiſpaniarum ſoror*, ſponſa *Ferdinandi* Regis *Hungariæ* cum claſſe armata Neapolim vecta, cum eâdem per Adriaticum mare in *Iſtriam* iter parabat. Quod Senatui indicatum, ab hoc ut Dominio maris *Adriacici* adverſum valide refutatum atque reſponſum eſt, *non paſſuros ſe claſſem per mare ſuum armatam tranſire*; offerre ſe Venetam huic officio claſſem; nimallent *hoſtilem* experiri, ſponſamque per *bombardarum choream* ad lectum deducere nuptialem. Quo rigore tenuerunt, ut rogarentur & *deductionis officio* magnificè defuncti ſunt.

4. *Caſalin* interim *Marchio Spinola*, Poliorcetas celeberrimus, arctâ premebat obſidione, quam juxta *Ferdinandum Menæ* Ducem, Mantuani filium juniorem defendebat magnâ cum laude *Thoraſius*. Auxilia Gallorum, *Ducibus Monmorantio*, *Laforcio & Schombergio* trium millium numero *Pinarolo* egreſſa apud *Avilianam* anguſto loco deprehenſa ſunt à *Victore Amadeo* Sabaudiæ Principe, quem peditum quinque millia & mille equites ducentem, ita ſuſtinuit *Monmorantius* cum ſexentis peditibus equitibuſque ducentis, ut Sabaudis fuſis, *Victor* ægrè ſe reciperet; neque tamen auxiliares iſti *Caſalin*, peſte aliiſque averſi incommodis pervenerunt. Eodem tempore, *Carolus Immanuel Dux Sabaudiæ undeſeptuaginta natus annos* apoplexiâ correptus vitam perpetuis turbis, quas etiam in pace ſtruebat, inquietam finivit, ſub finem *menſis Julij*; tam denuo infenſus *Hiſpanis*, quam iratus *Gallis* fuerat; mira & deſperata conſilia, maximis licet anguſtiis implicitus, agitare dicebatur, *Vallenſteinium Auſtriacis* offenſum in Italiam vocare & denuo cum Gallis Mediolanum invadere. Princeps alioqui juxta raras corporis animique dotes paribus prope vitiis præditus; ſed quæ *comitate*, *liberalitate*, *fortitudine* ſub umbrâ virtutum tegebat; Quem cives tributis licet bellorumque malis exhauſti adflictique, tamen amabant & venerabantur. Poſt ejus mortem *Victor Amadæus* filius, nullas, ut pater, cum *Richelio* perſonales inimicitiæ cauſas nutriens, inducias *uſ-*

que

que medium Octobrem pepigit, quas etiam *Spinola pro Hiſpanis* accepit, hac lege, ut *traditâ ſibi urbe Caſale Caſtelloque*, Galli arcem tenerent, quæ ab Hiſpanis tantiſper alimenta reciperet, eâ conditione, ut hæc arx illis traderetur, ſi ante finem induciarum non fuiſſet ſubventum. Non verſatus fuit in hoc negotio *Spinola* pro vetere ſua gloriâ, multis pridem à *Sabaudo* ipſiſque Hiſpanis impetitus contumeliis, quas non ferens, durantibus induciis contracto morbo, querens eripi ſibi honorem ſuum & errore mentis captus hac vitâ defunctus eſt apud novum Caſtellum Scriviæ dictum: è mercaturâ, opibus, ingenio & prudentiâ maximis hujus ſæculi Ducibus adæquatus.

5. Galli *Laſortio & Schombergio* ducibus, ſub exitum induciarum cum *viginti ſex peditum & tribus equitum millibus* per multas difficultates aderant apud *Caſalem*, Hiſpanoſque cedere tam urbe quam totâ *Montisferrati* ditione coëgerunt, eo facilius, quod nuntii celeres utriuſque partis ducibus pacis conditiones *Ratis ponæ d.* XII. *Octobris* factas adtulerant, quibus convenerat, *ut Carolus Neverius inveſtituram Ducatus Mantuani & Montisferrati à Cæſare haberet*. Princeps *Guaſtallæ deciſas haberet partes è Ducatu, unde ſex millia ſcutatorum annua perciperet. Sabaudiæ Duci è Montis ferrato cederet tantum, unde haberet octodecim millia. Hiſpani & Galli omnia capta redderent; Comprehenſi Veneti & Dux Lotharingiæ; Rhætia quoque priſtinæ libertati reſtitueretur.* Apparebat eſſe *emplaſtrum* hanc pacem, vulneribus facile refri-

reſricandis. Imperator & Galli erant partes principes in Tractatu; Reliqui, maxime *Hiſpani*, non ſine indignatione, quod comprehenſi magis quam tractantes erant, ægrè acquieſcebant; Multæque ſuper executione difficultates oriebantur, quæ tandem tranſactione *Chieraſcenſi in Pedemontio* conſopitæ ſunt, *anno ſequenti*. Quo etiam Sabaudus tam neceſſitate quam perſuaſione *Mazarinii Cardinalis*, *Nuntij Papalis*, *qui tum negotiis & Richelii conſiliis adhiberi cœpit*, Gallis in perpetuum ceſſit Pinaroli urbe cum vallibus adjectis, pro quingentis millibus coronatorum. Coactus & ad pacem Mantuanus Dux illis obnoxius etiam præſidio Gallico *Caſalin* occupari permiſit, idemque filio utroque mortuo, nurum cum diſpenſatione Pontificis in uxorem ducere cupiebat, ne alii nubendo novas pareret diſcordias: ſed repulſam tulit apud *Urbanum*. Gallos domeſticæ turbæ tumeſcentes ad pacem impulerant. De *Ferdinando* Cæſare maximè inexpectatum fuit, quod is hanc pacem reciperet: Quod ne faceret tam crudeli bello Italiam vaſtaverat, cruentâque victoriâ *Mantuam*, belli præmium, obtinuerat: Nunc omnia tam ſubito abſque neceſſitate, derelinqueret. Nam Suedicas minas tanti non facere videri volebat. Eadem planè mollities adhuc in cauſa fuit, ut *Wallenſteinium* deſtitueret, quo impelli ſe paſſus erat, *in iiſdem Comitiis*, quibus hæc ipſa pax conflata fuit: Quaſi pœniteret illum violentiæ, *quâ neceſſario ad fines antea ſibi propoſitos*, utendum erat, nec reſiſtere ſcivit unani-

mi

mi, atinermi Ordinum Imperii inſtantiæ, *Pontificiis & Proteſtantibus* æquè potentiam ejus reformidantibus. Quando igitur *Ferdinandus* non poterat eſſe perfectè malus, cedendum fuit *inſtituto Monarchiæ univerſalis*, ut factum ab Auſtriacis, locumque fecerunt aliis, qui gnari, *prævalentem potentiam nonniſi perfidiâ, crudelitate omnique armorum Sceleritate acquiri*, quos fines in Conſilii arcano ſumunt, hos quominus exequantur, nec querelis neque diris humani generis averti ſe patiuntur. Eodem anno perculſa fuit *Italia*, nominatim *Campania* Veſuvii montis incendio, non minore clade quam olim ſub *Tito Imperatore* ediderat. Urbini etiam Ducatus, mortuo *Franciſco Mariâ de Rovero* Ducum ultimo, ad Eccleſiam ejuſque ditionem rediit; non auſis amplius *Pontificibus* tanti momenti feuda in nepotes ſuos alienare, quod olim audacter inſtituebant. Poſthæc Germanica bella Suecorumque progreſſus enormes pacem quidem Italiæ, non ſecuritatem futuri conconciliabant, ſi *Guſtavus Adolphus* Auguſta Bavariâque captis, *ulterius progredi* potuiſſet. Quo reſpectu Cæſar miſſo legato, Pontificem omneſque *Italiæ Principes* ardenter auxilium quidem rogavit, ſed nihil adhuc impetravit, ceſſante brevi metu Italiæ, morte *Guſtavi Adolphi* nuntiatâ *menſe Septembri anno* 1632.

CAP.

C A P. VIII.

De rebus Hiſpaniæ.

QUanta ſit in rebus humanis *temporum vis*, Monarchia Hiſpanica *nuper & hoc intervallo* demonſtravit. Quæ ſi tempore *Caroli V.* habuiſſet occaſionem, quâ hoc intervallo potita eſt, aut ſi hoc tempore *Carolum V.* habuiſſet Regem, ad ſcopum ſibi propoſitum *Monarchiæ univerſalis*, à quo ne ſic quidem procul abfuit, fortean pervenire potuiſſet. Carolus V. habuit in Galliâ *Franciſcum I.* in Angliâ *Henricum VIII.* in Aſia *Solimannum* acerrimos armis conſilioque adverſarios. PHILIPPI III & IV. alienis ipſi conſiliis obnoxii, Angliæ Regi Jacobo ut libitum, inluſerunt, Galliæ Rectores ſui metuentes aut turbis impeditos, *Turcas* impares aut alibi occupatos; *Germaniæ Imperatores* arctiſſime fœderatos & conſilii participes plerumque etiam obnoxios habuerunt: Et tamen ne ſic quidem quod volebant adſecuti ſunt. *Philippo III.* adſcribuntur multæ virtutes, clementia, pietas, continentia. Sed deſtitutus ingenio prudentiâque Principi neceſſariâ totus erat in poteſtate amici, qui erat *Franciſcus Sandovallius* olim Arrogoniæ Cancellarius, poſtea *Lermæ Dux, & apud quem* eandem amicitiæ vim quam ipſe apud Regem haberet, tenebat *Rodericus Calderonius* Antwerpienſis, Hiſpano patre, matre Belgâ in re tenui natus, dein *Olivæ Comes* & per

& per uxorem *Agnetem Vargam* Septem Eccleſiarum *Marchio* & ſecundum à Lermæ Duce locum in aulâ tenens. Sed ambo faſtu & avaritiâ, ut eſt ſolenne talibus, potentiam corrumpebant & *invidia* magnæ fortunæ comes in *odium publicum* erupit. Tandem ſparſo & credito paſſim rumore, *Margaritam* Reginam ab illis veneno eſſe ſublatam, Lermæ Dux incolumitati ſuæ *Cardinalitiâ dignitate* proſpexerat, quâ conſecutus eſt, ut cum inimicis, quos inter *filius ejus proprius Ucedæ Dux* & Ludovicus *Aliaga*, Regis Confeſſor, ſuccubuiſſet, Aulæ tantum ipſi interdiceretur. *Calderonius* autem ſeceſſu, quem inſtituit *Valliſoletum*, defungi non potuit; opes erant nimiæ, quarum reditus annui ducenta ducatorum millia excedebant. Igitur poſt biennium *Philippo III. mortuo* comprehenſus, cum veneficii in Reginam abſolutus eſſet, cædis in *Auguſtinum Avilam & Franciſcum Ivarram* convictus & capitis damnatus *Madriti* publice guttur cultro carnificis præbuit, *anno* 1621. Qui fatalis etiam fuit *ipſi Philippo III.* annum ætatis *agenti quadrageſimum tertium*, *regni* XXII.

2. Ex *Margaritâ* quam diximus, *Ferdinandi II. Cæſaris ſorore ſex* liberos reliquit, mares *Philippum*, *Carolum*, *Ferdinandum*, Filias, *Annam*, *Mariam & Margaritam*. PHILIPPUS nominis IV. *ſedecim annorum adoleſcens*, nec ætate, nec ut res docuit, ingenio Patre major, imperii adminiſtrationem commiſit *Caſpari de Guſman*,

man, Comiti *Olivario*, qui dein & Dux à Rege creatus, novo exemplo *Comes Dux* appellari voluit: Ingenio prudentiâque tantæ molis Imperio, tot partibus & gentibus, quarum indoles & rationes erant diverſiſſimæ, diſtincto, quod res docuit, impar. Incidit ejus præſidium & favor in id tempus, quo res *Auſtriaca per Hiſpaniam & Italiam* pace, per *Germaniam* victoriis maxime florebat; ideoque venit in ſpem, fore ut *Belgæ fœderati* finitis induciis duodecennalibus, vi ad obſequium reducerentur: Quibus ſubactis, facile foret, omni Europâ dominari: Cum ratio potius fuiſſet, omnem operam dare, quo productis induciis, *Hiſpani* ab illâ parte ſecuri, *vires cum Ferdinando* ad ſubjugandam *Germaniam* conjungerent, quod ut tum res erat, longe facilius quam cum *Batavis* abſolvi poterat; Nec in *Italia* deinde mora fuiſſet, dum Galli civilibus turbis diſtracti non haberent impediendi facultatem, & *Angliæ Regem* diu vanis promiſſis *de reſtituendo* ejus adfine in *Palatinatum*, tenerent inretitum; Poſtremo etiam Tractatu matrimoniali inter *Walliæ Principem* & *Mariam* Philippi ſororem, conditionibus jam conſtitutis, & Principe in Hiſpaniam cum Buckingamio & tribus aliis comitibus profecto. Sed cum *de Palatini reſtitutione* nihil certi caveretur & à *Pontifice* difficultates prætexerentur, inter *Buckingamium* quoque & *Olivarium* ſimultas oriretur; Princeps, qui ſemel tantum *videndi puellam regiam* paucíſque verbis, *formula præſcriptâ* alloquendi copiam

piam habuerat, inde receſſit, exquiſito quidem honore exceptus & dimiſſus, ſed re ipſâ deluſus, anno 1623. Unde mox *Jacobo Rege mortuo*, cum Anglis bellum mari *miniſque majoribus quam vi* perpetratum, quod tentatis irrito ſucceſſu Gadibus, in maritimas Hiſpanicarum navium prædationes deſiit; idque juncta claſſe Belgicâ deinde repetitum. Sed inſidiæ in claſſem novi orbis auriferam malè ceſſerunt, eò quod Angli navem curſoriam, quà monerentur Claſſiarii Peruenſes, portum Corunnenſem, ut peterent; cujuſmodi plures erant miſſæ naves; cepiſſent. Ideo non dubitantes, quin apud *Corònas* claſſem deprehenderent, eò ſe converterunt ac interea Peruana Claſſis, ad quam admonitio illa non pertigerat, portum *Gaditanum* incuſtoditum ſecurè tenuit. Quæ res inter pauca fortunæ Hiſpanis mari faventis exempla numeranda eſt, cum plerumque illos hac parte adflixerit; etiam in principio anni 1627. gravi naufragio claſſis Indicæ in litore Gallico, ad promontorium *Buchenſe*; cujus dominus, *Eſpernonius* Dux, ingenti inde lucro patrimonium ſuum pene conduplicaſſe dicitur. Sed maximam cladem acceperunt *anno ſequenti*, quando *Petrus Heinius* Belgarum fœderatorum maris Præfectus, apud *Cubam* inſulam claſſem *Americanam* argento onuſtam in poteſtatem redegit, ut in *Belgicis* dicetur: Angli parum bello proficientes Hiſpanicum bello Gallicano brevi commutarunt.

S ſ 5. Sed

3. Sed nulla re magis Hiſpanicas ſpes *Olivarius*, quam permittendo Gallis, *ut Hugenotas ſubigerent*, evertit; quos omnimodo adjutos oportuit; quando ſtantibus illis, *Galli nunquam totis viribus ſe foras effundere potuiſſent*; quod alios Hiſpanicæ magnitudinis ſtudioſos minimè latebat; quando ſatis conſtat, *Marchionem Spinolam*, cum per Galliam tranſiens ad obſidionem *Rupellanam* viſitaſſet, in Hiſpaniam appulſum, quoties in Regio adeſſet conſilio, inculcaſſe, tametſi de aliis forte rebus ageretur, *At ego cenſeo Rupellæ ſubveniendum.* Sed Comes Dux Anglis rem delegans & ſtultam à religione metuens invidiam à Gallis inriſam, unicum illorum potentiæ interpellandæ præſidium neglexit: quemadmodum deinde *Hiſpani* ſymbolam ad *Wallenſteinii* dejectionem exercituumque in Germaniâ dimiſſionem, præcipuam contulerunt, *alterum quaſi brachium hoc modo ſibi præcidentes.*

4. Præcipuum in Monarchiâ ſua incommodum, Separationem partium, aliquando emendare conati ſunt, inſtituto *Unionis*, cujus hæc ratio fuiſſet. *Caſtilia cum Indiis alerent* 44 *millia militum*, *Arragoniæ regnum* XII. *Valentiæ* VI. *Catalonia* XVI. *Portugallia* XVI. *Neapolis* XII. *Sicilia* VI. *Mediolanum* VIII. *Belgica* XII. *Inſulæ* VI. *millia.* Sed ut regiones in eodem ſitu, ita quoque rerum eadem adminiſtratio manſit. Cætera ad Hiſpaniæ Monarchiam ſpectantia in reliquarum gentium, quarum illæ partem faciunt, hiſtoriâ videbimus aut habuimus; Plane

Magni

Magni cognomen, quod *Olivarius* Regi ſuo poſt aliquot priores felicis regiminis annos circumdederat, haud parum deinde refrixit. Transeamus ad Gallica fœcundioris materiæ.

CAP. IX.

De rebus Gallorum & bello religionis primo.

RES Galliæ, toto hoc intervallo, nihil ſunt quam *textura civilium turbarum* cùm religionis odio, tum Regiæ auctoritatis defectu, primo per ætatem, deinde per ingenium; cujus defectus causâ factum, ut tam in *Gallia*, quam in *Hiſpania*, nec non in *Anglia*, res per Supremos miniſtros, qui ſemper ſeditionum, agendo vel patiendo, ſunt cauſa, regerentur. In Galliâ *Luinæus* ſuper *Ancræi* cadaver trangreſſus ad regiæ poteſtatis arbitrium *Reginam matrem & Condæum principem* in cuſtodiâ tenebat. Unde Regina Ducis *Epernonii* in Aula contemptius habiti auxilio evaſit *die V. Februar.* 1619 & receptum habuit *Augoulemii*, cui præerat *Epernonius*. Rex & *Luinæus* cum exercitu illam ſequuti majores turbas pace, quam *Richelius Luzonenſis epiſcopus*, cui Regina fidem habebat, cùm *Luinæo* clam pactus, ei perſuaſit; prævenerunt, promiſſa amneſtiâ & regiæ majeſtatis reverentiâ, datâque in ſecuritatem arce *Andegavenſi cum ponte Cæſaris*. Luinæus autem cum *Principe Condæo* reconciliatus hujus præſidio adverſus Reginam ſe firmare inſtituit: Quæ odio *Luinæi* novam brevi factionem colle-

 git,

git, in quâ plerique fuere Proceres, *excepto Condæo*; gener etiam Reginæ *Princeps Pedemontii, Ducis Sabaudiæ* filius, item *Robanæus* & *Soubizius* Duces, cum viribus *Reformatorum* & triginta hominum millibus in *Aquitania* paratis. Sed Rege, id eſt, Luinæo cum ſex millibus ſubito accurrente, Regina ab epiſcopo *Luzonenſi* prodita ſubſtitit *Andegavi*, ſine viribus; ut circumventa, *Luinæi arbitratu* cogeretur ad pacem & conſequenter omnis ejus factio diſſolveretur, quod ita conſequutum eſt.

2. Pace partâ, Regis Concilium nihil antiquius habuit quam aggredi Reformatos, quorum ſubverſio ab hoc tempore primus aulicæ pacis fructus haberi coepit: Cauſa movens, *odium Religionis* & *publicæ utilitatis ſpecies*, ut corpus ingens & audax à reliquo regno ſeparatum diſſolveretur. Satis erat, ad ruinam illorum procurandam, quod *res novas, ubi vellent, movere poſſent*, & quod *abſolutæ Regum* ejuſque Miniſtrorum *poteſtati* nullus major obex poſitus videretur; neque temperaverant ſibi, quin aliquoties *turbis politicis ſe miſcerent*. Et Proceres illorum manifeſto *vires partium ad ſuas utilitates* adhibebant: Nec enim hos amplius *Religionis & pietatis, ut olim, ſtudium animabat*; ſed diviſo in partes regno, *magnum potentiæ inſtrumentum*, tam validæ conjunctæque multitudinis imperium exiſtimabatur. Ideo primores illorum aut univerſæ cauſæ, vel urbium arciumque ſingularum imperia, quibus deinde conditiones &

com-

commoda ſua conficerent, ambitioſe adfectabant. Multitudinem eorum fere ſemper in promptu erat, ad arma ciere, propter *injurias quotidianas*, quibus *Pontificii* illos, tam prviati quam Magiſtratus, inſolenter agitabant. *Porro* facilem ſibi victoriam *Regii* promittebant, tam diviſionibus & corruptionibus ipſorum univerſis, quam quod *Boulionæus & Ledigerius Duces*, privatæ utilitatis reſpectu & æmulatione *Rohanæi* conſilia ſua à partibus ſeparabant: Imprimis verò quod foris nihil auxilii ſperandum haberent, *Proteſtantibus Germanorum*, unde olim maximi exercitus adfluxerant, *oppreſſis*; Angliæ Rege propter deſidiam *domi foriſque* ſpreto, *Belgis fœderatis* Galliæ Regis auxilio indigentibus ac utentibus.

3. Prima publici belli tuba (*ut bellum Privatenſe, propter nuptias à Dominâ loci cum Vicecomite Chaylano Pontificio initas, de quo Granmontius lib. 6. prætercam*;) ab extremis regni partibus inſonuit; ut *nuper* ultima partium ſtrages, inde quoque incepta eſt. *Bearnenſis* regio *Navarræi* pars regni, ad Borbonios per nuptias devoluta, Regi proprio jure, non ut pars Galliæ, parebat; Reformatam autem religionem jam olim indutam conſtanter ſervabat: Henricus Rex obtinuerat, ut Pontificiis poſt *Edictum Nannetenſe* cultum publicum concederent. Poſt interitum *Ancræi*, à quo & à Reginâ matre nihil adverſus Reformatos tentatum fuerat, Cancellarius *Duvairius* decretum Regium *de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis in Bearnenſi principatu*, ad uſum Reformatæ

 Reli-

Religionis pridem converſis, ediderat, fide tamen datâ *Eccleſiis ſcholiſque Reformatis, ex reditibus regiis tantundem redditum iri*, quod *Rohanæus* aliique, ut res erat, admittendum ſuadebant. Sed *Laforcius* eorum gubernator Aulæ infenſus & multitudo *plus in poſſeſſione ſecuritatis eſſe reputans* refragabantur. At Rex ob priores turbas, Reginæ matris cauſâ motas, agens *Burdegalæ*, cum manu non magna in *Bearnenſem* uſque ditionem proceſſit, ubi auctoritate magis quam vi, *promiſſa privilegiorum veterum obſervantiâ*, facile quod voluit, obtinuit, & facilitate experimenti invitatus, fidem de Privilegiis datam tanti non fecit; quin *Bearnenſes* unionem Gallici regni ſubire coegerit, locíſque munitis Gubernatores ſibi fidos; etſi promiſſum erat in *Navarreni* præfecturâ nihil novatum iri, præfecit.

4. Hac re peractâ, *Favaſius* Synodi generalis apud aulam legatus cum Rupellenſibus egit, *ut nova Synodus illuc* & quidem ejus rei gratiâ convocaretur, quam Rex ſemel iterumque prohibitam poſtremo *rebellioni imputavit* belloque perſequi ſtatuit. *Rohanæus* aliique virium Regis & ſuarum pro illo tempore conſcii, in hac erant ſententiâ, morem Regi *certis conditionibus, quas impetrare potuiſſent*, eſſe gerendum; donec alia commodior ipſis occaſio daretur. Sed *Favaſius* ægrè ferens ſibi non concedi in Aulâ quod vellet, cui accedebant non diſſimiles *Laforcii & Caſtilionæi* rationes, fecerunt, ut *Synodus Rupel-*

lana

lana perſiſteret. Cum autem Regiis nota eſſet Procerum diſcordia nec generalem *omnium circulorum* motum metuerent; quia *Boullionaus* & *Lesdiguerius* illos deſtituerant, cum minoribus autem ducibus pacti erant plerique; *Luinaus* jam *Comes ſtabili* factus cum Rege profectus eſt, primo in *Pictaviam*, ubi poſt urbes ad Ligerim à *Reformatis*, ſecuritatis ex *Edicto cauſa* inſeſſas, fanum *Johannis Angelici*, cui *Soubizius* Rohanæi frater præerat, occupaverunt. Inde in *Aquitaniam* progreſſi nihil quod vel auro vel minis obſiſteret, invenerunt, excepto Cleraco bene munito, tribus hominum millibus inſtructo, quod tamen diſcordantibus præſidii ducibus, etiam brevi captum eſt. *Rohanaus* & *Soubizius* diſcordia & proditione partes fuere videntes, *etſi de cauſa belli diſſenſerant*, nihilo minus Duces ſe præbuere. *Montem Albanum*, cui *Orvalium* Comitem præpoſuerant, firmarunt, ex *Cebennis* & *inferiore Languedocia* quatuor peditum millia collegere, quorum pars tertia prope *Caſtra* urbem à duce *Angoulemio* circumventa, ſe cum pacto non militandi intra ſex menſes adverſus Regem, dedere coacti ſunt. *Mons Albanus* à Rege cœpit obſideri *Auguſto menſe* 1621. poſtquam *Laforcius* cum duobus filiis ei ſe incluſiſſent. Nihil deerat obſeſſis quàm juſtus militum numerus, quâ de re certior factus *Rohanaus*, per legatos quos *Luinaus* ex urbe ad illum ire permiſerat, ſeptingentos pedites *Beaufortio ducente*, trajectis duobus fluviis, *itinere octodecim milliarium* per a-

grum hoſtilem duoſque exercitus regios facto in urbem conjecit. Quo firmati *Laforcius & Puteanus* Conſul primarius, qui rem in urbe tenebant, vim facile ſuſtinuerunt, uſque ad XVIII *Novembris* diem, quo poſt ingentia damna multorumque cædem, quos inter *Mayenius* Dux admodum deſideratus, Rex ingenti cum dedecore & irâ obſidionem ſolvere coactus eſt.

5. Paulo poſt *Luinæus* in obſidione *Monheurii*; quod tenebat *Mirambellus* filius *Pardaliani*, qui paulo ante proditor partium à *Savignaco Neſſio* in diverſorio quodam interfectus erat; mortem obiit, urbe tamen inde brevi captâ. Poſt acerrimam contentionem de gubernandis rebus apud Regem per ſe regendi inpotem, prævaluere *Condæus*, *Retzius & Schombergius*: Dum per hyemem totam Reformati Proceres in *Languedocia*, *Cebennis*, *& Vivarezio* (in quibus robur partium, præter *Rupellam*, conſiſtebat, *Lesdiguiero in Delphinatu Regi ſtudente*, *remotioribus provinciis ſe non moventibus*) de principatu inter ſuos hoſtiliter certabant; prævaluit *Rohanæus Caſtilionæo* cum ſuis; qui proinde ſe cum Regiis *duce Monmorantio* conjunxere, contra quem *Rohanæus cum quinque peditum millibus*, *trecentis equitibus* profectus, illo inſpectante, cepit *fanum Georgii.* Lediguerius interim juſſu Regio de pace cum *Rohanæo* convenerat, ad cujus perfectionem Legati in aulam profecti res invenere verſas: Pars enim Aulæ quæ bellum volebat, eo quod Reformati *tam Rohanæo, quam*

Su-

Subizio apud Ligerim Duce, *nimis* proſpere agebant, Regem clam pacis auctoribus, *Aureliam* abduxerunt, ubi tam vi, quam pactione cum *Laforcio*, qui pro dignitate *Mareſchalli Franciæ & ducentis millibus Scutatorum* loca ſibi commiſſa tradidit, pleraque in poteſtatem redegit; etiam in *Languedocia ſuperiore*, ubi capto *Antonii fano*, omnia cedebant, niſi *Rohanæus* ex inferiore provincia illuc ſe propere recepiſſet; quâ occaſione, qui *Caſtilionæo* favebant, hunc omni ſtudio conati ſunt reſtituere in auctoritatem priſtinam. Sed diſcuſſis *Rohanæi* reditu hiſce conſiliis, per has tamen diſcordias defenſio communis laborabat. Rex in *inferiorem Languedociam* transgreſſus omnia fere capit, prodentibus certatim loca ſibi commiſſa præfectis; adeoque res ad paucas urbes redacta erat, ut *Nemauſum*, *Monſpelium*, *Cebennates aliaſque ejus viciniæ*; Inter quæ *Briteſta* locus parvus & obſcurus *poſt menſis integri obſidionem*, Vendomium Ducem abſcedere & Regi ſe ad *Monſpelium* adjungere coëgit. *Ut ſi fides adfuiſſet*, *ſuſtineri bellum potuiſſe crederetur*.

6. Rex erat ad *Monſpelium* cum *viginti peditum & tribus equitum millibus*, Urbs ad extrema redacta, Civitates omnes deditæ aut perculſæ. Primores Reformati Aulæ addicti, pretio, honoribus, æmulatione *Rohanæi*. *Lediguerius* Reformatorum ducum vetuſtiſſimus non modo reliquos oppugnabat, ſed etiam pro dignitate *Comitis ſtabuli* ipſam Religionem mutaverat. *Bou-*

lionaus Dux à Rohanæo excluſus ab Imperio *Cauſæ*, ut & alii Principes, reliquorum labores adſpiciebant. Excitaverat ſe tamen *Boulionæus* in his extremis. Certiorem fecerat *Rohanæum*, ſe non poſſe pati, ut omnis Cauſa periret; Acturum ſe cum *Mansfeldio* in Lotharingia agente, ut in auxilium veniret: Hæc etiam ſpes defecerat, ejus tranſitu in *Hollandiam*. Suadebat igitur pacem amplecti *modo generalis eſſet*; qualem adhuc Rex concedere noluerat; *ſingulis civitatibus* dare paratus. Erant tamen duæ factiones in aulâ; quarum una pacem ſuadebat, altera bellum; hujus auctor erat *Condæus*, illius *Lediguerius*, *Janinus* & alii. Ab hoc propoſito ipſorum fortuna aulica pendebat: *Si pax daretur*, *Condæus Rohanæi capitalis inimicis ab aula remotus erat*; Si bellum, *Lediguerius & reliqui togati eſſent victi*, Vicerunt hi tandem & pax eſt inita generalis, dicta *Monſpelienſis* anno 1622, his fere legibus; *Confirmatio Edicti Nannetenſis*, *cum annexis*; *Amneſtia*, *reſtitutio hominum*, *bonorum*, *honorum*; *facultas habendi Conſiſtoria*, *Colloquia & Synodos*, *non coetus politicos*, *niſi Regis cum veniâ*. *Munitiones Rupellæ & Montis Albani relictæ*, *cum parte dimidiâ munitionum*, *Nemauſi*, *Caſtrorum*, *Uſezii & Millialdi &c.* Reliqua *ſecuritatis* olim dicta, *partibus adempta non reſtituebantur.*

CAP.

CAP. X.

De rebus Gallicis & bello Religionis ſecundo.

PRincipe *Condæo* ab aulâ remoto & Cardinali *Retzio* illius amico morte ſublato, *favor* Regis & *Miniſterium* inciderat in *Puizieuſium* Regi à ſecretis, *callidum magis quam prudentem* virum, *Sillerii Cancellarii* filium, quem ſtatim dignitati ſuæ reſtitui curavit. In omnibus Conſiliis ſuis hoc tenebat, ut *Pontifici* Romano placeret, *Hiſpanis* non diſpliceret. Quibus conſentaneum fuit, demonſtrare pacem, *Reformatis* eſſe conceſſam, *ut ruina ſuæ propius admo erentur*. In pleriſque *Edicti* partibus quotidie violabantur. *Rohanæus* illis liberius reſiſtens *Monſpelii* aliquandiu ſeverè cuſtoditus eſt: Qui tamen quod *majore prudentia quam plebs Reform. vellet*, uteretur, huic ipſi ſuſpectus reddebatur. Dimiſſio præſidii à *Monſpelio*, demolitio Arcis *Ludovici* apud *Rupellam* & reſtitutio *Cameræ Caſtrenſis* juridicæ pro *Reformatis*, contra fidem datam non procedebant, *Tholoſani Parlamenti*, quod ſemper in Reformatos acerbiſſimum fuit, acriores erant *tempore pacis*, quam in *bello* fuerant, cenſuræ. Adverſus hæc aliaque nihil quam dicta, promiſſa, *remedii nihil ex Aulâ proficiſcebatur*. Poſtea *Puſieuzius* cum Patre *Sillerio* Suggeſtione *Vieuvillii*, quem illi ipſi præfectum ærario creaverant, deleti ſunt in animo Regis & amoti à muneribus ſuis, *Sillerio*

mox

mox ætate mœſtitiâque defunćto; Fratre ejus è legatione Romanâ, ubi de pace *Vallis Telinæ* male conſuluerat, revocato; Ac ita *Vieuvillius* favore miniſterioque ſummo potiebatur anno 1623. Sub illo contra Hiſpanos viſa eſt excitare ſe Gallia; pax indecora *Vallis Telinæ* improbata, fœdus cum *Belgis fœderatis* initum, *Mansfeldius* & *Chriſtianus Brunſwicenſis*, pecuniâ militibuſque inſtrućti, bellum *Valtelinenſe* & *Genuenſe* utrumque aduerſus Hiſpanos decretum. Hæc initia ſpem luculentam faciebant. Interim domus regia turbari, *Rex* averſatus *uxorem ſatis callidam rerum*, metuens fratrem ſuum *Andegavenſem* Ducem, matrem ſibi contra illos ſenſit eſſe neceſſariam, quæ regebatur ab *Armando Richelio* Epiſcopo *Luzonenſi*, jam *Cardinali*; qui pridem obrepſerat *Vieuvillio* & ab ipſo negotiis aulicis admotus fuerat: Ipſe autem levior indies in animo Regis fieri; quod palam factum ex eo, quod cum ad argentum novis bellis conquirendum, placuiſſet, ærarii præfećtos excuti, primus inter eos *Vieuvillii* ſocer *Beaumarchæſius* arreptus eſt; neque multo poſt ipſe captus & *Amboſiam* miſſus, cui vices eo modo redditæ ſunt à ſucceſſore favoris & miniſterii *Richelio*, qui à matre ad filium inſigni ſe tranſtulit induſtriâ.

2. Hic autem in eo, quod de rebus externis contra *domum Auſtriacam* inchoatum erat perſeverans, primo tamen & præcipue faciendum putavit, ut *urgeret & everteret Rupellanos*, per arcem maximè Ludovici & naves portum eorum obſiden-

dentes. Quibus rebus cum *Rohanæus* & *Soubizius* totius *Cauſæ* interitum feſtinari viderent, ita rationes inierunt. Intelligebant, ſine *Anglis & Belgis*, Proteſtantibus Germaniæ tum proſtratis, ſe Regias vires ſuſtinere non poſſe. Illos autem Galliæ Regi recenti fœdere junctos, quia bonâ cum gratiâ habere non poterant, *ingratiis* interceſſores parare ſtatuerunt; bello enim moto, credebant illos & cæteros fœderatos, *ne adverſus Auſtriacos coepta turbarentur*; efficaciſſime id acturos, ipſumque Regem ita compulſum iri ſperabant, ad pacem æquis conditionibus Reformatis indulgendam. Hoc periclitari quam certum expectare interitum potius videbatur. Ergo *Soubizius initio anni* 1625. in bellum erumpit, occupato cum v. naviculis, in *quibus erant centum nautæ & trecenti milites*, portu *Blaveto*, ubi erat ingens navis bellica *Virgo* dicta, cum aliis novem aut decem contra *Rupellam* deſtinatis. Quominus arcem portui adjectam caperet, Dux *Vendomius* Gubernator *Brittanniæ*, cum *duobus militum millibus & ducentis nobilibus* accurrens fecit; Qui tamen *Soubizium* poſt longam moram & opinionem certi interitus ubique ſparſam, è portu ingenti catenâ & fune clauſo, cum ſuis captis navibus enitentem impedire non potuit; tam immani mortis contemptu & vi deſperatâ uſi omnia perruperunt! Dum Blaveti hærebat *Soubizius*, quas *Rohanæus* in *Aquitania*, *Languedocia* & *Delphinatu* conſtituerat, inſidiæ, capto qui mandata diſtribuerat, pleræque abor-

tie,

tierunt. Quæ improſpera initia fecerunt, ut ipſi *Rupellani* quique res *Cauſæ* agebant, auctoritatem hujus belli defugerent. Sed poſt exitum *Soubizii*, cum is mari potiretur, pleræque civitates, in quibus *Reformati* prævalebant, per *Languedociam* & alibi, *Rohanæum* agnovere Ducem ejuſque ſigna ſuſtulerunt; cum quidem is nihil ad movendos populos artis & facundiæ, ne ſe fratremque ſuum, *quibus nihil quam gloria Dei & ſalus Eccleſiarum ob oculos eſſet*, dcſererent, omiſiſſet; Adeo ut plebes ubique haberet fidas, Proceres iniquos: qui poſtremo impedire non potuere, quominus & ipſa *Rupella* cum *Montalbano* & ſpecimen partium *Cebennates*, etſi difficulter, arma ſua fratribus jungerent, exceptis *Nemauſo*, *Uſezio* & *Alezio*, quæ *Rohanæum* excluſerunt.

3. Nihilo ſegnius hic *Theminæo* Mareſcallo reſiſtebat, qui cum Marchione *Luzignano* Rohanæi Legato pugnavit apud *Cruſertam* haud procul *Caſtris* oppido, quod ceſſit *Luzignano*, quo tempore uxor Rohanæi ſeorſim à Viro agens bellum animoſe cum ipſo adminiſtravit; nec egregia defuerunt exempla. *Septem milites domum aggere terreo male munitam contra THEMINÆI exercitum per biduum tenuere, Globi & pulvere defectis, noctu unus exiit, ut receptum diſpiceret. Redeunti frater vigil, hoſtem arbitratus, ſclopeto femur rupit. Ille tamen refert & monſtrat viam, qua ſe reciperent idque hortatur, etſi ipſe comes ire non poſſet. Frater auctor vulneris,*

nega-

negavit ſe victurum, qui mortis auctor eſſet fratri. Tertius eorum conſobrinus par ejuſmodi fratrum derelinquere non ſuſtinet. Ergo quatuor reliqui ſe recipiunt. Ipſi lucem & hoſtem præſtolati, conſumpto quod ſupererat pulveris, pugnando inter hoſtium cadavera liberi exſpirarunt. Ejuſmodi exempla probent, qui factum ſit, ut bellum in *Languedocia impar* abſque notabili partium prærogativa aliquandiu geſtum ſit; mari etiam cum detrimento Regiorum; etſi *Hautinius* Zeelandiæ maris Præfectus Vicarius ad Genuenſe bellum deſtinatus, mutato conſilio, ſe Regiis adverſus *Rupellam* adjunxiſſet; male enim in Batavis de hoc bello fratrum opinabantur; quando nec Belgicarum navium prædationibus *Soubiziani* abſtinere dicebantur. Regia & Zeelandica navium XL. claſſis in *Soubizium* impacta, poſt acrem conflictum, ab illo captis aut merſis *quinque navibus*, quas inter *Hautinienſis* Prætoria, cum mille quingentis hominibus, cæſa & profligata eſt. Hæc res movit Regios, ut pacem dare parati eſſent, quam *Rupellani* victoriâ freti acceptare noluere, niſi arce *Ludovici* dirutâ. Sed interim *Monmorantius* & *Thoraſius* refectâ claſſe regiâ, ſeptem Anglicanis auctâ, *Soubizii* claſſem in *foſſa Oyenſi* apud inſulam *Rhæam* diſſolute agentem invaſerunt ac inſulam, *Soubizio pulſo*, occupavere, pleriſque deſertis perditiſque navibus, quas inter maxima *Virgo* dicta, in quâ tantum erant quinque viri; Cum ad occupandam illam quatuor naves regiæ ſeſe applicuiſſent,

ſent, Navarchus *Virginis*, *Durantius*, cum arrepto fune ignito in Cameram pulveris *pyrii* deſiluiſſet, quinque naves illas perdidit hominesque DCCXXXVI. Inter illos autem quinque erant *duo nobiles, pater & filius*, quorum hic jubente patre, prius quam *Durantius* ſaltum ſuum commiſiſſet, natando ſe recepit, Pater in altum vi pulveris nitrati ſublatus & vivus in ſcapham dejectus lytroque dein ſoluto redemptus eſt.

4. Soubizio cum reliquiis ſuæ claſſis in *Angliam* ſecedente, Regii pacem *Rohanæo* cum ſuis offerebant, *Rupellanis* & *Soubizio* negabant; Ergo nihil actum, Rohanæo cunctis viribus adnitente, ne *ſeparatio Cauſæ exitioſa* committeretur, etſi non ſine magna difficultate; quibuſdam etiam fratrum diſcrepantibus in cuſtodiam à *Rohanæo* conjectis: ſic eam pacem impedivit.

5. Sed Theminius *Mazium Aſyli* in Languedocia magnâ vi oppugnabat, à qua poſt plures acerrimos conflictus, cum *San-Blancardus* ſenex nobilis in urbem novo cum præſidio penetraſſet eamque ferociſſime defenderet, Regii abſcedere coacti ſunt. Quo tempore cum & *Nemauſenſes* ac *Uſezenſes* partibus acceſſiſſent & *Alezium* Rohanæus ſectæ ſuæ auxilio occupaſſet, ut jam in *Languedociâ* inferiore *Cebenniſque* omnia teneret, totumque mox *Vivarezium* ſe illi conjunxiſſet, Rohanæi res aliquanto ſpectatiores erant. Hoc ipſo tempore, quod initio præſumpſerant, uſu venit; Legati *Angliæ*, *Belgii fœderati*, *Venetorum* & *Sabaudiæ* Ducis

Regem Socioſque religionis ad pacem enixè hortabantur, ut fœderi *Anti-Auſtriaco* Rex operam dare poſſet; ſpes etiam *Rohanæo* & *Soubizio* facta imperiorum in Italia contra Auſtriacos, quibus ſi adhibiti eſſent à Rege, ſequentes turbæ forſitan opportunè præventæ fuiſſent. Obſtitit odium inradicatum. Sed hoc factum, ut tandem pax generalis inita ſit, *iiſdem fere conditionibus, quibus prior*; niſi quod *novæ munitiones urbium reformatarum per hanc integra manebant*, & quod Rex *Angliæ* ſe per ſuos Legatos ſolenni ſcripto, ut *Sponſorem pacis obligaret*, *d.* v. *Febr.* 1626. Sed cum duabus poſtea ſeptimanis Fœderati *pace Monzonicâ* Gallum & Hiſpanum reconciliatos viderent, juxta omnium communem ſtuporem, *Angli* & *Belgæ* pœnitendi cauſam habuere, quod *Reformatis* inſidioſæ pacis auctores fuiſſent. Solus *Briſonius* nobilis *Vivarezius*, qui ſub exitum belli captis armis *Voyſinum* urbem occupaverat, auſus eſt pacem ſpernere; felici ſucceſſu, operâ *Ledigucrii* Comitisſtabuli, per quem *quadraginta millia* Scutatorum cum abolitione ampliſſimâ, pro ceſſione loci occupati, meritus eſt, longe honorificentius pro ſe pactus, quam omne corpus *Reformatorum*. Mortuus eſt paulo deinde *Ledigucrius*, ex ſimplici Nobilis conditione, per omnes militiæ gradus & omne genus Laudis ad ſummam regni dignitatem evectus. Accidit ei, quod aliis plerisque, *ut vim adſiduæ proſperitatis ferre nequeant*, reſolutus in luxum infameſque libidines, domo

ſuâ adulteriis & publico inceſtu contaminatâ; ut *Robanæus* alioqui non maledicus loquitur: Unde mirandum non eſt, *Religionis Profeſſionem* tanti ab eo non eſſe habitam, ut honori favorique Regis ante-ponendam putaverit.

C A P. XI.

De rebus Gallicis & bello Religionis tertio.

RIchelius Cardinalis in pace *Monzonenſi* tam repente ſarcienda minimè ſequutus erat affectum erga domum *Auſtriacam*, ſed utilitatis ſuæ rationem, præter facultatem pervertendi penitus *Reformatos*; ſed maximè ut *factionem* validam adverſus ſe coaleſcentem *diſcuteret*. Latebat illa ſub aliâ contentione, *de matrimonio Ducis Andegavenſis*, fratris unici Regis cum puella herede domus *Mompenſeriæ*, quod ex *Henrici IV.* deſtinatione, Regina mater & *Richelius* urgebant. Princeps *Condæus* & ejus uxor, nullis adhuc à Rege liberis procreatis, ad ſpem ſucceſſionis proximi, id impedire cupiebant, per *Ornanum Franciæ Mareſcallum*, *Andegavenſis* Gubernatorem, inſana *Condæi* uxoris amore captum, qui Andegavenſem ad recuſandum obſirmabat. Rex & Regina ab eodem matrimonio abhorrebant, *metu potentiæ fratris & fratriæ, ſi fœcundum* eveniret conjugium: In eaque parte plurimi ex aulæ primoribus eſſe gaudebant, ut *Richelio* adverſarentur; etiam *Chalaiſius* Regii cubiculi magiſter, qui cæſo in duello *Pontgibaldo*

baldo è Comitum *Luddorum* familia, Schombergii nepote, per *Andinam* factionem commiſſi veniam obtinuerat. Cum latè pateret hæc factio futurumque eſſet, ut eâ prævalente, qui in adverſâ erant, pro Gallicæ aulæ ingenio, *per omnia ſuccumberent*, data eſt opera, ut Regi inſinuaretur, factionem illam altiora meditari, Reginam & fratrem ejus conſentire in *averſione hujus matrimonii*, ut ipſi nuptiis inter ſe juncti, Regem, cui cum uxore ſuâ Reginâ non erat mutuus amor, in monaſterium relegarent. Hæc perſuaſio pro ea quâ erat imbecillitate judicii *diffidentiâque ſui* Regem omnino in oppoſitam traxit ſententiam; & cum fratrem perſiſtere videret in detrectando, ſub ſpecie luſtrandi Prætorianos, ORNANUS in cuſtodiam datus eſt. Nox erat & Rex aulæ primores cum fratre hac gratiâ convocaverat, ubi *Andegavenſis* ſibi ſoli commiſſus & diſſimulare neſcius iram ſine viribus inanem oſtentabat; rogitans & *Cardinalem*, *nunquid ſciſſet*; eoque fatente, Cancellarium quoque *Alligrium*, qui non auſus fatendo fratrem regis offendere, ita Regem & *quod pejus*, *amicum ejus* offendit, ut paucis poſt diebus, cingulo privatus aulâ pelleretur. Factio tamen *contra nuptias* durabat eique ſe jungebat *Abbas Scagliâ*, Sabaudiæ Ducis, *Richelii* ob pacem factam capitalis inimici, legatus; eoque res proceſſit, ut Regis fratrem obdurarent ad necem *Richelio* inferendam, *domi ipſius*, prætextu prandii apud illum quaſi fortuito ex venatione

capiendi. Hucuſque odii pervenerat & ipſa Regina miniſtro *Chalæſio*, impellente *Chevreuſiâ* Principe: magnus Prior *Vendomii* Ducis frater juxta Scagliam, omnium violentiſſimus habebatur.

2. Quo ſe hiſce *Richelius* explicaret, dedit operam, ut Rex fratrem nothum, Cæſarem Eſtræum *Vendomii* Ducem, *Britanniæ* Gubernatorem *Bloeſis* in cuſtodiam daret, una cum fratre; *Chalæſius* additur & capitis ſupplicio adficitur, non alio crimine, quam quod fratri Regis fugam, etſi alia jactabantur, ſuaſiſſet. Eſtræi fratres in Arcem *Vincennarum*, ubi Prior brevi mortuus, transducuntur; Britanniæ præſidio in *Theminium* tranſlato, cui Richelius, ut opportuno ad exercendam rei maritimæ præfecturam, quâ donatus erat, inhiaverat. Sed quia Rex ipſo inconſulto, præfecturam *Breſti*, portus *Britanniæ* præcipui, in *pauperem*, ait Rohanæus, *militem*, temerè petentem contulerat, iratus ſibi *Richelius*, *quod tam indiligenter Regem cuſtodiiſſet*, omnem provinciam averſatus eſt. Sed frater Regis, *Ornano ſuo*, qui in carcere deceſſit & *Chaleſio* aliiſque incentoribus, quorum antea inſtinctu unice egerat, ſublatis, auſcultare cœpit *Mompenſeriam* Virginem laudantibus, mox etiam amare illam & in oculis ferre cœpit, properatiſque nuptiis nullum momentum ſine illa vivere poterat; non ſecus ac ſi amor diu prohibitus & oppreſſus, ab his quibus ipſe dominus erat obnoxius, exitu reperto, in flammam erupiſſet; *Richelii inde in immenſum aucta potentia*, additis ei no-

ei novo exemplo *cohortibus præſidiariis*, qui adſiduo illi præſto eſſent, eumque obſervarent. Fratri Regis adſignatum Patrimonium, *Ducatus Aurelianenſis & Carnutenſis*, cum *Blœſenſi* Comitatu, magno in ſpeciem & regiis titulis proximo; Sed *in medio Galliæ & reditibus pecuniæ precipuis ex arcâ Regia:* ut ſemper eſſet in poteſtate, nec ad alium quam ad Regem reſpicere poſſet. Participes factionis proſtratæ *Sueſſionum Comes* & *Chevreuſia* Dux exilium elegerunt: ille peregrinatione per Italiam innoxiâ reditum ſibi parans, illa per omnes Europæ aulas amorum & factionum fomenta circumferens.

3. ANNA Regina Franciæ, maritum nec amans nec amata, nihilo ſecus ab aliis amabatur, & fama tulit conſtans, inter amatores ejus verum aut ſimulatum fuiſſe *Richelium* ipſum & quod certius conſtat, *Buckingamium* apud Angliæ Regem valentem, quod *Richelius* in Franciâ; Quam rem, Galli ſcriptores minus auſi ſcribere, *Nanius* Venetus haud diſſimulavit. *Richelius* occultior operam dedit, ut Rex *Buckingamio* ſatis importune aulâ ſuâ interdiceret. Qui in Angliam plenus iræ cupiduſque vindictæ ſe recipiens, illic audivit *Abbatem de Scaliâ* hoſtilem domini ſui adverſus *Richelium* animum, cui in Galliâ ſatisfacere non potuerat, trans mare portantem, ut inde bellum pararet in Galliam. Amantis ira *Buckingamii* ab hoc tibicine inflata primo ſævit in *Angliæ Reginam Ludovici Regis ſororem*, cui omnem ſuam familiam ademptam in

Galliam relegari curavit, quâ gratia cum Legatus Ludovici *Baſſompierrus Londinum* profectus tranſactionem feciſſet, miniſtri ambo illam irritam habuerunt & *Buckingamius* ſeſe legatum in aulam Gallicam, ut hoc negotium ſopiret, à Rege ſuo mitti curavit, quo ſic aliquâ amoris exercendi occaſione potiretur, ſuamque magnificentiam, qua ſuum Regem ipſum ſuperabat, in aulâ gallicâ magis oſtentaret. Sed hanc facultatem *Richelius* rivalis ei per ſuum Regem interclusit, *prohibito in Galliam ingreſſu*, quod ille magno excipiens convitio juravit, *introitum in Galliam ſe armis ſibi præſtiturum*, ſtatimque miſit ad *Sabaudum* & *Rohanæum*: Illum quidem bello paratum, hunc ut arma capere perſuaderet; *nunquam fuiſſe meliorem inſtaurandi rem Reformatam occaſionem*. Sabaudum à parte *Delphinatus* irruiturum & auxilium equeſtre ipſi in *Languedociam* miſſurum. Anglos ab altera parte mari terrâque triplici exercitu & claſſe Galliam invaſuros; quibus *ſi Reformati in meditullio regni ſe conjungerent*, adigi poſſe Regios ad æquas conditiones & Reformatos in ſtatu meliore futuros quam unquam fuiſſent. Rohanæus etſi non ignorabat, cauſam hujus belli eſſe *fatuum Buckingamii amorem*, quo exſpirante bellum ipſum elangueſceret, quia tamen nullam ſpem conſervandi *Rupellam*, niſi per *Anglos* in rebus humanis videret, *Batavis fœderi Gallico illigatis*, nihil potius vidit quam experiri occaſionem unice à ſe antea deſideratam. Quod igitur petebat

tebat *Anglus*, miſit literas, quibus de *non obſervata pace noviſſima diſtinctè querebatur*, *Anglumque* ſecundum fidem ſolenniter contractam *ſuppetias* rogabat. Hoc enim prætextu Anglus ad arma inferenda egebat, etſi dein navium quædam deprædationes & *repreſſaliæ Gallorum Anglorumque maritimæ* acceſſerant. Fœdus igitur inter *Anglum* & *Kohanæum*, *San Blancardo* armis inclyto viro internuntio, hac inter alia lege coiit, *ne pars altera ſine alterius concurſu in pacem conſentiret*. Rohanæus autem pro ſe ſtipulatus eſt ſolo, *inconſultis Eccleſiis & Civitatibus*, quas dein in conſilii ſocietatem aggregare cogitabat.

4. Initium belli factum eſt à *Buckingamio* ſub finem *Jul.* 1627. cum claſſe luculentâ alacrique deſcenſu in *Rheam* inſulam, ubi fuſis Gallis ſi *Buckingamius* perculſis inſtitiſſet, arcem *Martini* minime ſatis inſtructam facile cepiſſet: Morâ datâ, *Thoraſius* arcem commeatu & hominibus impletam facilè contra *Buckingamium* belli imperitum nec alieni capacem conſilii defendit; Rege *Ludovico* nihil omittente, quod ad ſuccurrendum requireretur. At *Buckingamius* tot tantoſque in omni hac obſidione commiſit errores, ut neque Reformati in Gallis, nec ipſi Angli innocentem crediderint, quin neque de colluſione ejus cum *Regiis* dubitarint; maxime, poſtquam *medio Novembri* cum omnibus copiis turpiter diſcedens & pollicitus ſe brevi cum majoribus copiis reverſurum, non modo *Rupellienſibus* frumentum ſuæ claſſis ſuperfluum reddere noluiſſet, quod

antea ab illis mutuo accepiſſet, verum & in *Anglia* naves à mercatoribus ad ſubuehendum *Rupellenſibus* frumentum paratas exonerari & omnia diſtrahi juſſiſſet. Qua de re cum *Soubizius* & mercatores Rupellani apud Regem *à Buckingamio* occupatum, eo præſente, conquererentur & demonſtrarent, ſi hoſtibus ſpatium obſtruendi portum daretur, *actum fore de Rupella*, cui nihil adhuc quam frumentum deeſſet; Rex novum illis auxilium ſanctè promiſit validiſſimum & promptum, ſub fide regiâ periculoque ſuæ Coronæ. Et Buckingamius, *Habetis, inquit, amici dictum Regis*, quaſi diceret, *jam bene vobis proſpectum eſt.* Sequuta eſt ſecunda expeditio, *menſe Majo ſequentis anni, cum claſſe* LXX *navium*, re infectâ, tametſi aderant Galli, qui rem perfici poſſe probarent offerrentque, *ſi modo paucæ naves*, quarum pretium ſolverent, *ſine hominibus, ſibi darentur, ſe perrupturos*; allegantibus contrà ducibus, in literis mandati ſui non fuiſſe ſcriptum, *ut prælii fortunam ſubirent*, niſi paucis interlinearibus verbis, *quæ tamen à Regis erant autographo*. Porrò adſiduis *Rupellenſium* ipſorumque *Anglorum* obteſtationibus, tertia claſſis parata eſt, quæ diu à *Buckingamio* impedita, venit in conſpectum *Rupellæ die* 24 *Septembris* 1628. cum jam *Buckingamius* eſſet interfectus. Neque tum tamen ad liberationem *Rupellæ* factum quod fieri poſſet; Quippe cum perrumpi debuiſſent opera portum obſtruentia, *quod adhuc facultatem habere judicabatur*, Angli commiſſionibus aliquot tormenta-

riis

riis è longinquo defuncti ſunt, donec *urbe miſerrima fame ad deditionem compulſâ*, cum dedecore infamiâque Regis & gentis in Patriam redierunt, *portantes ſecum in domum Regiam diras Gallorum Proteſtantium, ſancitas odio ac contemptu populorum magnæ Britanniæ.*

5. Primi deſcenſus Anglicani fama ſuſtulit animos *Reformatorum*, qui prius ad bellum haudquaquam animati, heroica Rohanæi facundia precibuſque, ne fratres *Cauſæ tam opportuno tempore* deeſſent, vix ita commoveri potuerunt: Neque tamen ita communis omnium in Gallia motus Reformatorum obtineri potuit, In ſolis *Languedociæ confiniis erant vires partium.* Et tamen ibi *Caſtrenſes* aliæque prioribus bellis exercitæ civitates *Rohanæi* conatibus diu abſtinuerunt. Initia quoque illi parum proſpera ſe dedere, quando ex omnibus locis, quæ juſſerat occupari *Rohanæus*, ſola capta eſt *Coronna*, mox iterum prodita Regiis. Nam fides & conſtantia pro partibus, *quæ veteres æquabiliter animaverat*, jam pridem religione deſtituta, in ambitionem privatique ſtudia commodi ac æmulationem pravam converſæ fuerant. Quibus factum, ut *Richelius* in ſpem certam venerit, *Rupellam* & omne partium robur opprimendi, quod ſi univerſalis fuiſſet Eccleſiarum conſpiratio, nullo modo tentare in animum induxiſſet. Haudquaquam ſe tamen deſeruit ipſe *Rohanæus*, exiguo ſed alacri fidoque è devotis hominibus exercitu collecto, *peditum quatuor millium equitum ducentorum*, cum quibus

è *Languedocia inferiore* progreſſus in *ſuperiorem* diverſas civitates, in quibus plebesipſi, Proceres Regiis ſtudebant, ſuis partibus adjunxit & obvium *Monmorantii* exercitum ad iter in *Foiſſenſem regionem* ſibi præcludendum, ipſe iter faciens ſtrenuè profligavit; quo tempore legatus ejus *Pererius* ad *Foiſſæos* præmiſſus à Senatu Tholoſano captus & capite punitus, *Rohanæi* effigies quatuor equis in diverſa actis diſcerpta eſt, initio anni 1628. Sed is interim *Laverdunum* & *Pamiezium* ex inſidiis occupavit totumque *Foiſſenſem* agrum, quà Reformati valebant, ſibi adjunxit. Inde reverſus in *Languedociam inferiorem*, ut Principi *Condæo* illuc properanti ſe opponeret, occupaturus etiam per inſidias *Monſpelium*, à Barone *Melæo*, qui ductâ uxore Reformatâ fidem tradendæ urbis fecerat, deceptus & cum clade ſed majori dolore rejectus eſt, dum in ſuperiori Provincia *Condæus Pamiezum* magnam ſed infrequentem & invalidam urbem vi capit omneſque trucidat, quos inter *Beaufortius Dux* egregius *Tholoſæ* capite luit, quem ulti ſunt Reformati cæde *Momperiani*, hominis adſpectu nec minus animo in Reformatos immani, qui tractum in inſidias, *magnâ cum voluptate*, veniam licet precantem confecerunt. Sed *Condæus Realmontium* Pontificiis infeſtam urbem, *corrupto Præfecto Maugiſio*, diſtracto alibi *Rohanæo*, poſt octidui obſidionem honeſtis conditionibus ad deditionem compulit; quibus miles victor ſpretis, urbem cædibus intendioque vaſtavit, quod tam

indi-

indigne tulere *Caſtrenſes* & *Montalbani*, ut quâ adhuc abſtinuerant ſe pro *Cauſa* declaraverint.

6. Interim Rohanæus *Vivarezij* regionem, flagitantibus ita populis poſt mortem *Briſonii* partibus infidi fluctuantem adſeruerat; *Mirveſius* quoque in *Cebennarium* finibus adſerendis per tres ſeptimanas occupatus fuerat. Tum demum Rohanæus ſe adverſus *Condæum* vertens *Africani fanum*, *quod inferiorem & ſuperiorem Languedociam conjungebat*, ab illo obſeſſum, immiſſis in tempore copiis, liberavit. Quâ re feliciter patratâ, milites Rohanæi fere omnes voluntarii & agreſtes, ad meſſem ſuam reverſi, ademerunt illi facultatem utendi tam pulchro *victoriæ inſtar* eventu, ſed utrimque vaſtandis hoſtium agris injuriiſque mutuo inſerendis propulſandiſque operam dederunt.

7. Hoc tempore Legatus Angliæ Regis fœdus cum *Rohanæo* per *Blacquierum* legatum, de pace nonniſi pariter faciendâ Sanctè renovavit: Tametſi non diu poſtea ſequuta eſt *Rupellæ* deditio, non vi armorum ſed fame, portu operibus ſane admirandis, induſtriâ maximè *Richelii Cardinalis* obſtructo, *verſo in cladem Anglorum auxilio*, *Belgis fœderatis aperte Regi auxilium navale* ferentibus. Ita enim perſuaſum erat *Auranſienſi* Proceribuſque Belgis, *Reformatos Gallos* in morâ eſſe, quominus *Ludovicus* Rex *Auſtriacæ potentiæ* tunc omnibus & *maxime Belgis* terribili ſeſe opponeret; *nullâ adhuc hominum ſuſpicione*, *futurum aliquando*, *ut hæc ipſa Reforma-*

to-

torum clades Regios Gallos in omnis Europæ Proteſtantes armaret; *Rupellâ* captâ exutoque *Rohanæo*, Religionem nihil ominus ſalvam & Galliæ vires fore pro fœderatis exiſtimabant. Ne Hiſpani quidem præſenti neceſſitate, quâ videbant, *Ludovicum* Regem nihil morari, quominus ipſos omnibus regni ſui viribus invaderet, quam *bellum Huguenoticum*, ad alendum illud, *auro duntaxat*, excitati ſunt. Miſêre quidem ad *Rohanæum* & pactionem de ſubſidiis ei mittendis fecere, cum *Rupella* jam periiſſet; & tamen ne ſic quidem promiſſa executi ſunt: *Fatali tum gentis deſidiâ, qua de magnitudine priſtina delabentes Gallis multò alacrioribus locum paulatim faciebant.*

8. Sed *Rupellenſium* calamitas & conſtantia, ac inter eos *Guitonis* Præfecti, matriſque & ſororis *Rohanæi* Ducis ampliorem referendi locum, quam eſt hæc tabula, requirit. *Guito* invitus ad præfecturam initio obſidionis evectus erat; Compulſus ad recipiendum munus, *gladium ſublatum fixit in palo, addens, ubi primum ipſe de urbe tradenda loqueretur, cuilibet jus fore ipſum occidendi ſeque idem jus in cæteros ſtipulari.* Adſenſum eſt ab omnibus. At cum ultra annum obſidionem, *tres menſes ſine pane*, pellibus & ſordibus vitam toleraſſent, in fine Octobris 1628 *perſeverante Guitone* matroniſque Rohanæis, plebs in conſpectu Anglicanæ Claſſis deditionem fecit, abſque *Guitone*, qui nunquam deinde viſus abiit: Rohanæi mater & ſoror deditione comprehendi nolentes habitæ ſunt in cuſtodia, ac inde memorabilis matrona ſcripſit filio,

ſe

ſe nonniſi pro mortua haberet, nec quicquam ſua cauſa, pro *Cauſa* remitteret. Rex urbem victor ingreſſus eſt Kalendis Novemb. 1628, per ruinas valli, quod totum complanatum, *urbs ad pagi formam* redacta eſt; monumentum triumphale Filii, ſicut aliquando præſidium & deliciæ Patris ejus *Henrici Magni* fuerat.

9. In Languedociâ interim *Rohanæus* à Sabaudo nihilo plus quam ab Anglis & Hiſpanis conſequutus auxilii, *Condæum* & *Monmorantium* arte & celeritate magis quam vi ſuſtinebat, *Amargis* inter alia loca urbem haud procul *Nemauſo* opportunam à partibus occupatis. At *Monmorantius* cinxit obſidione *Galargas*, ubi cohors *Cebennatium* in præſidio, fortes Viri locum imbecillem diutius tenuerant, quam lege belli par erat. Acceſſit *Rohanæus* ut illos eriperet certamque rationem demonſtrabat, quam cum exequi neglexiſſent, hac lege ſe dediderunt, *ut ſi curarent Æmargas* à Rohanæo tradi, *vitâ rebuſque ſalvis*, exirent, alioquin *arbitrio victoris* futuri; mox Legati ab illis hanc conditionem *Rohanæo* detulere, qui, adhibitis in conſilium populis *Cebennatium*, decreuit, *non reddere Æmargas*, Regiorum captivos eodem modo habendos, quo *Cebennates* haberentur. Monmorantius igitur & Condæus *ſexaginta* præcipuos ſuſpendere, Rohanæus ſexaginta de regiis eodem modo tractat totidemque ſervat, quot *Monmorantius* ſervari juſſerat eoſque permutat. Ita *Rohanæus* aliquandiu parem ſe hoſtibus præbet, dum Rex *bello*

Man-

Mantuano diſtractus, exercitum ſuum ibi tenet occupatum. Sed hoc celerius quam amici aut inimici crediderant, confecto, *Rohanæus* omnem Regis potentiam ſibi imminentem prævidens, dimiſſis in *Hiſpaniam*, *Angliam*, *Sabaudiam* hominibus, ultimas implorat ſuppetias. Undique bona verba, & Anglus etiamnum adfirmabat, *ſe nullo modo pacem, niſi pariter cum Reformatis* eſſe facturum. Hoc ideo, ut ipſe meliores obtineret conditiones, quas incontinenti à reditu *Ludovici Regis ex Italiâ*, pace factâ, ſine ulla mentione *Reformatorum*, accepit. Ex *Hiſpaniâ* & *Sabaudiâ* nihil unquam, niſi dicta prodierunt. Rex igitur è *Delphinatu Cebennos* & *Vivarezium* ingreſſus *Privatium* primo, defenſum à *Sant-Andreà Montbrunio*, viro ſtrenuo, ſed male ab oppidanis adjuto, vi capit. Inde reliquis urbibus nullâ vi expectatâ ſe dedentibus, *Alezium* quoque poſt aliquot dierum languidam defenſionem deditur, militibus *bis mille quingentis* ſe contra Regem non militaturos, pollicitis. Hæc ruina per omne reliquum corpus ſe propagabat. Nec ulla ratio illam ſuſtinendi ſupererat. Rex omnibus *pacem*, at ſingulis particularem offerebat; *Univerſitati Reformatorum negabat*. Rohanæus ad *Richelium* miſſo legato denuntiavit; *ſibi & omnibus qui ſupererant* eſſe decretum, *non accipere pacem niſi generalem*, aut extrema paſſuros; cogitaret quid à deſperata multitudine proficiſci poſſet.

10. Non erat conſilium *Regio Senatui* cum exteris Proteſtantibus, maxime Belgis, arcte conjuncto

cto & arctiorem præparanti conjunctionem *Reformatos eo tempore penitus exſcindere vel cultu religionis prohibere*, ſed viribus exuere, ne turbas movere conſiliiſque regiis intercedere poſſent. *Ultimum excidium, quod erat illis deſtinatum, in idonea tempora differendum* judicabant. Ita præ ſe ferebant apud *Proteſtantes*, ſe nihil aliud quam nocendi facultatem Reformatis eripere velle; planeque eorum ſociis Proteſtantibus erat perſuaſum, nihil expectandum eſſe à Gallis in rem communem, *niſi inteſtino bello defunctis*. Cum igitur ab illorum conſilio non eſſet alienum, quod *Rohanaus* petebat, modo nulla Reformatis munita loca manerent; *Richelius* petenti dedit *quatriduum*, ut Conventum generalem *Anduzium* convocaret, Unde miſſi *Alezium*, ubi Rex agebat, legati, in has fere leges convenerunt, 27 *Junij*. 1629. *Ammeſtia*, *Confirmatio Edicti Nannetenſis. Reſtitutio templorum, coemeteriorum, bonorum, ordinis judiciorum & regiminis in Civitatibus & agris, qui ante bellum fuerant*; *Demolitio omnium ſine exceptione munitionum*. Hæ conditiones à *Nemauſenſibus* & *Montalbanis*, qui munitiones demoliri nolebant, primo non fuerunt admiſſæ; Sed exercitu admoto *Nemauſenſes* ab ipſo Rege paci ſubſcribere compulſi ſunt, ibique in *Edictum* verſæ conditiones Pacis, quod dein *Edictum Nemauſenſe* vocatum eſt, ſuccenturiatum *Edicto Nannetenſi* cumque eo ſimul à *Ludovico* XIV. nuper abolitum. Montalbanenſibus dein Cardinali ad eandem demoliendi neceſſitatem

ada-

adactis, *Reformati deinceps ſtetere nudi, cum templis ſuis & Edictis, quorum obſervatio fuit in libidine victoris odioque partis adverſæ.*

C A P. XII.

De rebus & turbis Gallorum poſt ſubactos Reformatos.

Expedita bellis civilibus *Gallia* continuo adverſus *Auſtriacos*, quorum potentiæ poſt *obitum Henrici IV.* Regina Ludovici mater & ſequuti Regis miniſtri tantum non ſubſervierant, ſe commovere cœpit. Jam poſt *Rupellæ* deditionem, ſub hyemem anni 1628. *Richelio* auctore utrâque Regina reclamante, Rex Italicam expeditionem ſuſceperat, quo tempore mater Regis ſumma cum poteſtate, *Regentis nomine*, Galliæ præpoſita eſt, Richelio id agente, ut penes ſe Regem teneret; Gnarus abſentiam à Rege ſuam æmulorum calumniis facile ſuccubituram. Sed exitus belli victoriâ apud *Suſam* contra *Sabaudos* tranſitum impedire conatos & *Hiſpanis à Caſalienſi* obſidione depulſis, etiam hac parte *Richelium* ſtabilivit. Sequuta pax cum Anglis, Venetorum legato conciliante, ſtrageſque ſuprema *Huguenotarum* ejuſdem ſtatum in Aula magis magiſque confirmavit. Maxime, poſtquam Richelius ipſe, ducto in Italiam exercitu, ſolus *Sabaudiæ Ducem* ultus *Pinarolium* occupavit, cæteraque in Italicis commemorata feliciter adminiſtravit; ac ita perpetuis domi foriſque ſucceſ-

ſibus

ſibus gloriam Regis propriamque, nec minus auctoritatem potentiamque ſuam, *ringentibus inimicis*, auxit & firmavit.

2. Quo pacto à *Reginâ matre* primum ſit productus Regique commendatus antea demonſtratum eſt. Quandiu Reginæ voluntatibus accommodare ſe, vel potius *illius voluntates ſuis conſiliis moderari* potuit, aulæ concordia manſit. Progreſſu temporis & rerum ſucceſſibus animoſior factus, ad *Reginam minus reſpicere* omniaque ſuo arbitratu conſulere & exequi cœpit. Quod cum Regina ab *homine ſuæ creationis* nullo modo ferre poſſet, incitata quoque ab æmulis *Richelii*, quorum facile Principes *Marillacus* uterque, Cuſtos ille ſigilli, hic Franciæ *Mareſchallus*, erant, cœpit aperte à Rege contendere, uti *Richelium* ab ſe conſiliiſque ſuis amoveret: Quod cum Rex ad breve feciſſet, eodem tempore Marillacos in cuſtodiam dedit, Richelio confeſtim longe quam pridem potentiore demonſtrato. Mirum autem in hac re fuit, quod ſatis conſtat, *Regem non amaſſe Richelium* libenterque ejus obtrectatoribus auſcultaſſe. Tamen is ingenii Regis eximie gnarus, ita ejus timorem ſtudiumque ſuum erga ipſius ſalutem & gloriam illi inſinuare poterat, *ut ſe abſque ejus conſiliis ſalvum eſſe non poſſe crederet*: Quæ res inimicos Cardinalis identidem animavit atque decepit. Regis orbitas, Fratris ejus *Gaſtonis Aurelianenſis* pervicacia; Matris imperioſa, aliquando *minax* agendi ratio, cauſam illi dederunt Regi perſuadendi, *hoc agere matrem & fra-*

fratrem, ut *ipſe vel regno vel ſaltem vi ac poteſtate everteretur*. Certus igitur Rex utendi *Richelio*, qui tamen bonâ cum Reginæ pace locum ſuum tenere cuperet, hic quovis eam modo placare, digreſſamque ab Aula cum filio *Gaſtone* precibus & blanditiis reducere conatus eſt. Omnibus fruſtra adhibitis, Reginâque palam declarante, ſe, *niſi remoto ab aula Richelio*, non reverſuram, Rex illam circumveniri à Duce *Eſtræo* laxâque cuſtodiâ apud urbem *Compegnium* detineri juſſit; qûo tempore *Gaſto* frater ejus & hæres præſumptus ſe recepit in *Lotharingiam*, de quibus rebus Edictum à Rege publicatum, cum *Senatus Pariſienſis ex lege regni Actis ſuis inſcrere juberetur*, ille, ſcilicet, invidis & inimicis Richelii plenus deliberandum cenſuit. Quâ de re vocatus in *Luparam* & nomine Regis objurgatus, quod cauſam merè politicam ſui crederet eſſe arbitrii, tamen ne ſic quidem adhuc ad parendum adduci potuit.

3. Matrem ſuam Rex in arce *Molinenſi*, Ducatus *Borbonij*, medio regno, ne foris turbas dare poſſet, collocare cupiebat, ut tamen Invitam, ſicut olim poſt *Ancræi* mortem factum, eò rapiendam non putaret; & *Richelius* illam foris agere malebat, ne *domi aliquando cum Rege filio reconciliata* ſibi noceret. In Borbonenſem agrum hæc nullo modo concedere voluit, imaginata, in hoc eſſe Filium & Cardinalem, ut inde ſe *Lugdunum & prono Rhodano Maſſiliam ac porro in triremes conjectam aveherent Florentiam* ad locum natalem eundemque ſepulchrum ſuum. Sed *Cardina-*

dinalis non interarat, quâ via regno excederet, dum modo à filio abeſſet. Ideo factum eſt, ipſo, quod creditum, conſcio, ut *Vardeſius* Gubernator *Capellæ*, ſe urbemque ſuam Reginæ offerret; quo proinde, remotis paulo ante à *Compiegnio* cohortibus præſidiariis, prætextu majoris libertatis, ſe contulit. Sed paucis ab urbe milliaribus, adfuit à *Vardeſio* nuntius, *coactum ſe videlicet, Patri à Rege miſſo urbis imperium cedere*, nec ipſi amplius ſervire poſſe; qua fraude perceptâ, nullum tamen alium vidit exitum, quam ut ſe *Avenas* urbem *Hiſpanienſem*, ac inde *Bruxellam* conferret, ubi honorifice accepta Regi filio *neceſſitatis ſuæ rationem* prolixe quidem ſignificavit, at minime approbavit eumve placatiorem ſibi reddidit.

4. Ad hoc tempus & res Gallicas pertinet innovatio quæ facta eſt in *Principatu Arauſionenſi*, vetuſtate Principumque ſuorum celebritate potius quam opibus potentiâque nobili. Ambitu exiguo, Delphinatu undique clauſus in *Naſſavicam* domum morte *Philiberti Cabellonicæ* gentis ultimi, qui Dux Cæſarei exercitus apud *Florentiam periit anno* 1530, pervenit, herede Philiberti *Renato* Naſſovio, qui & *Cabellonius* eſt dictus, *Henrici Naſſovii* ex *Claudiâ Cabelloniâ* Philiberti *ſorore* filiâ nepos. *Renato* ſine liberis mortuo in oppugnatione *Deſiderii* fani ſucceſſit è teſtamento *Welhelmus Naſſavius* conſobrinus ejus Belgicæ libertatis adſertor. Ab illo ad *Philippum & Mauritium* filios, quorum hic arcem in monte ſitam

operibus ita munivit, ut *inſuperabilis* crederetur. Quos ſumptus frater ejus *Henricus* parum probaverat, cum, quod *Gubernatores*, dominis tam procul amotis, cogi non poſſent ad obſequium, tum quod Galliæ Regibus ſuſpectum eſſe oporteret, *urbem arcemque validam in mediis ſuis ditionibus ſitam* eſſe in manibus exterorum. Hæc ratio validior etſi occultior, in tempore, ſed prior incontinenti ſe prodidit, in *Valkenburgio Gubernatore*; qui ſuo potius arbitratu quam Principis imperio res adminiſtrabat; creditus etiam ingenti mercede venditaſſe Regi, *neutralitatem*, ne ſe *Rohanæo* conjungeret, nec admiſerat à Principe miſſos, à quibus auctoritati ſuæ quicquam metueret; & jam præ ſe ferebat, *aliter non cedere*, niſi *quod ſatis eſſet alibi honoris* pecuniæque percepiſſet. Sed cum Princeps de his cum eo convenire non poſſet, aut nollet, miſſus eſt *Hagâ Joh. Knuttius* induſtriæ Vir ſingularis, qui diu truſtra cum Valkenburgio de conditionibus arcis tradendæ conatus paciſci, conductis tandem militibus, illum ex arce digreſſum in ædes *Lapijani*, qui ſcripſit hiſtoriam *Arauſionenſem*, cum dedere ſe nollet, oppugnari & interfici juſſit *menſe Junio* 1630.

5. Sed motus Gallici, quos diximus, *anno ſequenti* evenerunt 1631. Reginâ Bruxellis, *Gaſtone filio* in Lotharingiâ agente; Cujus Dux *Carolus* qui cum *Anglis* jam pridem colluſerat hoſtemque ſe *Richelii* conſtituerat, ideoque deſperans hac parte gratiam, clientelæ ſe dede-

rat

rat *Auſtriacæ*, ab ejus magnitudine quærens incrementa, paſſus ut Imperator in Metenſium confiniis *Moyen-Vicum* communiret, quod dein ipſi traditum, ut contra Gallos eſſet præmunimentum. *Gaſto* dum erat in Lotharingia, viduatus primo puerperio *Mompenſeria* ſuâ, captus amore *Margaritæ* Ducis ſororis, corporis & animi dotibus egregiæ illam in uxorem duxit. Quod non minus quam fugam ægre ferens *Ludovicus*, Moyenvicum, miſſo cum exercitu *Laforzio*, ſubito obſideri redigique juſſit in poteſtatem, Auſtriacis per Suecos diſtractis & Duce ad fœdus cum Rege ineundum coacto, conditionibus ut victo preſcriptis *Renuntiaret amicitiis Galliæ adverſis, pelleret ditionibus ſuis rebelles nec amplius reciperet; quatuor peditum & equitum duo millia copiis Gallorum adjungeret, denique Marſalium pignori daret in ſecuritatem fidei datæ*, quod ita convenit ultimo *die anni* 1631. Neque multo poſtea Gallus *Trevirorum* civitatem tutiſſimamque apud Rheni & Moſellæ confluentes arcem *Erenbretſteinium* in poteſtatem ſuam redegerat, traditas ſibi à *Philippo Chriſtophoro Electore Trevirenſi*, qui mirifico conſilio, metu tam Suecorum quam Auſtriacorum, Gallicæ non tam clientelæ quam ſubjectioni ſe ſuaque tradenda putavit.

6. His omnibus per *Cardinalem* adminiſtratis, Rex illum Ducem & *Parem* Franciæ creatum magis extulit ad vim ſuam ſtabiliendam, & inimicos ulciſcendos; quâ in re ſemper haud

minorem *quam in amicis honorandis* fructum potentiæ ſuæ reputavit: Nec contentus ab aulâ honoribuſque illos removere, quos oderat ac metuebat, *necem illis regiâ vi procurabat*, quos inter fuit *Marillacus* Franciæ *Mareſchallus quem* vocant, *ſuprà* memoratus, ad mortem ob ejuſmodi crimina damnatus, *quorum nullus Dux belli, ut hodie arma tractantur, expers aut innocens reperitur*. Hæc multis Proceribus intoleranda videbantur, interque eos Duci *Monmorantio*, qui pro dignitate meritiſque ſuis minus ſe cultum à *Cardinali* honoratumque reputans cum *Gaſtone Hiſpaniſque* ita convenerat, *ut ipſe in Languedociâ, cui praerat*, acceptis ab Hiſpaniâ auxiliis, & *Gaſto è Flandriâ* bellum moveret. Sed quominus ab hac parte res effectum habuerit, curatum eſt à Gallis, admoto Belgicis finibus exercitu, quem in *Treviris* habebant & excitato *Arauſionum* Principe cum fœderato exercitu, ut totis viribus in *Brabantiam* incumberet, ubi *Trajectum ad Moſam* hoc anno, inſpectante Imperiali & Hiſpano exercitu captum. Sed & in *Lotharingiâ* Galli Ducem auxiliis deſtitutum, occupato *Ponte-Mouſonis*, *Barleducio & Michaelis fano*, obſeſſoque *Nancyeo* compulerunt ad novam pactionem, his legibus, *ut in perpetuum Galliæ cederet Clermontii Comitatum, cum Aſtena & Jamezio locis munitis, in quadriennium.*

7. Gaſto hiſce cauſis è *Belgio & Lotharingia* pulſus, cum equitatu ſuo in *Languedocium*

ciam ſe proripuit, ubi à *Monmorantio* receptus & tanquam *Legatus Galliæ Generalis* contra præſens regimen, ſine ſuffragio, agnitus & honoratus eſt, cum ſpe excitandi motum majorem per omne regnum: Etſi adventus ejus ad *Monmorantium* erat immaturus, auxiliis *Hiſpanorum* nondum appulſis nec provincialibus copiis adhuc comparatis: Cui malo acceſſit diſcordia *Ducum Monmorantii*, *Elbeuvii*, & *Paylaurentii* Gaſtonis amici rectoris, de ſumma imperii, *cujus ipſe Gaſto erat incapax*, ineptus etiam ad Duces auctoritate ſuâ conciliandos; Unde ſeparata conſilia copiæque. Rex, autem oppreſſo *Lotharingio*, relictoque *Condæo* & *Sueſſionum Comite* qui regii ſanguinis Principes & culti à *Richelio* non illibenter opponebant ſe Regis fratri, quaſi quo pereunte, *propius ſucceſſioni admoverentur*, una *cum ſuo Cardinali* in Languedociam properabat. Sed ibi interim fortuna tranſegit. *Schombergius* cum exercitus Regii parte, *Gaſtoni* & *Monmorantio* occurrebat apud *Caſtelnodorium*, viribus quidem inferior, ſed arctitudo loci multitudinem non diſtinguebat. Conflictu acerrimo ſtatim à *Gaſtonis* partibus cecidere Comes *Moretus*, frater ejus naturalis, Comes *Roeuſius* & *Fueilladæus* aliique notabiles & è vulgo plurimi, cæteris fuga diſſipatis, quos inter ipſe *Gaſto*; *Monmorantius*, fortiter licet dimicans in hoſtium poteſtatem vivus pervenit. Hac clade perculſis omnibus, nemine Regi reſiſtente, *Gaſto conditiones*, quas ei Rex dare voluit, *pro ſe honeſtas*,

pro ſociis nullas impetravit, Conſtitutum enim erat *Regi* & *Cardinali* exemplum ſtatuere, quo ſi Gaſto, ut erat levis & deſultorius, novare vellet, *minus facile ſocios inveniret*. Hac etiam ratione *Monmorantius*, etſi præclare pridem meritus, contra priorum temporum exempla, quibus rebelliones impunitæ fuerant, capitis ſupplicio *Tholoſæ* adfectus eſt: In quo ſtirps *Monmorantia*, nobilitate cum *Borbonia* certans, antiquitate ſane prima, extincta fuit, cum triennio ante *Boutevillius* ex eadem gente ſed familiâ minus notabili, Lutetiæ capite mulctatus eſſet, quod duello in *trivio Regali Lutetiæ* cùm *Boevrio Comite*, nimis procaci Regiorum edictorum contemptu pugnaſſet, è quo tamen filius ſuperfuit, poſtea commemorandus. Creditum eſt, præter exempli ad deterrendos Proceres utilitatem, nocuiſſe *Monmorantio* potentiam familiæ, magnarum antehac altricis factionum; *Cujuſmodi gentes coarctari dominationis intereſſe creditur*. Gaſto Regis frater hujus ſupplicii prætextu, ruptâ *pactionis* fide, rurſus in *Lotharingiam* ac inde in *Belgicam* ſe contulit *Hiſpanienſem*.

CAP.

CAP. XIII.

De rebus Anglorum ſub Rege Jacobo.

JAcobus præ ſe ferre ſolitus *inſigne gladii, oliva coronati*, cum inſcriptione, *Ad utrumque paratus*, Olivæ fidem fecit abunde, neque adhuc gladii neceſſitatem educendi tempora præbuerant. Sed *initio hujus ſectionis* conſilium præceps *Friderici Palatini* generi ipſius in accipiendo Diademate *Bohemico*, moleſtiſſimam ei ſuppeditavit occaſionem. Etſi enim *Fridericus* Soceri auctoritatem minime ſequutus verbis ab hoc infeſtiſſimè objurgaretur, re tamen commiſſâ, *liberos nepoteſque tanta ruina oppreſſos* honeſtè nullo modo deſtituere poterat. Ordines *Belgarum* fœderati, *Venetorum* Reſpubl. & omnes *Auſtriacorum* inimici, maximèque & flagrantiſſime *ipſi Anglorum* populi deſidem ad bellum hortabantur; quod ille dictis ſubinde laudans & minas jaciens, identidem generi ſui temeritatem execratus, in ſinu averſabatur & rejiciebat; paſſus ſe ab Hiſpanis, præſertim ab eorum legato *Gundemaro* mirifice ad ſenis ingenium *aſtutia cum ſcurrilitate conjuncta* facto, illudi, & peroſus *Ordinum ſuorum Conventus*, à quibus in bello, neceſſitate ſubſidiorum dependeret. Certus igitur *Fridericum* precibus & legationibus adjuvare, non copiis & exercitibus, mirificè apud ſuos exteroſque, amicos & inimicos ſe proſtituit: Et tamen verbis, ubi res ferret, ſæpe

tam magnificis utebatur, ac ſi ipſe tanquam Henricus VIII. *mari terraque potenter armatus & acer in ferro, medius inter Carolum V. & Franciſcum I.* collocatus princeps arbiter Europæ fuiſſet. Audire eſt operæ pretium, quid Legato Veneto adverſus Auſtriacos eum graviter incitanti reſponderit, anno 1621. cum in flagrantiſſimis *Europæ* ab Auſtriacis oppreſſæ malis ipſe in inſula ſuâ, nihil movens aut parans deſideret. Refert Nanius in *lib.* IV. *Hiſtoriæ Venetæ.* JACOBUS, inquit, *ſolita cum pompa verborum legato Reipubl.* ita reſpondit. *Pertinet ad animum noſtrum ſecuritas & ſalus Europæ. Non deflectimus oculos aut curas à rebus Italiæ. Præ cæteris, Venetorum Rempublicam conſtanti amicitia dilectaque confidentia complectimur. Et præterea declaramus, ſi Fridericus affinis noſter ditionibus patrimonii ſui ſit ſpoliatus, nos eſſe miſſuros ad Cauſam ejus ſuſtinendam, potentem exercitum in Germaniam. Si Belgæ fœderati fuerint invaſi, non erit ut ſubſidiis parcamus. Et ſi Venetis moleſtiam creari contingat, non defuturi ſumus, quin cum viribus totius regni noſtri illis ſubveniamus: Nedum ut intercedamus, quominus militem colligant, quorum Decem millia impræſentiarum illis in Anglia conſcribere fas eſto.* Senatus, *addit Nanius*, pro tam magnificis dictis ſi *non præſidii vim, ſaltem decori* ſpeciem habentibus, literis *non minus ſonantibus verbis* exaratis gratias egit diligenter.

2. Reipſa verò *Jacobus* non modo *nihil auxilii aut*

lii aut

lii aut parum rebus generi ſociorumque ejus contulit, ſed etiam ſi qua pro cauſa in adverſarios duriuſcula fierent, hæc acriter inſectabatur. veluti *quod Mansfeldius Friſiam Orientalem invaſerat*, quod *Colonienſis* ager ad contributiones adigeretur, de talibus quæ ad generum ſuſtinendum fierent, palam *Hagæ* per legatos ſuos queri ſuſtinuit, quaſi timeret offenſam *Auſtriacorum*, ne propterea generum ad ſuas preces reſtituere cunctarentur. Quin ſatis manifeſto illis contra cives ſuos, qui bellum adverſus *Hiſpanos* volebant, patrocinabatur; cum aliàs ſemper, tum in oratione ad Ordines ſuos habitâ anno 1621. cum invectivâ in generi ſui temeritatem, purgans in pleno Parlamento Hiſpanos *de affectata Monarchia*, quam dicebat eſſe *calumniam ab Ordinibus per injuriam Hiſpano impactam.* Iratus Parlamento, vel maximè ideò, quod pecuniam quâ ſemper egebat & quâ ſe male uti fatebatur, indulgens aulicis adulatoribus cum largitionibus tum monopoliis in fraudem mercaturæ extra ordinem conceſſis, dare nollent; cum ipſe bellum gerere nollet. Nunquam tamen niſi hac cauſâ *Ordines* vocabat, eoſque de nummis obtundebat, aliquando precibus, aliquando convitiis; *Nihil poſſum à vobis exſculpere*, inquit, *niſi mendicando, quaſi ſtipem rogarem*; Additis alio ſpiritu objurgationibus, quod ita ſe publicis rebus miſcerent, *ut ſuas prærogativas læderent*, præſertim in Inferioris domus Legatos invectus, appellans eos *pervicaces & obſtinatos*; item, quod

de ma-

de matrimonio filii ſui nil determinare potuiſſent, *niſi crimine læſæ majeſtatis commiſſo.* Hæc Inferior Domus ad animum revocans in ſuam *diætam* reverſi proteſtationem conceptam in Actâ retulere, cujus ſumma hæc erat; *Libertatem loquendi, proponendi, agendi, confirmandi, refutandi & concludendi, de rebus ſpectantibus ad Regem, Statum Reipubl. defenſionem regni & Eccleſiæ Anglicanæ, ordinationem obſervantiamque legum, abrogationem malarum conſuetudinum omniumque rerum emendationem, eſſe jura populi Anglicani in Parlamento congregati indubitata & hereditaria, ſinguloſque legatos eſſe ſacraſanctos & inviolabiles, neque mulctari, capi, coerceri poſſe, niſi ab ipſa Domo, cujus membra ſunt; nec Regi fas eſſe accuſationem ullius legati de rebus in Parlamento aliis accipere, niſi referente Domo ipſa.* Quod ideo collocamus in hac Inſtitutione, quia *Criticum* juris *eſt*, eorum quæ deinceps in *Anglia* ſunt geſta, dum *Rex Ordines habet tantum pro Conſiliariis ſubjectis*, Illi in *partem Imperii ſe vocatos credunt*; quod equidem, antehac *Ordines eo modo nunquam eſſe profeſſos* ſatis manifeſtum eſt, nec adeo niſi ab hoc tempore *jus tribunitium* ſibi arrogaverunt, ut *nec aliunde quam ex jure naturali populorum, qui regnantur*, ſi ipſis ejuſmodi jus competat, deduci poſſe videatur. Rex è continenti Parlamentum diſſolvit *die* XXIX. *Decembris* 1622. cum paulo ante *Oxonienſis* Academia Regis juſſu combuſſiſſet librum *Parai in Epiſtolam ad Romanos*, ubi docet,

Magi-

Magiſtratus ſubalternos, non merè privatos, habere jus Regi in tyrannum degeneranti armis reſiſtendi; Privatos autem quoſlibet habere jus inculpatæ tutelæ adverſus Principem more latronis ipſos invadentem, die VI. *Jun.* 1622.

3. Non minima fuit hæc è cauſis alienati Regis animi à doctrinâ Calvini, quod non tam is, quam multi nomen ejus ſequuti, *Summam poteſtatem mandati jure cenſeant*, Regesque pro ſummis magiſtratibus, id eſt, *miniſtris legum*, qui ab aliis magiſtratibus in ordinem cogi posſint, habeant, maximè ſi à vera Religione diſſentiant. Quam ſententiam *Knoxiani* primo in *Scotia* adverſus eum acerrimè pertenderunt, ac inde cum *inſtitutione Genevenſi*, *Palatina*, *Belgica* in Angliam, ubi Ordines antea ſecus edocti fuerant, propagata eſt; ut auctoritate Regis langueſcente, eam publicè præ ſe ferre non dubitaverint, maxime, *Puritani*, quorum numerus opesque in immenſum erant auctæ: Et horum odio Rex non modo *Epiſcopis plebi ob luxum & potentiam inviſis* patrocinabatur; Sed etiam inde à primo in Angliam adventu ſtudium præ ſe tulit indagandi *antiquitates Eccleſiaſticas*, *ſaculorum proxime ad Apoſtolos accedentium*, quâ unicè cauſâ in Angliam è Galliâ vocavit *Iſaacum Caſaubonum*, Syncretiſmi Papalis pridem ſuſpectum; Cujuſmodi inſtitutum *Johannes Rex* in Suetiâ nuper excoluerat, idque ibi ut *pontem Papatus* introducendi habitum nihilo ſecus *in Anglia* reputabatur; ut jam non diſſi-

diſſimularent *Ordines* ipſi, habere ſe Regem ſuſpectum Papiſmi; quo pertinent ejus obteſtationes in *ultimis Parlamentis*, frequentes & ardentiſſimæ, quas ut rebus & actis ejus in *favorem Pontificiorum* contrarias alii traducebant, magisque exacerbati ſunt eo quod Rex illos refutans, eadem oratione *Puritanos* & *Jeſuitas* inſectabatur; adeoque parum illis placere ſtudebat, ut non modo in regno ſuo Sacrificos & *Jeſuitas* foveret, ſed nec vereretur apud *Belgas* fœderatos intercedere pro Patre *Ophovio* Priore *Dominicanorum Antwerpienſium*, qui in Hollandiâ proditionis convictus in capitis periculo verſabatur, anno 1623.

4. Quibus omnibus acceſſit matrimonii tractatus *Hiſpanienſis*, cui inter alia non dubitavit hanc rationem prætexere; Id eſſe agendum, ut *Belgæ fœderati comprimerentur*; quorum opes & ſucceſſus jam tum Anglis invidiam movebant, auctam crebris *ex Indiâ* controverſiis, ubi *Belgæ prævalebant*, ubi *Jacobus* ipſe queri ſuſtinuit, ſe ut *regulum*, *Mauritium* ut Monarcham exhiberi; Belgis & Barbaris illos, *ut in Indiâ vires erant*, comparantibus. Sed matrimonii cauſa filium Carolum, horrentibus Anglis, clam *per Galliam* miſit in *Hiſpaniam*, equis celeribus, cum ſolo *Buckingamio* delatum *Madritum die* VII *Martij* 1623. ubi à Pontifice Romano, ſine cujus indultu non poterat obtinere ſponſam, literis acceptis officioſe reſpondit, non ſine conteſtatione ſui ſtudii *pro ſede Romana*. Diſceſſus ejus ex Hiſpania incidit

cidit in XIII Septembris, cum ſemel ſponſam ſuam pileotenus & verbis ex formulâ præſcriptis ſalutaſſet nec ultra admiſſus fuiſſet; Tractatu tamen matrimoniali jurejurando utrimque, etiam à *Jacobo* Londini ſancito, omnibuſque in ſummæ amicitiæ ſpeciem adminiſtratis. Etiam in freto Anglicano Walliæ Princeps quatuor *Dunkerkanos* prædones, detentis aliquantiſper navium *Batavicarum*, qui illos circumvenerant, Præfectis, ſervandos curavit. In formulâ jurisjurandi, quod *Jacobus* præſtiterat, hæc verba fuerunt, *Sanctiſſimi Domini Papæ*; In articulis ſecretis, *nullam in Anglia legem contra Pontificios exercitum nec ullam poſthac conditum iri, ſed liberum fore per tria regna Pontificiæ religionis in ædibus privatis cultum:* Quæ conventiones ſtatim, dimiſſis captivis & permiſſâ ubique *Miſſa* in effectum deduci cœperunt, cum ſtupore totius Europæ & imprimis *Angliæ Proteſtantium*. Et hi quidem tam atroci murmure cujuſvis ordinis hominum intonare cœperunt, ut *Jacobus* naturâ timidus amicis auſcultaverit ſuggerentibus, *ſi Carolus Infantem Hiſpanicam his legibus in Angliam adduceret, eventurum ut populus univerſus inſurgeret ipſoque rejecto filiam Elizabethen cum exſule Friderico, collocaret in throno*, factumque eſt ſubito, ut Rex ſuum filium iteratis literis domum revocaret, eoque reverſo executionem matrimonii primò dilatam dein penitus abrumperet.

5. Placandis civibus ſuis Rex initio ab *Hibernia* facto, inde omnes Pontificii characteris cle-

ricos

ricos Edicto expulit & hoc quaſi proemio *Parlamentum* inchoavit, *menſe Februario* 1624. in quo verſis omnium ſtudiis, Regi Ordinibuſque placuit, *matrimonium Walliæ Principis cum Infante Hiſpanica* ſilentio aboleri, belloque *Palatinatum* recuperari; denique arctâ ſocietate ſubſidiiſque Belgas fœderatos adjuvare, quorum maximè in bello *Germanico* utilis opera eſſe futura, quorumque legati tunc opportune adfluxerant; Principe *Carolo* patris vices in belli apparatu præcurando ſubeunte. Sic erat propoſitum, *ſexaginta militum in* armis habere & ſuſtentare *millia*, Claſſem & cætera ſecundum eam proportionem. Sed præter ſubſidia Mansfeldio & Chriſtiano Brunſwicenſi ſuppeditata, de quorum ſucceſſu in Germanicis actum eſt, nihil à Jacobo adverſus Auſtriacos perpetrari potuit, morte occupato die XXVII *Martii* 1625. *anno ætatis* LIX *regni Anglicani* XXIII. cumScotiæ regnum inde à primâ infantia adeptus eſſet, ut *ſuperius* dictum. De genere morbi, cui in extremis ſubitum accidit profluvium ventris, atroces ſparſi ſunt rumores, quaſi veneno procurata fuiſſet, alti odio inteſtabili omnium in *Buckingamium*, & diu poſtea non minori in *optimum Regem Carolum* invidiâ, ſed abſque ullâ fide veſtigiiſque veri.

6. Sub hoc regno imprimis Angli ſe diffuderunt in colonias *Americanas*, eo majore numero, quod ibi *libertate Religionum*, quâ domi non poterant, ſuo arbitratu gauderent. *Virginia* in honorem *Elizabethæ* reginæ virginis dicta, coloniis augeri

coe-

anno 1606. *Barmudes* inſulæ ab anno 1610. Ab eodem fere tempore navigatum eſt frequenter in eam partem, quæ *Anglia nova* vocatur. Quibus aliiſque deinde mirifice cultis auctiſque coloniis potentia gentis notabili modo tam multitudine civium, Angliæ Regem ut dominum agnoſcentium, quam uſu mercaturæ propagata & nobilitata eſt.

6. Ante obitum ſuum perfecit *Jacobus* matrimonium inter filium ſuum *Carolum* & *Henricam Mariam* Ludovici Galliæ Regis ſororem, quæ in dotem accepit *Octingenta ſcutatorum millia.* Cives equidem optabant, ut ex Proteſtantium numero ſponſam eligeret filio, Sed animum revera ab illa parte alienum ad hoc inducere non potuit; maxime quod vix aliunde quam è *Germaniâ* facultas daretur: *Unde pœnitebat experimenti.* Nec erat ejuſmodi Rex Jacobus ingenii, ut civium animos ſibi filioque conciliandi gratiâ, quicquam de ſuis ſententiis minuendum putaret. Ergo tranſiit ad ſucceſſorem inchoata ſub illo, *Regis & populi* ſeparata *Ratio*, quæ *Status* & id quod *Intereſt* appellatur, duravitque per infinita mala ad noſtra uſque tempora, extincta demum an adumbrata nuper, ſub Rege ſuas & populorum utilitates dividere neſcio.

CAP. XIV.

De rebus Anglicanis ſub Carolo I.

NOvus Rex CAROLUS *viginti quinque natus annos* florenti ætate, formâ corporis excellenti ingenioque liberali & manſueto prædìtus, multa ſigna felicis ſpem imperii adſeverantia præ ſe ferebat. Quominus illud ſibi, domui populoque ſuo præſtiterit, in cauſâ fuit *Conſiliorum, quæ Jacobi Regis auctoritatem infregerant, continuatio*. Inter quæ primum tenuit locum immodicus favor & omnium potentia rerum in *Duce Buckingamio*, contra quem fixum populi Procerumque odium non poterat in auctorem favoris potentiæque illius non propagari: cum aliquo ejuſdem contemptu ex præſumpto ingenii ſolertiæque defectu, quod palam omnibus conſtaret, *imperia Regis nullius eſſe momenti, ſi a Buckingamio non ſuſtinerentur.* Conſummatio matrimonii Gallicani, quam *Buckingamius Lutetiæ Pariſiorum* celebravit Majo menſe 1625. & introductio ingentis numeri ſacrificorum, qui *ex lege matrimonii* locum in aula habebant, apud inſuetum cleri papalis populum averſionem ab Aulâ intendebant.

2. Pertinuit tamen ad affectum populi conciliandum mutandumque infelix in Jacobo pacis ſtudium, expeditio maritima adverſus *Hiſpanum*, Jacobo ſuperſtite, jam decreta & paratâ claſſe cxx *navium*, quas inter *viginti Belgicæ ex* con-

conventione cum *Ordinibus fœderatis* initâ, ſerius equidem, *menſe Novembri* demum in conſpectum urbis *Gaditanæ* appulſa, ubi caſtello apud *Punctalim* vi tormentorum ad deditionem coacto Caſtra in littore fecerunt. Ab urbe tamen repulſi *ſexto die* in naves redire & altum petere Angliamque repetere coacti ſunt. Quo conatu primo in irritum cedente exortoque brevi *Gallicano* bello, arma, contra *Hiſpanos*, quibus Auſtriacam domum ad reſtituendum Palatinatum adactum iri præſumpſerant, vehementer refrixerunt: Etſi hac eadem æſtate novum fœdus inter *Carolum* Regem & *Ordines fœderatos* initum eſſet Zuythamptoniæ, *defenſivum & offenſivum*, totis viribus exequendum, hac lege, ne *pax aut induciæ, niſi communi Conſenſu iniri poſſent, quamdiu Rex Hiſpaniæ in bello cum fœderatis Ordinibus eſſet & quamdiu Palatinatus non eſſet reſtitutus*, duntaxat *intra quindecim annos neutri ullo modo fœderi renuntiare liceret.* Quo tamen fœdere derogatum Angli noluerunt juri ſuo repetendi res & luendi injurias ſibi in Indiâ Orientali, maxime apud inſulam *Amboinam* factas, *anno* 1623; quo tempore *Batavi Amboinæ* potientes Anglos aliquot negotiandi cauſâ illic agentes in carcerem conjecerant, habitâque ſeverâ Quæſtione, quaſi proditionis convictos ſupplicio adfecerant, innocentes, *ut Anglorum relationes patheticè* adfirmant; quibus acta *Batavorum* judicialia contradicunt. Res hæc odiis, inter gentes jam pridem æmulatione commercio-

rum inflammatis, plurimum alimenti ſubjecit; *anniſque poſtea fere triginta* inter cauſas atrociſſimi belli valuit. Tum temporis *Rex Carolus* Proteſtatione contentus, dein rerum ſuarum diſtractus incommodo *vindicta quidem abſtinuit, ſed* nunquam *ſilentio* cauſam obliteravit.

3. Etſi fœdus ea res hoc tempore non impedivit, cujus firmandi gratia *Buckingamius* ipſe cultu regio cum *Hollandiæ* Comite, Legati in Belgium trajecerunt; quærendæ etiam datis pignoribus, pecuniæ cauſâ, quam à Regni Ordinibus nullis precibus obtinere poterant, eo quod hi rationes prius à *Buckingamio de contributionibus antea perceptis exigebant*; quam *ſequenti anno* Cantilenam, etſi diſſoluto priore novoque corrogato *Parlamento*, repetierunt; non ſine pluribus aliis querelis & accuſationibus in *Buckingamium* maximè ingeminatis, Cujus tanta apud Regem erat gratia & auctoritas, ut non modo Parlamenta pro lubitu diſſolvi, ſed etiam præcipuos querelarum auctores, quos inter *Briſtolius* & *Arundelius* fuere Comites, male haberi curaverit. Denique, potentiam apud animum Regis immodicam oſtendit in eo, quod bello jam Hiſpanico implicitum; cujus moles, *ſi ad reſtitutionem Palatini Auſtriacis extorquendam valitura eſſet*, ſola viribus Angliæ & fœderatorum occupandis ſufficeret, Regem ſuum in bellum Gallicum præcipitem dederit: Idque ejuſmodi cauſâ, quæ proterviam paraſitorum, *animos Regum amicitiæ ſpecie gubernantium*, inaudito exem-

exemplo demonſtrat. Quod enim *Ludovicus Rex ſuſpectum in Regina conjuge habens Buckingamium*, iter in Galliam paranti aditum prohibuiſſet, hunc ſui contemptum armis vindicare conſtituit. Jam pridem Regi perſuaſerat, ut aulicos Reginæ miniſtros, à ſacris imprimis, in Galliam dimitteret; ita factu opus eſſe, quo *populi animos inde nimis offenſi placaret:* ipſi etiam hæc erat ratio, *ut Regis animum alieno regimini obnoxium averteret a Regina ſatis callidâ & ambitioſa.* Rex igitur, ab illo ſubornatus, *abeundi neceſſitatem aulicis Gallis* ipſe *denuntiavit* & *Buckingamius* eam rigide executus eſt. E Galliâ, Legatus ea de re miſſus infectâ rediſceſſerat, *Baſſompierius*, quia Buckingamius rem conficiendam ſuæ in Galliam legationi reſervabat, quâ ſcilicet occaſionem oſtentandi elegantiam & magnificentiam ſuam Reginæ, quam ineptiſſimè deperibat, oſtentaret. Hac autem viâ ipſi præcluſâ, *Reformatos ab bellum*, ita ut pridem intelleximus, *excitavit* eoſdemque non minori Levitate prodidit aut ſanè deſtituit, ut in *Gallicis* demonſtratum eſt. His rebus cum ad odium *Buckingamii* publicum nihil addi poſſet, accidit, ut anno 1628. *pridie feſti Bartholomæi*, *Feltonus* Anglicæ navis antea præfectus illum *Portsmouthi* cultro percuſſum interficeret, nihil prolocutum, niſi hæc verba; *Canis quid occidis me?* cauſas cædis *Feltonus* in chartâ pileo inſertâ deſcripſerat, hujus argumenti, *quod hoſtis publicus ab Ordinibus regni declaratus eſſet, ſibique priva-*

tim aliquas intuliſſet injurias. Cadaver in angulo conclavis, ubi cæſus erat, relictum eſt ab iis qui paulo ante ingenti numero illum honoris cauſâ ſtipaverant, *ut ſunt res humanæ* inprimis *Aularum.* Factum Regi ſacris operam danti nuntiatum colorem vultus ejus graviſſimè, non habitum corporis, in quo ad finem uſque concionis perſtitit, commutavit. *In animo ejus exinde Regina prævalere cœpit.*

4. *Buckingamii* mortem partiumque Reformatarum in Galliis ultimam cladem ſequuta eſt *anno ſequente* pax *Anglica* cum *Gallis* & *anno ſubſequente* cum Hiſpanis, non ſine præviâ communicatione cum *Ordinibus fœderatis*, ut dictum erat in fœdere *Zuythamptonienſi:* Quanquam hi cum parum momenti in armis *Anglicanis* reperiſſent, ac conditionem extorquendi *Auſtriacis Palatinatum*, quod in illo fœdere cautum, nimis arduam viderent, haud intercedendum putavere, quominus Angli ſeorſim bello ſe ſubducerent, quod factum anno 1630. Quo etiam die XIX Junii, accidit *nativitas* poſt quinquennalem conjugii ſterilitatem *Walliæ Principis*, cujus in Anglia poſt *Eduardi VI. nativitatem* non evenerat exemplum; Is deinde fuit *Carolus II.* Sed Rex ingenio ad otium potius quam ad arma factus, explicitis bellis, omne ſuum ad *pacem conſilium ab eo tempore direxit*, id unice operam daturus, ut domi regiam auctoritatem prioribus annis Labefactatam in eum ſtatum, quo *fuerat ſub Henrico VIII.* reſtitueret. Cumque

que ita exiſtimaret, *Ordines regni*, quos inter *Presbyteriani* numero ac induſtria valebant, *jure ſuo tribunitio*. quod extremis *Jacobi* Regis annis uſurpare cœperant, in præcipuâ eſſe cauſâ diminutæ poteſtatis ſuæ, rationes ſuas ita inſtituit, ut nullos amplius aut rariſſimos *Ordinum conventus* celebraret; quibus ſe carere poſſe credebat, ſi pecuniaria ab illis ſubſidia emendicare non cogeretur. Interim morâ vim Regiminis ſui convalituram & tribunitia conſilia diſcuſſum iri. Quâ ratione cum hac tempeſtate *per Suedicas in Germaniâ victorias* ſumma ſpes *Palatinum reſtituendi* affulgeret, nec ſine pecuniâ quicquam geri poſſet, ab Anglo Fridericus nihil quam Legationum inania, quibus ſe adfinemque, more *Jacobi*, *Carolus* eludendum præbuit, impetrare potuit. Ipſi interim Angli rerum ſuarum domi ſatagebant, ſine bello in Aulâ ſatis copioſi, privatim mercaturâ omniumque rerum abundantia florentes. Miniſtri primarii ab Hiſpanis, ut Rex quieſceret Belgisque fœderatis ſe transverſum exhiberet; ab his, ne ſibi in Navigatione, cujus rei per ſitum regni facultatem habebat, nocerent, blandis dictis & congiariis excolebantur. *Quanto quiſque plus effundebat, tanto favoris & juris amplius obtinebat*, ut in *Regimentis* amat fieri diſſolutis nec unius vigore Capitis validè coërcitis & æquabiliter adminiſtratis: Cum autem major eſſet Hiſpanorum liberalitas, *hi fere in* Aula *prævalebant*, ſuccreſcentibus etiam in Anglorum ani-

mis invidiæ contra fœderatorum proſperitatem ſtimulis. Sed ille defectus prudentiæ & vigoris in Rege, omnia ſuis miniſtris, quos inter *Epiſcopi primas tenebant*, committere ſolito & Reginæ Papalium ſacrorum ſtudioſſiſimæ addicto, non potuit hoc, quod Regiis erat propoſitum, de veteri ac *au hen ico prærogativæ Regiæ valore ſtabiliendo*, præſtare. Sed male contentis omnium ordinum animis, augeſcebant *presbyterianorum ac Independentium* ſectæ, ex inſtituto diſciplinæ ſuæ libertatis amantes & exemplo *Belgarum* fœderatorum tam Reipubl. quam religionis ſucceſſu proſperrimo inflammatæ. Accedebat diffuſa per omne regnum credulitas, nihil aliud, *In aula & ab Epiſcopis agi*, *quam* ut *Papiſmus* introduceretur, Atque dum ita in fundo Angliæ ſemina futurorum malorum radices agebant, ſtatus regni externus, ita ſe habebat, ut *Rex in Aulâ ſua beatus*, à civibus *Anglicano more adoratus*, cuncta nimiæ felicitatis, quæ *per ſe morbus eſt*, plena viderentur : At *Intus mirificum corruptionis germen in tempore morbos & convulſiones daturum latebat*.

CAP. XV.

De rebus Belgicis ab anno 1619 *ad exitum Induciarum.*

INduciæ inter Belgas *Hiſpanienſes* & *fœderatos*, duodecennales, etſi partibus in ſociorum auxilia diverſis imo *adverſis expeditionibus* anno 1610 *apud*

apud Juliacum & quadriennio poſt apud Aquiſgranum & *Veſaliam* aliquoties diſtractis nec adeo querelis deficientibus, *inviolatæ manſerunt*, occaſionibus hinc inde collidendi ſtudioſè devitatis. Ut adeo ſi quas altera pars urbes in *neutrarum partium ditionibus* occuparet, hæ ab alterâ, viribus utcumque prævalentibus, omitterentur. Quemadmodum aliquando cum *Zonsbecum* in terrâ Imperii oppidum, ab ordinis ductore *Mauritiano*, ſolo, ſine manipularibus, *Salvi conductus* ſpecie, occupatum eſſet, idemque ab *Hiſpanis* juſto numero invaderetur, ille reſiſtere & ingreſſum his altâ voce prohibere non dubitavit; cumque *Hiſpani*, adductis ſclopetis, ei minarentur, proclamans, *ſiquis me lædat*, *is* inquit, *inducias lædit*, & lædere non ſuſtinuerunt. Diffidentiâ tamen utrobique animis irradicatâ & exterorum motuum, de quibus *ſuprà* actum, occaſionibus intentæ & quaſi ſuccinctæ partes exercitus in armis juſtos validoſque, *Archiduces* imprimis, *ſiqui caſus in fœderatis gentibus ex inteſtinis motibus majores naſcerentur*, habuerunt.

2. Sed motus iſti fœderatorum in *præcedentis exitu ſectionis* ad Criſin decretoriam perducti fuerant, captis *Remonſtrantium* principibus, Synodo è *Contra remonſtrantibus* eorumque Symmyſtis *Dordraci* congregatâ, cujus prima Seſſio habita eſt *die* IX *Novembr.* CIↃ IↃ XVIII, Præſide *Johanne Bogermanno* Paſtore Leovardienſi, quem *Guilielmus Ludovicus* Friſiæ Gubernator

& *Mauritio* intimus eligi ſuaſerat: Ut moderator è natione, in quam lis religioſa vix uno loco, *Eccleſiâ Doccumanâ*, penetraverat, potius quam inde, *ubi adſidua partium colliſio notabiles inimicitias pepererat*, quæſitus videretur. Interfuere, quin etiam præfuerunt *Ordinum Generalium Legati*, quibus à calamo erat *Daniel Heinſius*, Remonſtrantium præcipuis, *Grotio* inprimis ante hac intimus eorumque beneficiis uſus; Sed *amicus*, ut viſum fuit, *uſque ad aras*. Citati *Remonſtrantes*, ubi primum admiſſi fuere, non expectatâ Præſidis veniâ aut alloquio, exprompta oratione, per *Simonem Epiſcopium*, ſummam cauſæ animumque ad æquam diſceptationem paratum, ſed *à ſubmiſſione alienum* declaraverunt. Quâ de re ortâ contentione & altercatione res in eo tandem deſiit, ut *Præcisâ diſceptatione verborum*, *cauſa è ſcriptis jam olim publici juris factis* diſceptaretur. Quod decretum, reverâ neceſſarium, paulo imperioſius & iracundius, *quam opus erat*, à *Præſide* illis inſinuatum, invidiam auxit, quam pars *ſuperior* contra *victam* nullo modo evitare potuit. Ab eo tempore Patres Synodales ſummâ diligentiâ *binis quotidie Seſſionibus uſque ad diem* x. *Maji*, 1619. univerſam de *Prædeſtinatione Gratiaque* doctrinam ex ſententia *Pauli, Auguſtini & Calvini* ſuccinctè ſolideque complexi *Canonibus* ſanxerunt & diſcrepantes opiniones *judicum poteſtate damnaverunt*. *Diſciplinâ quoque Eccleſiaſticâ* eligendique Paſtores ratione conſtitutâ; quæ tamen, doctrinâ licet ubique provinciarum

rece-

receptâ, à quibuſdam populis repudiata eſt, quos *inter Friſii pœnam violatæ pacis publicæ drcreverunt in eos, qui diſciplinam Synodi Dordracenæ in Friſiâ introducere conarentur*; metu, ne Concionatores eâ re ab Optimatibus independentes facti, plus quam expediret, apud plebem auderent. *Quod decretum* Grotius *fronti apologiæ ſuæ imprimendum curavit:* Ipſi Friſii utcunque ſpretæ Synodi calumniam deinde ſcriptis *ad Ordines Generales* literis amoliti ſint, adeo tamen de lege nihil mutarunt, ut eam libro *Statutorum* Reip: adjiciendam putaverint. At hæc deinceps; Decretum eſt factum *d. x Jul.* 1622.

3. Sed Acta Synodi efficacius ſancita ſunt ſanguine *Johannis Olden-Barneveldii*, ex ſententia à *Judicibus Delegatis* triduo poſt Synodum finitam latâ, fuſo, in interiori Aulæ Hagienſis areâ, capite per carnificem amputato ſeni plus quam ſeptuagenario, magnis erga Rempubl. meritis claro *iiſque ad arrogantiam uſque Præſidenti, & pro Optimatium poteſtetate contumaci*, multorum eâ re, maximeque *Principis* odium inexpiabile merito. Cauſæ mortis juſtificæ è ſuperioribus intelligi debent, hac ſummâ; *Quod factionem ad ſubvertendam Religionem receptam aluiſſet manuque armata firmare ſtuduiſſet, eaque ſine leges Unionis, quâ nationes Belgarum junguntur, multis modis violaſſet.* Nam de *conſiliis cum hoſte nihil in ſententia:* in Edicto *Supplicationis* paulo poſt aliquid ea de re jactatum, & male, de quo non liquebat. Exitus *Barneveldii* vitæ anteactæ non fuit diſſimilis: Uxorem

rem

rem liberoſque brevibus literis ad patientiam & concordiam hortatus, auditâ ſententiâ, nil niſi de *bonis publicatis* queſtus, *Credideram*, inquit, *ſanguinem meum Dominis fuiſſe ſuffecturum*. In ferali theatro nihil aliud quam; *Populares*, inquit, *nolite credere, me eſſe proditorem Patriæ; bonus civis morior;* Nec enim Belgæ tam verboſas obeunt mortes quàm in Angliâ ſolent. Juxta illum *Romboldus Hogerbetius, Leidenſis*, & *Hugo Grotius Roterodamenſis* Syndici ad perpetuos carceres damnati ſunt. *Hogerbetius* auditâ in auditorio publico ſententiâ, non temperavit ſibi, quin *obmurmuraret*, quod dein excuſavit; *Grotius* nihil oblocutus nihil excuſandum habuit; poſtquam uxoris induſtriâ è carcere *Louveſteiniano* evaſit in Galliam, quod accidit *anno* 1621. apologiam pro ſe ſociiſque damnationis edidit eruditam. Plane res eo jam pridem perductæ fuerant, ut pax aliter *quam parte victâ penitus oppreſſa* conſiſtere non poſſet, *In quo cauſæ merito juris eorum temporum* diſceptatio orditur *& conſumitur*. Hac ratione coetus *Remonſtrantium* fuere prohibiti, Concionatores aut *chirographo docendi officio renuntiare* vel *ſolum vertere* coacti; poſtea reperti carceribus incluſi vel ad opus publicum damnati ſunt. A Reipubl. honoribus diſtricte prohibiti cum *Remonſtrantibus* ſentientes: omnibus *Mauritio ſubjectis, à quo novi* Rectores ſuum jus adepti unicè pendebant eratque foris & domi frequens expectatio, fore, *ut jus ſummæ Poteſtatis olim Patri Wilhelmo delatum*

&

& dignitas Comitatus Hollandiæ, parricidiali manu illi *prærepta, in hoc filio ſtabiliretur*; quo pertinet unius è Proceribus ad Poloniæ Legatum illo tempore vox, ſi fides *Utenbogardo in vitâ ſua*; *Nos Barneveldio cervicem Præcidimus in gratiam Principis & jam ſtertit*. Neque tamen ſtertuit neque decepti ſunt, quam qui *Mauritium* non noverant eſſe talem, qualis à *Janino Galliæ legato in epiſtolis* deſcriptus eſt *Henrico* IV jam olim de illius conatu idem ſuſpicato; *non eſſe eum Principem, qui ſpecies & inania rerum, ſed rationes ſolidas & res, ut eſſent, ſequeretur ac æſtimaret.* Si jus & titulum ſummæ poteſtatis expedire ſibi judicaſſet, credibile eſt, *occaſione uſurum fuiſſe, ſed quia* veriſſime judicavit, ut Reipubl. callentiſſimus erat, *illum honorem ſibi oneri futurum*, nihilque *poteſtatis* additurum, non magis eum concupivit, quam *poſterorum ejus quiſquam* alius illum adfectavit.

4. Ipſe etiam anno 1618. privatim auctus eſt hereditate *Philippi*, domus ſuæ primogeniti *Bruxellis* ſine prole mortui, herede ex aſſe ſcripto, ipſe licet teſtator *Pontificius* eſſet, fratre *Mauritio*, cum fideicommiſſo in primogenitum; & *ſi ſine liberis*, pro fratre ejus *Henrico*, cum repetitione ejuſdem fideicommiſſi in primogenitum ex ipſo & deſcendentibus in infinitum; Quibus deficientibus, vocantur *Johannes Naſſovius* Wilhelmi Patris ejus frater, eoque mortuo vel deficiente primogeniti quique mares ex illo, æquè in infinitum. Signatæ ſunt tabulæ, ab ipſo Principe teſtatore luculento ſtylo gallice ſcriptæ, *d.* xx. *Febr.* 1618.

5. Pau-

5. Paulo ante fines induciarum *Wilhelmus Ludivicus* Friſiæ Gubernator hac vitâ defunctus eſt *Leovardiæ* ex *apoplexia*, quæ ſcribentem literas ad *principem Mauritium* invaſit à prandio, mutata deinceps in *hemiplegiam*. Argumentum hactenus conſtat literarum fuiſſe, conſultationem, *quid facto opus, ſi quid Mauritio Principi humanitus accideret.* Erat enim ſtatus præſentis & receptæ Religionis amator, ut qui maxime, *Gulielmus*; primus etiam, ut creditur, auctor *Mauritio* factus, ſe palam pro *Contra-remonſtrantibus* declarandi; qui ab *Henrico* Principe Mauritii herede ſibi metuebant, ſicut *Remonſtrantes* ab illo ſpes novas ordiebantur. Quid autem à *Guilielmo* cautionis *Mauritio* propoſitum fuerit, cum ignoremus, ſuſpicari non lubet. Hoc ſatis conſtat, Mauritium à fratre prætereundo, quem deinde moriens Ordinibus amanter commendavit, & cui omnia ſua reliquit, ſine dubio alienum fuiſſe futurum. *Wilhelmus* poſt aliquot dierum infirmitatem *pridie Kalend. Iunii* 1620. anno ætatis LXI. deceſſit è vitâ, ab omnibus ſuæ præfecturæ populis, merito cultus & amatus. Elogium reliquum geſtæ relatæque res abunde faciunt.

6. Fuerat *Wilhelmus Arauſienſis* Mauritii Pater omnium fœderatarum gentium Præfectus, in cujus locum ſucceſſerat Leiceſtrius; Mauritius *nonniſi ſingularum nationum* Præfecturas accepit: & quia Friſiis erat ſuus proprius Gubernator, huic deinde Groninga cum Agro circumjecto propter viciniam *à Friſia* vix ſeparabilis acceſſit.

ſit. Ac ita *Gulielmus Ludovicus* utrique Provinciæ domi militiæque præfuit, *non ſubordinatus Mauritio*, ne quidem in caſtris. Eo mortuo, res erat opportuna amabiliſque *Mauritio Præfecturæ generali omnium Provinciarum admoveri*; *idque* ſtatim à morte *Guilielmi Ludovici* tentatum, apud *Groninganos & Omlandicos* ſucceſſit, electo ab his *Mauritio* in Gubernatorem & armorum Ducem, ſive *Capitaneum Generalem*, *ut* loquuntur. Sed in Friſiam, *Gulielmo* adhuc ſpirante, frater ejus *Erneſtus* properaverat eoque defuncto Proceres in favorem ſui vertit, tam propter merita caramque defuncti memoriam, quam quod Rempubl. ſuam *præſenti egere moderatore* putabant; etiam vero libertatis quodam ſervandæ ſtudio, cui *à Mauritii potentia*, quæ tunc in Hollandiâ cæteriſque provinciis erat, quantam volebat, *ſecreto metuebant*: Nec adeo Præfecturam illam *Generalem* libertati communi expedire judicabant: Etſi ab illo tempore ſubordinatio Friſicæ militiæ *in caſtris* infra *Mauritium* Principem introducta eſt, eo, quod *Erneſtus* erat *Mareſcallus*, ut loquuntur, Caſtrorum & hac ratione, non proprie ut *Capitaneus Friſiæ generalis*, Mauritii imperio ſubjectus. *Groninganis & Omlandis* aliæ rationes conſtabant. *Guilielmus Ludovicus* reducta vi belli Provinciâ, validius illis imperitaverat, *quia præſens*; *A Mauritio* procul *abſente* minus inſpectionis augurabantur. *Groningani* peculiariter in hac mutatione ſibi conſuluerunt, ſtipulati à *Mauritio liberam Magiſtratuum*

crea-

creationem, cujus arbitrium *Gulielmus Ludovicus* habuerat. Acceſſerat occaſio quædam minoris momenti, prætextus magis quam cauſa, quod in ſolenni ſepultura *Comitis*, *Leovardiæ* facta, legatos ſuos minus honorifice ab *Erneſto* habitos conquerebantur.

6. Antequam Induciæ menſe Aprili 1621. finirentur, *Petrus Peckius Brabantiæ Concellarius* ab Archiducibus *Hagam* miſſus, ut fœderatos ad legem antiquæ ſubjectionis invitaret, reſponſum ab illis accepit breve; *libertatem ſuam eſſe indubitati juris: Qui huic derogatum vellent, eos ab omni audientia excludendos*. Et ſic res ad belli renovationem ſpectabat, quod fœderati præferebant, quia *Contraremonſtrantibus* induciæ diſplicuerant & pax eorum rebus noxia credebatur & quia magno ſtudio ad *res Proteſtantiumin Germania* ſublevandas ferebantur. Hiſpani tam infeſtâ propoſitione tractatum pacis abrupêre, quia victoriis in Germaniâ partis animati ſperabant, ſe fœderatos facile ſubacturos. Non eſt tamen de nihilo quod *Utenbogardus in vita ſua* ſcribit, à quodam ſacri ordinis in Brabantiâ ſibi eſſe dictum, *propoſitionem Peckij & Ordinum reſponſionem utramque viſam fuiſſe imprudentem*. Nam Hiſpanis longe ſatius fuiſſet, fœderatos tantiſper in ſua libertate relinquere, dum ipſi inſtarent victoriis in Germania, donec hanc penitus Auſtriaco jugo ſubditam habuiſſent; quo *facto*, *Belgæ fœderati nullo modo reſiſtere potuiſſent*; quam Belgas ad novum terrâ marique bellum cogendo vires ſuas diſtrahere.

Fœ-

Fœderati quoque rectius conſuluiſſent, ſi tractatu pacis inſtituto, inducias tantiſper ſaltem produxiſſent, *donec Franciæ & Angliæ Reges*, quorum maxime intererat, *Auſtriacos à Belgis diſtringi*, ad *ſubſidia præſtanda* compulſi fuiſſent, qui ut ruptis induciis parum aut nihil præſtiterunt, ita, continuatis illis, nihil non obtuliſſent. Sed erat in fatis, ut *Belgarum* tam arctè patens *Reſpublica* conatus *Monarchiæ Univerſalis*, primo *Auſtriacæ*, deinde *Gallicæ*, ſuis maxime viribus immenſoque ſumptu obtunderet ac cohiberet, quemadmodum *in progreſſu fa..um videbimus.*

CAP. XVI.

De rebus Belgicis ab exitu induciarum uſque ad obitum Principis Mauritii.

IN principio pleni animis & pecuniâ *Hiſpani* bipartito exercitu, fœderatos, *ut tum reſerant*, de finium defenſione ſolummodo cogitantes, aggreſſi ſunt; altero trans *Rhenum*, ubi *Grollam*, *Oldenzaliam*, & *Lingam* tenebant, hoc conſilio ut trans *Iſalam in Velaviam* penetrarent, quâ parte Mauritii vigilantiâ & pluvioſa tempeſtate præpediti nihil egerunt. In alterâ parte Juliacum, quod Belgæ pro *Brandeburgico* inde ab anno 1610. tenebant, obſidione per hyemem continuata, menſe Februario 1622. ad deditionem coëgerunt. Ejuſdem æſtas anni celebris fuit obſidione *Montium* ad *Zomam*, maximi civitatis momenti, quâ capta *Hiſpani Hollandiam Zee-*

landiamque dividere & infeſtare poterant. Hanc igitur per *Marchionem Spinolam* initio menſis Junii 1622. obſidione cingi juſſit *Iſabella Clara Eugenia* Belgii Hiſpanienſis Gubernatrix è Dominâ factâ, poſt mortem *Alberti* Archiducis ſuperiori anno mortui, ex lege initio matrimonii, *ſi hoc ſine prole finiretur*, à *Philippo* Patre dicta. Fuit autem hæc obſidio Principi *Mauritio* tam inexpectata, ut urbem omni præſidio, *exceptis tribus centuriis pedeſtribus* nuditam reliquerit: *uſque adeo veteranum prudentiſſimumque Ducem opinio feſellerat.* Ut ſi Spinola, qui multâ uſus erat ſimulatione, derepente rectaque *ad ipſam urbem feſtinaſſet*, eam ſubita vi capturus fuiſſe videatur. *Sed ut ignoratione ſingularium infinita in bello commoda amittuntur*, ita *Steenbergi* in vicinia oppidi expugnatio tantum moræ *Fœderatis* præbuit, ut abundanti præſidio omnibuſque ad vim ſuſtinendam neceſſariis rebus eam inſtruendi ſpatium habuerint. *Per quatur menſes* quicquid ars poliorcetica *Mauritium & Spinolam* docuerat, ſummâ vi, induſtria, audaciâ, ſanguine & auro ſine fine modoque adhibitum & exercitum eſt. Nec uſquam adhuc tanta vis machinarum & ictuum è tormentis majoribus exiterat frequentia. Quos inter unus memoratur effectum ſatis edidiſſe rarum: *Mulierem prægnantem ad rivum veſtimenta lavantem in partes duas diffiderat; Alteram corporis partem qui aderant cum movere ſe animadverterent, accurrentes infantem invenere vivum,*

qui

qui ſervatus & Iſabellæ juſſu baptiſmo tinctus Alberii Ambroſii nomen accepit. At Spinola poſt immenſam vim exhauſtam, ſuo quoque hanc obſervationem firmavit experimento, *difficillimum eſſe, expugnare urbes, in quas eſt liber auxiliorum introitus & exitus debilitatorum*, quemadmodum Montibus obſeſſis inde ab initio ad finem uſque fuit; ſiquidem portus à *Spinola* nunquam obſtrui vel ita in poteſtatem redigi potuit, ut navigatio prohiberetur. Quare initio *menſis Octobris*, *Spinola* de ſucceſſu deſperans, occaſionem ſibi gratulatus eſt, quod *Mauritius Mansfeldio* & *Chriſtiano Brunſwicenſi*, quos in Germania ad incitas redactos Ordines pro *ſexcentis florenorum millibus* ad hanc expeditionem conduxerant, cum ſuis copiis auctus ad obſidionem ſolvendam properabat. Quamvis enim Spinola occaſione copiarum, quæ ſub *Cordua* in campis *Fleuriacis* adverſus Germanos pugnaverant & quas *Henricus Bergenſis* apud Rhenum duxerat, Mauritio adhuc numeroſior eſſet, tamen adverſus recentes ipſius & recreatas Mansfeldii legiones alaſque rem prælio committere non ſuſtinuit, ideoque vaſis conclamatis *Antwerpiam* & *Bruxellam* ſe recepit.

2. Cum *Mansfeldij*, hac opera præſtita, exercitus oneri fœderatis eſſet, datus ei quam primum commeatus, pecunia quam ſtipulatus erat omni ſoluta, tormentiſque aliquot cum inſtrumento bellico donatus eſt, *initioque Novembris* 1622. in *Friſiam Orientalem* non rogatus aut expecta-

tus cum exercitu famelico ingreſſus eſt, omnia redigens in poteſtatem, *reditus Comitis*, *tributa populi & reliqua provinciæ longa pace beatæ bona ſibi vindicans*, omnia more militari, ut in *Germaniâ* conſueverat. In illâ gente durabat adhuc contentio, inter *Comitem & Ordines Civitatemque Embdanam*, quæ paulo altius repetenda videtur. Tranſactio *Delfzilenſis*, de qua *ſuperius* actum, quaſi contra auctoritatem Cæſaris, interventu *Ordinum fœderatorum* inita, ab Imperatore abolita fuerat; Repetitis tamen iiſdem legibus decreto Cæſareos quod à partibus non vi conventionis *Delfzylenſis* ſed conſtitutionis *Rudolphi II.* ſervaretur anno 1597. Sed dein confirmatum & univerſa Reipubl. adminiſtratio comprehenſa eſt ſolenni conventione, *Concordati* titulo, inter *Ennonem* Edzardi filium, Comitem, ac *Ordines & Embdanam* civitatem *anno* 1599. Secundum quæ Comes acceptâ ab Ordinibus & Embdâ fide, dolo & arte civili agendum ratus in hoc totus fuit, ut *Embdam*, arcem libertatis tranſamaſianæ in poteſtatem redigeret. Sed diffidentia inveterata brevi in rixam & bellum erupit, in quo *Comes* ab Imperatore *minis & Edictis*, Populi à Fœderatis *auxilia militum pecuniæque* habuerunt. Ea re *Enno* ſibi quoque *Fœderatorum* favorem arte facundiaque conciliandam putans, *Hagam Batavorum* ipſe profectus eſt. Sed *Fœderati* credentes illum Auſtriacis ſtudere, ſuaque intereſſe judicantes, *Embdam libertate frui*, rem eo deduxerunt, ut præter amneſtiam & reſtitutionem, *renuntiaret juri*

mili-

militem conſcribendi, præter id quod ſatis eſſet præſidii arcibus ſuis cuſtodiendis; *Tributa indicendi*, niſi in *Comitiis Ordinum* decreta, quorum jus ipſi eſſet convocandi; Si rogatus non ca-laret, *Ordinibus* convenire fas & jus foret; *Emda* militum *ſeptingentorum haberet præſidium*, quos Ordines alerent, qui Collegium Adminiſtratorum ærarii cauſa jam pridem habebant; *fas etiam foret Emdanis ſe arbitratu ſuo munire contra vim externam* & quicquid ſoli munitionibus includerent, *ipſorum juriſdictionis eſſet*, pro honorario Comiti dando. Eadem urbs crearet ſuos Magiſtratus à Comite confirmandos, denique Tributa ſuis civibus in uſum proprium imponere poſſet. Cum in has leges utrimque conſenſum eſſet, *Enno* deinde mutato conſilio, ſine Imperatoris auctoritate pacta non valere contendens iis ſtare noluit. Ordines vero & Embdani ſuis rebus in *Comitiis Embdæ* conſtitutis anno 1606. paulatim ſibi rempubl. ſeorſim ſtabiliverunt. Quod ferendum non putans *Enno* cum vi agere inſtitueret, Embdani proceresque fœderatorum, favore ſubſidioque, partes ſuas facile ſuſtinuerunt, ipſamq; Comitis ſedem *Auricam* occuparunt. Quibus rebus factum eſt, ut *Comes*, admiſſis interceſſoribus Fœderatorum legatis, Tranſactione apud *Oſterhuſios factâ*, priores Conventiones denuo ſe promitteret ſervaturum deque futuris ſuper eâ re litigiis in *Fœderatorum Legatos ut Arbitros compromiteret*, anno 1611. ijſque Comes arcem Lehranam provinciæ ſuæ clavem ſub fide

reſtituendi traderet: Atque ab eo temporecontroverſias, quarum nullus etiamnum finis, more judicum Ordines Generales ita plerumque deciderunt, ut Comites ſe vi compulſos ad conſentiendum queſti nunquam ita ſe illis obligatos cediderint, quin omni conatu *parem aliis Germaniæ principibus* poteſtatem in cives ſuos adfectaverint. Cumque à fœderatis nihil æqui, ut ipſis videbatur, impetrarent, *Auſtriacis ac Hiſpanis* reculte favebant, fratres etiam Comitis in illa parte ſerviebant, arcemque *Lehranam* indeſinenter repetebant. Sed *Fœderati*, quorum valde intererat, *Mansfeldii* exercitum eſſe incolumem, ne Cæſareani Hiſpanis juncti ditiones ſuas à parte Germaniæ obverſâ, quâ ſunt imbecillimæ, infeſtarent, cum nec ab *Anglo*, nec à *Gallis* nec aliunde quicquam adhuc adfulgeret, nuſquam melius quam in iſto angulo *Mansfeldium* collocari poſſe videbant. Res enim eſt manifeſta, ſine fœderatorum, ſaltem paucorum, à quibus conſilia pendebant, conſenſu *Mansfeldium* irruptionem illam non fuiſſe auſurum; In illorum etiam fuiſſe manibus, efficere, *ut inde faceſſeret*, quod *Comes & Ordines Tranſamaſani* non precibus ſed clamoribus obteſtabantur. Neque tamen id, antequam *Galli & Angli ad nova Mansfeldio ſubſidia præſtanda parati eſſent*, Fœderati faciendum putarunt, etſi multâ cum invidiâ ab *Angliæ*, *Daniæ*, *Suetiæ* Regibus, præter ipſos patientes, rogitarentur. Sed *Tillio* in agro Monaſterienſi Friſiæ Orientali & *Mansfeldio* imminente,

fieri

fieri non poterat, quin Fœderati huic patrocinarentur: qui interim auctus erat validâ cohorte *Gallicâ ſub Monterello*; Mansfeldio ipſo mox ſtipendiis *Gallicis Venetis & Sabaudicis* conducto, etſi illa res effectum non habuerit. Ad Mansfeldium quoque acceſſit *Chriſtianus Brunſwicenſis* cum reliquiis pulcherrimi exercitus à *Tillio* apud *Statloam*, haud procul Gelriæ finibus cæſi: *Tillius* in Friſiam Orientalem penetrare non potuit, & hæc tandem à *Mansfeldio* in hyeme *anni* 1623 *&* 1624. acceptis Florenorum *trecentis millibus*, quos Fœderati *Tranſamaſanis* mutuo dedere, derelicta eſt.

4. Hactenus externa bellica. In Republ. Fœderatorum *Remonſtrantes* equidem oppreſſi coercitique erant; cœtus tamen religioſi, etſi cum periculo vinculorum & mulctarum, non ceſſabant: neque deerant, qui vim ſibi factam ægerrime ferrent; A rebus tamen novis vi tentandis abſtinuere, niſi quod in *principio anni* 1623. quidam violentioribus ingeniis, quos inter duo filii *Iohannis Oldenbarneveldii*, *Stoutenburgius* & *Groenewoutius*, hic tamen ab altero ſeductus, & nonnulli ab officiis ſuis remoti, cum aliquot Concionatoribus reſtitutionem factionis oppreſſæ à cæde *Mauritii Principis* inchoandam cenſuere; perſuaſis aut corruptis in eam rem pluribus de plebe *Romonſtrantium*; pleriſq; certioribus factis, nonnullis ſimpliciter conductis ad rem notabilem utilemque patriæ. Quorum quatuor pridie quam facinus patrandum erat, *Mauritio* in ſtabulo apud

pud *Riiſwicium* ſignificarunt, ſe ad facinus incertum conductos, Veniſſe rogatum an hoc ipſi conſtaret. Interrogati exactius, locum *Hagæ* conjuratis adſignatum demonſtrarunt: ubi mox ciſta cum ſclopetis aliique reperti conſortes; Et conſequenter *omnis detecta conſpiratio*, plerique etiam auctores & participes capti; interque eos *Groenewoutius* in littore fugiens, cum piſcatoriâ cymbâ, metu maris, offerente operam piſcatore, ſe recipere noluiſſet. *Stoutenburgius* longe nocentior evaſit. Examinatis reis, conſilium ſatis crudum nec tam à callidis quam iratis hominibus digeſtum apparuit; non illo delectu nec inſtructione miniſtrorum, *qualem tantæ rei momentum & ſecretum requirebat.* Numerus etiam major, quam ad unius cædem in adſcenſu vel deſcenſu è curru, ut erat conſtitutum, peragendam opus eſſet. Nemo etiam auctorum, operi manum admovere paratus fuerat: Longe ſolertius hac parte *Jeſuitæ ſingulorum animos* ſumunt elaborandos, ut in *Henrico III. Quarto & Mauritii patre inſtituerunt.* Etſi autem hæc fœda conſpiratio & crebra ſupplicia totam *Remonſtrantium* ſectam funeſtaverant, perſecutio tamen illorum ab hoc tempore non incruduit, ſed obſoleſcente paulatim odio partium, *cœtus eorum nullâ quidem veniâ publicè datâ*, ſed conniventiâ Magiſtratuum ſine moleſtia paſſim habiti & celebrati ſunt.

5. Per hyemem anni 1623. *& ſubſequentis* quæ fuit aſpera, fluviis & paludibus congelatis, Hiſpani Duce Bergenſi Comite, tranſmiſſo *Iſalâ* in

Vela-

Velaviam penetrarunt, latè ſparſo terrore, equitatu numeroque fœderatis longè ſuperiores; ſed nec ullum pedem figere, neque *Velaviam* inopem regionem, prohibiti frigore nivibuſque excedere potuerunt, brevique remiſſo gelu ad ſua redire coacti ſunt. Quia vero tunc Imperatoris arma in *Germania* vireſque *Hiſpanorum* maxime florebant, Fœderati ſatis habebant, limites ſuos tueri, *non ſine metu in longitudinem*. Neque adhuc in animum induxerant, vires ſollicitare ſuas & populis imponere quicquid eos ferre poſſe deinceps experimento compertum eſt, multo minus obligare ſe pecuniis, quarum vis immenſa latebat in populis ſuis, fœnori ſumendis, *quemadmodum poſtea ſine fine modoque factum eſt*. Mauritius non minus de ſuo quam de publico frugalis erat. ſumptus faciendos diligenter cum vectigalibus Reipubl. comparans, ut expeditiones ſuas ad utilitatem Patriæ magis quam ad gloriam ſuam, *de qua ſæpe cum reſpectu ſalutis publicæ tranſegit*, inſtituens. Et tamen ita, hoc ipſo tempore multa egregia parſimoniæ publicæ inſtituta in uſum deducta ſunt; etiam in contributiones hoſtiles earumque erogationes ſerio inquiſitum; quæ rationes poſt obitum Mauritii non parum immutatæ ſunt.

6. At tum quidem *Jacobus Rex* à deluſionibus *Hiſpanicis* experrectus & *Gallus* ad animum revocans enormem Auſtriacæ domus potentiam, præter auxilia *Mansfeldio & Chriſtiano Brunswicenſi* præbita; cum Belgis Ordinibus fœdera con-

traxere; Jacobus *Londini die* v. *Junii* 1624. promiſit *ſex millia peditum ſuo ſumptu* conſcribendos alendoſque, ad biennium & quouſque non eſſet renuntiatum, *ſub lege reddendi pecunias certis penſionibus, poſt inducias aut pacem initam*, ac interim, ſi quis Angliæ bellum inferret, *quatuor millium auxilio* ſubvenirent. Gallus tractatu *Compiegnii* facto promiſit in annum 1624. *duodecim millia librarum* Turonenſium & in duos ſequentes annos *dena librarum millia*, *ſub lege reſtituendi poſt initam pacem aut inducias*; quas ſine *certificatione ac interventu Majeſtatis ſuæ facere non liceret*, Galli voluiſſent adjectum, *ſine conſenſu*, quod ſtudioſe a Legatis evitatum eſt: hæc *die* x *Junii* 1624. Fœderati tamen hisquoque ſubſidiis inſtructi, viribus hoſti longe inferiores, nonniſi de avertendo ejus impetu cogitabant. Quippe *Germaniâ* ab Imperatore ſubjectâ, nullus Auſtriacæ domus hoſtis in mundo erat, quam Belgæ fœderati; adhuc nihilominus mari prævalentes, auſi hoc ipſo anno Trompio Thalaſſiarchæ mandare, *quarumvis gentium naves, portus Flandricos petentes ſine exceptione mercium, in ſuam poteſtatem*, *nullam tamen in fiſcum redigere*, *niſi quæ res bellici uſus portarent*, idque eo modo ſtrenuè adminiſtratum & vindicatum eſt.

7. Spinola cum Hiſpano exercitu prodiens in campos, partem ejus ſub *Bergenſi Comite* apud Rhenum, ipſe cum alterâ parte majori *in Brabantiâ* conſidebat, anceps conſilii, de *Bredâ* cogitans obſidendâ, urbe munitiſſimâ; At

exem-

exemplo *Montium* ſuperioris anni deterritus & ſimul vindictæ cupiditate inflammatus in diverſa trahebatur. Sed quia *Bergenſis Comes* ſpem faciliorem aliorum *acquaſtuum*, poſtremo *Graviæ* capiendæ prope certam fecerat, eâ re factum eſt, ut in *Auguſtum uſque menſem* nihil agendo cunctatus ſit, vir alioqui minime cunctator. Ergo cinxit obſidione *Bredam*, nihil minus expectante nec tamen ſibi non gratulante *Mauritio*, quod ita exiſtimaret, *æſtate præcipiti inchoatam obſidionem urbis inter Europæ munitiſſimas habitæ, ante hyemem abſolvi non poſſe; at hyemis incommoda nullo modo ferenda Hiſpanis*, quibus & petendi è longinquo commeatus intercludi poſſent; præter quod urbs interea vel vi, vel, *quod toties bene ceſſerat Mauritio, diverſa* expeditione vel obſidione liberari poſſet. Etſi autem potentiſſimum Spinola exercitum, ſatiſque ſpatii ad munienda caſtra habuerat, ſpem tamen victoriæ non in oppugnando ſed in fame urbis inſtructiſſimæ expectanda, procul ab hodierno rei militaris inſtituto, conſtituebat: Eâ gratiâ ſtruendis operibus lineiſque munitis quorum primus circuitus *triginta millia*, ſecundus *quinquaginta duo millia* paſſuum excedebat, caſtra ſua firmavit; Cujuſmodi munitionis exemplum adhuc non extiterat; ſiquidem *Pompeji & Cæſaris* Caſtra *apud Dyrrachium*, quæ Veteres ob magnitudinem mirati ſunt, ultra *quindecim & octodecim millia* paſſuum non extendebantur. *Mauritius* Caſtra Spinolæ videns inſupera-

perabilia, convertit animum ad *Antwerpiam* urbem ſatis modico præſidio male tutam, per inſidias occupandam, in quarum ordine ſtructurâque tantum fiduciæ poſuiſſe fertur, ut apud ſuos prædicaſſe dicatur; ad rem gerendam ſe proficiſci, *cujus ſucceſſum nemo niſi Deus impedire poſſet*; quemadmodum accidit; ut cum milites ſuperatâ Caſtelli foſſâ, jam ſcalas muris admoverent, ſubito vehementi ortâ tempeſtate, neque pontones naviculis inſtrati conſiſterent neque ſcalis uti poſſent, ideoque detecti retrocedere cogerentur. *Carolo Lamberto* Neomagi Præfecto felicius ceſſit *Gochi* in Cliviâ oppidi expugnatio æque per inſidias facta; ſed minime tanti momenti, ut Spinolam Bredâ poſſet avertere. *Juſtinus à Naſſavia* Wilhelmi Principis Arauſienſis filius nothus, *Bredæ* præfectus extrema diræ famis ad *initium Junii menſis* toleravit: Quando omnibus fruſtra tentatis, etiam Mansfeldio, cum novis ſuis copiis in Angliâ Galliâque conſcriptis, ſed adverſis tempeſtatibus valde adflictis, in partes vocato, Conditiones honorificæ obſeſſis indultæ fuerunt, die 2 *Junii* 1625. Poſtquam *Mauritius* Princeps ſcirrho lienis & febri lentâ confectus, accedente, ſicut vulgo creditum, animi dolore, quod *Bredam*, quæ valde ipſi ad animum pertinebat, *liberare non poſſet*, tranquilla morte extinctus erat Hagæ *a. d.* VII *Kalend. Maji* anno ætatis LVIII. cujus elogium res geſtæ relatæque luculentum faciunt. Heredem ex aſſe reliquit fratrem con-

conſanguineum & unicum *Henricum Fridericum*; Æmiliâ ſorore Germanâ, quæ ſine ejus voluntate nupſerat olim *Principi Portugalliæ*, filio *Antonii* nothi, qui ſe legitimum *Portugalliæ* heredem geſſerat, valde modicis adſperſâ Legatis. Quæ non ferens hanc contumeliam ſponte ſolum vertit, electo exilii loco voluntarii, *Geneva*, in cujus viciniâ caſtellum, nummis ex Hollandiâ ablatis, emerat. Ibi cum filiabus in re pro natalibus anguſtâ, pie & modeſtè vitam exegit, contemptum fratrùm ulta generoſo contemptu rerum hujus mundi, quas inconſulto conjugio perdiderat. Vir ejus, uxore relictâ, *Bruxellam* conceſſit, ibique ſtipendio Regis Hiſpaniæ conſenuit, nec Filii duo fortunam domus amplificarunt.

9. Non eſt prætereundum hoc loco, Societatem *Indiæ Occidentalis*, ut dicitur, quæ ſtatim ab exitu Induciarum à Privatis cum *jure Privilegioque publico*, exercendi, præcluſis aliis, Mercaturam intra certos *Africæ & Americæ* terminos inſtituta fuerat, anno ſuperiore ingenti ſucceſſu & incredibili audaciâ cepiſſe *portum omnium Sanctorum* & Civitatem à *Salvatore* appellatam, potentem & opibus refertam, ductu *Jacobi Willekens* & *Petri Heinii*, qui ſtupendæ fortitudinis exemplum non minore Luſitanorum vecordia dederunt. Cum autem illi inde receſſiſſent, militiâ terreſtri *ad duo millia* cum aliquot navibus ad præſidium urbis relictâ, ſub Duce *Johanne Dorth*, rebus omnibus ad defenſionem

neceſſariis abunde inſtructus, accidit, ut *Dortio* in quadam eruptione à barbaris interfecto, dux ei ſurrogatus *Allardus Schoutenius* minus recte conſuleret, longeque deterius, illo mortuo, frater ejus *Wilhelmus*, omnibus vitiis coopertus. Quamprimum igitur potens ex *Hiſpania* claſſis Duce *Friderico Toletano* Urbem mari terrâque cinxiſſet, milites Duce nihilo meliores, ſeditione motâ *Kyvium* centurionem, loco *Schoutenii*, quem oderant, elegere Præfectum. Et tum pariter, *etſi nihil ad defenſionis copiam deeſſet*, auxiliumque è Patriâ validiſſimum appropinquare ſcirent, *urbem Hiſpanis flagitioſiſſime tradiderunt*, *Kalendis Maj.* 1625.

CAP. XVII.

De Belgicis rebus inde poſt obitum Principis Mauritii, ad annum 1629.

M*Auritius* Princeps, etſi omnium in Republ. potens adeo tamen de libertate Reipubl. opprimendâ non cogitavit, ut ne quidem *Gubernatoris functionem Hereditariam* facere curæ habuerit. Fuerat Pater ejus Philippi Regis in *Hollandia Zeelandia & Ultrajectinâ* ditione *Legatus*, cum juriſdictione & imperio, quem Stadthouder/ id eſt, *Locum tenentem* vocabant; qui pleraque Comitis jura, *quæ in ordinariâ Reip. adminiſtratione conſiſterent*, *dependenter à Rege Comite* tanquam domino, per ejus abſentiam exercebat. Rege ceu Comite abdicato, jus ejus ad *Ordines* relap-

lapſum, ab his iterum abſque dignitate Comitis *Wilhelmo* Arauſienſi ſub titulo *Summæ poteſtatis* delatum fuerat. Illo mortuo, *quod Regis fuerat, ad Ordines reverſum*; quod Legati habuerant, *Mauritio* datum atque permiſſum eſt. Ordines ſive *Optimates* dulcedine imperii, *adoleſcente Mauritio*, ineſcati, progreſſu temporis, quantum de ſummæ poteſtatis exercitio, tali Legato conſtituto, cui *eſſet facultas militibus imperia diſtribuendi*, quod jus *patentium* vocant, decederat haud ſegniter animadverterunt; maxime cum Mauritius ætate judicioque maturior animum propius ad Rempubl. advertiſſet. Ideo factis induciis, id egerunt, *ut vis ejus poteſtatis infringeretur*, aut obſoleſceret, quod & *Mauritius* probè intelligere viſus eſt. Nec dubitandum, quin ſi duraſſent optimates, defuncto *Mauritio*, pleraque *regalia poteſtati Gubernatoris ſubducturi* fuiſſent. Novi Rectores è diversâ factione adſciti & Concionatores idem cum illis ſentientes fiduciâ & *adfectu erga domum Naſſoviam*, ejuſque præſidio adverſus optimates antiquos emergendi occaſiones iterum quærentes, unicè freti, ſine hæſitatione *jus integrum*, ut erat exercitum, *Gubernatoris*, (hoc nomen, omiſſo *Stadthouderi* vocabulo, quaſi poſt Regem ſupervacuo, ſolum placuerat, etſi prius illud minime tamen obſolevit,) *Henrico Friderico* fratri & heredi unico *Mauritii* detulerunt: Etſi non ignorabant, eum ſemper eſſe habitum fautorem *Remonſtrantium*, qui in illo non obſcure ſpem recuperandi Rempubl.

publ. collocabant. Nihil tamen potius erat quod illi agerent & de prudentiâ *Henrici*, qui ſummo ſtudio Procerum voluntatem ſibi conciliaverat, optima quæque ſperabant: Quam opinionem ſicut domi militiæque luculenter implevit, ita *nec Remonſtrantium expectationem omnino fefellit*; paſſus operamque dans, ut paulatim ad Regimenta ſurreperent, iiſque plurimùm indulgens, qui viciſſim non ceſſabant ejus gratiam aucupari eique in omnibus obſequi. Ut *ita præſenti quidem potentiæ, diviſos habens Proceres. egregie, in longitudinem minus provide conſuleret.* Nam *Remon. monſtrantes* utcumque Reip. ejus favore denuo admoti, tamen ingentes iras de injuriis ſibi factis, contra factionem contrariam & *Poteſtatem unde vis executionis fuerat*, alto animo repoſtas habebant. quas & ſtatim perſecutione concionatorum pro partibus fervidiorum & deinceps adverſus *ipſum Gubernatoris officium*, quod peroſi erant, exercuerunt. Juxta *Hollandiam*, *Zeelandi*, ut ſemper, HENRICUM pariter ſuum agnovere Præfectum, ut & reliquæ gentes fœderatæ, exceptis *Groeninganiis & Omlandis*, qui *Erneſtum* Friſiæ Gubernatorem elegerunt, viciniæ causâ, & ne Præfectura generalis in uno, Reipubl. juri gravior eſſet aut fieret.

2. Sicut autem Hiſpanorum initia etſi infra ſpem ipſorum, tamen *prævalida fuerant* terreſtri bello, ſic etiam mari fœderatorum res minus ſecundo vento procedebant, *Dunkerkanis maxime navigationes è Propinquo infeſtantibus.* Unde que-

querelæ populi, quæ tum, ut res erant, ſperari non poterant, Rectoribus è plebe noviter adſcitis; quibus exauctorati, ut par erat, iniqui, rumores alebant, *quaſi indiligentius quam antea res curarentur*. Unde viſum, ut ad probandam populo ſeveritatem, *Adſeſſores* quidam & miniſtri *Admiralitatis* imprimis *Roterodami* corriperentur & damnati repetundarum male mulctarentur. *Infelices præ cæteris potius quam noxii ſoli*, qui neque ceſſaverant alios ſimilium arguere maleficiorum. Unde ſiniſtri rumores aucti potius quam extincti & Inquiſitio abrupta, animadverſo, nihil eâ profici, *quam ut palam conſtaret, quibus flagitiis impar eſſet Reſpublica*.

3. Bellici autem motus hæc civilia brevi obruerunt. Hiſpani ſumptuoſiſſimis *Montium* & *Bredæ* obſidionibus exhauſti pecuniis, quarum defectu inde ab hoc tempore laborare cœperunt, *Henrico* Principi gloriæ avido pulchram in armis excellendi occaſionem præbuerunt. In Republ. non deerant, *qui parta tueri, quam nova conquirere ſatius ducerent*, experti, reditus publicos ſuperioribus annis longe infrà ſumptus neceſſariæ defenſionis ſubſtitiſſe, multumque æris alieni contractum, quod, ſi per hoſtem liceret, *aliquot annorum quiete redimi poſſet*, *Offenſivo* bello novis millionibus accumulandum. At hac ratione ſpecioſe refutata, decretum eſt, occaſione utendum, blandientibus Principi, non modo, qui gratiâ illius nitebantur, ſed etiam ex *Remonſtrantium* ſchola *Proſelytis*, dum res ſuas conſtabilirent.

 4. Pri-

4. Primo igitur placuit, invadere ea quæ Hiſpani *trans Rhenum adhuc tenebant*; quæ ſi maxime ſumptibus parcere viſum fuiſſet, operæ pretium eſſet rapi: cum hac parte fœderatorum ditiones *Germaniæ in longitudinem prætextæ* terreſtri bello maximè pateant. Unde ſatis conſtat, ſi Hiſpani pridem totis viribus in illas partes incubuiſſent pecuniaſque apud Montes & Bredam effuſas, illo tempore, quo Cæſareani in Germania nullum habentes hoſtem, illis opem è vicinia ferre poterant, *bello transrhenano* impendiſſent, Fœderatorum res in maximas adduci potuiſſe anguſtias. Nunc autem Hiſpanis languentibus, *Cæſareanis Danico* bello diſtractis, facile ceſſit *Oldenzalia*, Sedes transrhenani *Hiſpanorum imperii*, ab *Erneſto* Comite, Friſiæ Gubernatore excitatiſſimi viro ingenii ſexto die ad deditionem compulſa, munitionibus, *ut ſupervacua fœderatis cuſtodiæ*, dejectis & complanatis; actum *Kalendis Auguſti*. Plus, excitatis Hiſpanis, hac æſtate perfici non potuit. Sed viribus fere æqualibus, & caſtris in *Brabantia* comparatis, dum alter alterius motus obſervaret, tempus parvis commiſſionibus aut nihil agendo tranſactum, neutris ſummam rei præliis, ut in Germania moris erat, committere volentibus: Donec utrimque *in hiberna retrocedere opportunum fuit*. HENRICO Principe jam pridem filio, cui *Wilhelmo nomen*, aucto, ex *Amelia* Comite Solmenſi, quam corporis & animi dotibus egregiam, ſtirpe licet imparem, fratre adhuc ſuperſti-

ſtite ſibi deſponderat, eoque ut ajunt, impellente, in uxorem duxerat.

4. Conſilium *transrhenanæ ditionis ab Hiſpanis liberandæ* ſequenti anno continuatum eſt, obſeſſa captâque poſt obſidionem menſtruam, exercitu coram Hiſpano, viribus adhuc ſuperiore, *Grollâ*, quam bis olim *Mauritius* obſederat, primo à *Mondragonio*, dein à *Spinola*, ſubducere ſe coactus. Meruit ea res admirationem, quod *Fœderati* Hiſpanicam vim ubique *Europæ* victricem & magis quam unquam terribilem *offenſiva* expeditione laceſſere auderent, idque ſine ullius Principis ſubſidiis, quæ *Galli* hoc ipſo anno recuſaverant, dum ipſi Belgæ Danos alioſque pecuniis ſublevarent. Nec tamen ſine gravi ſenſu oneris, ſub quo gentes fœderatæ gemebant, hæc gloria comparata eſt, quas inter Friſia poſt Hollandiam plurimum in rem communem conferens, ſatis impedita erat, non *ſufficientibus ad onera publica vectigalibus receptis*, nec auſis Proceribus indicere nova, metu plebis, à qua nonnulli, cenſentes opus eſſe novis tributis, male fuerant habiti, & cum deinde Gubernator *Erneſtus* introducto Leovardiam milite, in ſeditioſos animadvertere vellet, graviore tumultu per omnem provinciam excitato, de novis vectigalibus nihil obtineri potuit, *anno* 1626. Perterritis etiam *Friſiæ* Proceribus metu *Reformationis*, quam Patroni plebis in regimine publico moliebantur, propoſitis ea de re multis *gravaminibus*, contra *Prætorum* imprimis *oligarchiam*, cauto inter

ter alia, *ne ſinguli plus uno Reipubl. officio fungerentur*; quæ Ordines ſedandæ plebis cauſa reſcriptis ſuis permittere & ſancire voluerunt, *de obſervandis, ut ſit, ſanctionibus illis temporum rationem* ſequuturi.

5. Fuit etiam de Friſia *Orientali* Embdaque civitate adverſus *Cæſareanos*, qui hiberna ibi occupaverant, multa deliberatio, & *Embdanis*, qui inter ſe diſcordes, *Neutralitatis* ergo, reſpectu fœderatorum quandoque nutabant, proſpectum ampliore Præſidio; quemadmodum & *Arci Lehranæ*, de qua hoc tempore non fuit dubitatum, quin ſervanda diligenter *nec Comiti*, quod is ſæpe rogaverat, ex *veteri pacto* reſtituenda foret. Data eſt omnis opera, ut Cæſareanis commeatus terra marique, præterquam è terris Imperii, intercluderentur, omniaque *hoſtili animo*, *ſed cuncta ſine demonſtratione belli*, quod cum Cæſare vel Imperio Fœderati nunquam habuerunt. Eo tempore Gaiaſſii tribuni Cæſareani legatus epulo exceptus à Comite *Rudolpho Chriſtiano*, qui Ennoni Patri ante triennium ſucceſſerat, fortuita rixa Comitem in oculo percuſſum interfecit, *hoc anno* 1628. cum ipſe ageret annum ætatis XXVI, ſucceſſorem nactus *Vlricum* fratrem.

6. Idem annus MDCXXVIII. lætus fuit Belgis, capta ad *Cubæ* litora Hiſpanorum claſſe *Americanâ*, *menſe Auguſto*, ductu *Petri Heinſii* thalaſſiarchæ ſocietatis *Indiæ Occidentalis*, cui ceſſit præda, quatenus in publi-

cum

cum relata fuit, æſtimata in auro & argento *undecim millionibus* cum dimidio, præter alias merces quam plurimas & inter eas argento quaſdam meliores. Ad quas ſpectandas cum vicinia undique ſuis ſedibus excita conflueret, *Fredericus Palatinus* Ex rege *Bohæmiæ*, cum filio primogenito feſtinans, in lacu *Harlemenſi*, nave ſubverſa, ipſe quidem ægre ſervatus filium alioſque amiſit; quos inter unum ferunt, *amiſſæ aliquandudum uxoris effigiem in ſinu geſtantem*, cum hæc ei poſt aliquot ſeptimanas reperto *ſubduceretur*, *copioſum à naribus emiſiſſe ſanguinem:* Ita fortuna optimum Principem inter amicos etiam fideliſſimos immiſericorditer inſectabatur. Indica Societas hoc fortunæ beneficio luxurioſius uſa ſingulis Sociis *quinquagenos pro centum ſortis quam contulerant*, diſtribuit, aliter quam *Societas Orientalis* conſuluerat, quæ initia licet proſpera, modicis reditibus proſequuta Sortem prudenter auxerat, ut fortunæ tranſverſaria facilius ſuſtineret, quibus Occidentalis illa deinceps impacta reſiſtere non potuit. Hæc *anno* 1628, quo à bellicis motibus quies fuit; ſed HENRICUS Princeps *Amſtelodamum* profectus, auctoritate ſua, deductis etiam in urbem aliquot militum cohortibus, poteſtatem Magiſtratuum, quorum major pars *Remonſtrantium* factionis erat, firmavit & conſtabilivit, adverſus *Contraremonſtrantes*, qui jura plebis contra Optimates excitabant; *oppreſſa factione plebis*, quibuſdam ex illis etiam urbe ejectis, *contra vetera Gubernato-*

rum inſtituta, qui plebem, ne res confunderet, cohibere contenti, in cæteris eos enixè ſibi conciliaverant, *ut haberent quos optimatibus in ſe contumacioribus opponerent.* Tum quidem Princeps ea ratione Civitatem *duplo plus, quam ditiſſima poſt Hollandiam provincia*, contribuentem, ſibi totam obſtrinxit, ut ad expeditiones, quas in animo habebat *viribus nationum majores*, exemplo ſuo reliquas urbes & populos excitaret; à quibus plerique non immerito alioquin abhorrebant.

CAP. XVIII.

De rebus Belgicis ab anno 1629 *ad annum* 1632.

IGitur anno ſequenti 1629. inductis ad conſenſum nationibus auctiſque militum, maxime copiis peditum, *Sylvam Ducis*, arte naturâque ſitûs, inter *paucas Europæ, civitatem munitiſſimam* & è quatuor unam in *Brabantiâ* Principem, initio *Maij* menſis gravi obſidione cinxit & omni arte, vi ſumptuque immenſo, exhauſtis paludibus, foris etiam caſtris accuratiſſime munitis, oppugnavit. Hiſpani pecuniæ inopiâ, è clade claſſis Americanæ, tardius in campos prodeuntes, cum obſidionem ſolvere ſe non poſſe viderent, neque tamen urbem tanti valoris amittere vellent, à *Cæſare per Germaniam victorioſo* ingens auxilium impetrarunt; ad commune *domus Auſtriacæ* dedecus attinere dictitantes, ſi tantam parvæ Reipubl. audaciam eo tempore, *quo fracto pacemque peten-*

petente Dano, nullum alium hoſtem habebant, non cohiberent. Ergo *Bergenſis Comes* præcipiti Julio in *Velaviam*, trajecto *Rheno*, foſſâque Druſianâ tranſmiſit exercitum, prædicans, ſe *Hollandiam* & *Friſiam*, in quas inde patebat aditus, ſimul invaſurum, bellique incendium duplici ruinâ reſtincturum. Non meminerant fœderati, hoſtes flumina, quibus provinciæ ſuæ prætexuntur, æſtate media juſto cum exercitu eſſe tranſgreſſos, *adſuefacti à Mauritio tutis imperiis & nihil periclitari*; ideoque tantus auditu primo terror omnes populos invaſit, ut omnia periiſſe putatarent, *niſi Princeps Sylvâ Ducis omiſſa*, vim ultimam â patriæ meditullio averteret, idque nec aliter jam tuto vel decorè quam prælio ſummo adminiſtrari poſſe videbatur. Sed ut magnæ expeditiones magnas ſemper habent difficultates, *Henricus Bergenſis* expectandis *Veſalia* commeatibus & copiis omnibus, tantum moræ neceſſario fecit, ut Proceres animos recipere & obfirmare, vireſque Reipubl. univerſas, quæ *nunquam majores demonſtrata fuerant*, explicare potuerint, exercitu *tredecim fere millium*, ſub *Erneſto* Comite, immotis, licet imminutis ad *Sylvam* caſtris, apud *Rhenum* collecto. Sed hoſtis relictâ fere tertiâ copiarum parte apud trajectum ſuum probe munitum, cum duobus exercitibus progrediebatur. Altero *Erneſtus Montiſcuculi Comes*, Dux *Cæſareanus*, undecim peditum millia, triginta equitum turmas & undecim majora tormenta ducebat. Altero *Comes Salazartus & Dul-*

kenius decem millium explebant numerum machinaſque novem bellicas habebant. In univerſum *triginta peditum, ſeptem equitum millia tunc erant in Velavia*, quibus Henricus *Bergenſis* ſummo imperio præpoſitus in omnes curam ſuam partiebatur. Sed non erant inſtructi rebus ad obſidiones neceſſariis. Ideoque licet *Amersfurtum Montiſcuculi* Comes, vecordiâ Præfecti, ſine difficultate redegiſſet in poteſtatem, quod is Civitatem ampliore circuitu male munitam & inſtructam defendi non poſſe crederet, *Hattemum* tamen alter exercitus, oppidum parvum ſed melius inſtructum & animatum deſerere coactus eſt, irâ in agros & paganos, incendiis omnique vaſtitatis genere exercitâ: Donec *Veſaliâ* ex inſidiis *Auguſto medio captâ*, brevi quicquid occupaverant, omittere ſeque in tutum recipere cogerentur. Inſidiis *iſtis* occaſionem dederat Hiſpani urbis præfecti negligentia, qui ſpatium turris dejectæ in mœnibus aggere valloque munire aggreſſus ſepto clauſum ligneo diutius quam infeſto tempore par eſſet, reliquerat; quam occaſionem cum cives aliquot *Ottoni Gentio*, *Diedenſi Domino* & hic *Arauſienſi Principi* detexiſſent, ejus juſſu rem feliciter executi ſunt. Erat autem receptus *Veſalia* Hiſpani exercitus, & *horreum, ſine quo trans Rhenum durare non poterat*. Sequuta *menſe Septembri Sylvæ Ducis* deditio, gloriam Principis Arauſienſis & lætitiam populorum abſolvit, quæ tamen Reipubl. magno conſtitit, ut ex eo colligi poteſt,

quod

quod hac æſtate in armis ſtipendioque habuit *centum & viginti millia ſupra octingentos & ſeptuaginta milites*, & hac proportione reliquum.

2. Tam gravi experientiâ *Hiſpani Belgas fœderatos vi armata ſubjugari à ſe non poſſe* pecuniaſque ſuas & vim monarchiæ inutiliter conſumi videntes; ita, quod pridem oportuerat, in animum induxere; ſi vires cum Imperatore, *Germaniæ in officio continendæ*, conjungerent, ibique Imperium Domus ſuæ vi ſolida ſtabilirent, fore ut *Belgas meliore ſucceſſu deinceps invaderent*; Ideo inducias viginti vel trigintaquatuor annorum *iiſdem*, *quibus antea*, *conditionibus* Principi Ordinibuſque propoſuerunt. Nec ratio Fœderatos Ordines ab hoc inſtituto alienare poterat, *glorioſa poſt tot victorias pace futurâ* & imprimis utili ad refovendos quiete populos ſolvendumque æs alienum ingens, quo noviſſimæ expeditiones Rempubl. illigaverant: Neque Princeps inducias diſſuadebat. Sed multitudini, *exceptis Remonſtrantibus*, inradicata erat opinio ex odio gentis & Religionis, *pacem cum Hiſpanis quovis bello Belgis eſſe deteriorem*. Accedebat ſtudium erigendi proſtratam in *Germania Proteſtantium cauſam*, qui ab *Anglis* deſerti hac pace ab omni ſpe res ſuas unquam reſtituendi dejicerentur, *Guſtavo Adolpho* tum necdum manifeſtato, idque non modo religionis amore & miſeratione, ſed etiam metu, *ne quandoque vis omnis Auſtriaca in Belgas fœderatos incumberet*. Præcidit omnem moram Galliæ Regis interceſ-

 ſio,

ſio, qui jam motibus inteſtinis liberatus habebat in animo *Auſtriacæ Domus* potentiam labefactare; Quod conſilium pace vel induciis Belgicis paulo minus quam deſtructum fuiſſet. Ideo fœdere contracto, promiſit *decies centena millia librarum francicarum* quotannis, hac lege, *Ne Ordines pacem aut inducias ſine Regis notitia vel conſilio* intra ſeptem annos proximos inirent.

3. Sequens tamen annus ab expeditione terreſtri otium habuit, partibus etſi nondum *ſatiatis* bello, *fatigatis* tamen & exhauſtis; Quanquam *Americana* Societas prædâ velleris aurei ditata, claſſe adverſus *Braſiliam* inſtructâ *Olindam* Civitatem & *Fernambucum* aliaque Caſtella in poteſtatem redegit. *Johannes* etiam *Naſſavius* ſtipendia ſub Hiſpano faciens maritimâ expeditione ſuſceptâ, ut aliquem inter *Hollandiam* & *Zeelandiam* locum muniret ac quotidianam è propinquo navigationem infeſtaret, in brevia impactus & ab hoſtili claſſe circumventus ſuam amiſit & ægre cum paucis evaſit, *menſe Septembri*. Sequens æſtas irrita Principis in *Flandriam* contra *Brugas* expeditione parvisque commiſſionibus tranſiit. At Domi *Tranſiſalani* ex fœderatis gentibus una, Jurisdictionem & Imperium, quam *Princeps Arauſienſis* ab ipſis tenebat, ſolenni decreto in filium ejus *quintum ætatis annum agentem* tranſtulerunt, exercendum, *ubi Pater res humanas*, quod ſero fieri cuperent, reliquiſſet. Exemplum *Hollandiæ*, *Zeelandiæ*, *Gel-*

riæ.

ria cæteræque gentes, à quibus Arauſienſis Præfecturam acceperat, ſequutæ ſunt. Friſii paulo poſt in gratiam *Erneſti* Gubernatoris ſui pari favore dignati ſunt *Henricum Caſimirum*, ejus filium, qui jam adultus hoc ipſo anno 1632. Patre apud Ruremundam ictu globi hoſtilis è vivis ſublato, ſuæ poteſtatis exercitium Domi militiæque accepit, Egregii Parentis Succeſſor minime degener.

4. Princeps autem biennio *tantum non otioſe* tranſacto, movit Reipubl. lacertos & poſtquam in *ſuperiori Gelriâ*, quæ partium eſt Hiſpanicarum, *Venloam, Stralam, Ruremundam* occupavit, *Trajectum ad Moſam*, magni urbem momenti & Reipubl. fines ad communicationem cum *Gallia* & *Germania CisRhenana* producturam obſidione cinxit, *initio menſis Junii*; quando ſimul ex prævio pacto *Henricus Bergenſis* Comes, qui per annos XL. Hiſpanis ſervierat & ſex fratres in eorum ſtipendiis, *etſi Principum Arauſienſium erant conſobrini*, amiſerat, ab *Hiſpanis* defecit, eâ re confirmans horum ſuſpicionem, quod *jam inde ab anno* 1629, *imo inde ab obſidione Bredana, cum fœderatis colluſiſſet.* Ejus quidem conatus, etſi militem cum *Warfuſæo* Comite, qui pariter defecerat, conſcribere cœperat, in irritum ceſſit. Arauſienſis verò munitiſſimam urbem intra *trimeſtre ſpatium*, frendentibus *Hiſpanis & Cæſareanis*, quorum illi ſub Marchione *Sanctæ Crucis*, hi ſub *Papenheimio* ad ſolvendam obſidionem cum magnis exercitibus, fœderatorum Caſtris adſederant,

compulit ad deditionem. Papenhemius infectâ, ſaltem intentatâ re digredi nolens, Arauſienſis caſtra vi ſumma, medio Auguſto, perrumpere voluit, *irrito & cruento conatu*, Hiſpanis interim ut inceptum reputantibus deſperatum, quieſcentibus. Hujus acceſſio victoriæ fuit *Limburgum* die VIII. *Septembris*, cum ſuo territorio Ducatus & unius è XVII. Belgicis Provinciis honorem locumque tenens. Quibus ſucceſſibus & diſſenſionibus inteſtinis, *Papenheimio quoque digreſſo*, tantum adverſæ partis populos invaſit terror, ut de pace vel induciis nomine *Ordinum Provinciarum Hiſpanis parentium* ſeorſim ab Hiſpanis incundâ ſerio ſit actum: Nec dubitatum, quin Fœderatis in promptu fuiſſet accipere, conditiones amplas & honorificas, ſi voluiſſent. Sed invictâ populorum diffidentiâ & diſſenſione factum eſt, ut *pulcherrima finiendi bellum & immenſos ſumptus vitandaque Gallorum vicinia*, *Hiſpanica multo gravioris* futuræ, occaſio negligeretur.

5. Hujus culpæ partem aliquam ſuſtinuere *Friſii* in hac pace repudiandâ promptiores *quam in oneribus belli ferendis*. Quæ cum ſine novis vectigalibus & tributis nullo modo explere poſſent, adſiduoque ab *Ordinibus* Generalibus de ſuis defectibus ſupplendis monerentur, haud ſatis cum fructu, hujus anni Principio miſſi ſunt in *Friſiam* legati, cum militari præſidio ad πειθανάγκην admovendam; hac ratione, quod *ante aliquot annos* cum ſimili de causâ *Ordinum Generalium* Legati eſſent *Leovardiæ*, plebs illos ut novorum one-

onerum auctores, male habuiſſet & mox fœda ſeditio per omnem provinciam graſſata fuiſſet. Id tamen actum hac Legatione, ut novorum ratio vectigalium, *de qua Civitates & Agri convenire non potuerant*, ad tempus conſtitueretur, quæ tamen poſtea rurſus diſſiliit & majoribus cauſam malis præbuit, libertate gentis etſi majore quam forſan ipſi expediret, haud parum deinceps attrita: cujus tum quidem ſatis adhuc erat tenax; & cujus adverſus ipſum *Arauſienſem* tuendæ ſtudio, miſſis *Groningam* legatis id egerunt, ut Groningani Omlandique *Henricum* potius Ernesti filium, quam Arauſienſem Principem eligerent. Ipſi etiam decrevere mandatoque ſui Præfecti, quod & à Groninganis factum, inſeruerunt, *Superſtite Gubernatore ſuo fas non fore Surrogationem petere Succeſſoris.* Cujuſmodi clauſulæ derogatoriæ tantum valent, quantum tempora deinceps tulerint, ut hac etiam parte res poſtea demonſtravit.

CAP. XVIII.

De rebus Turcarum.

TUrcarum rebus anno MDCXIX præpoſitus erat *Oſmanus* tredecennis puer, *Achmetis filius*, ingenii ſatis excitati & imperioſi, verum ætate judicioque ad auctoritatem in militari imperio acquirendam minus, ut res docuit, factus. Bellum *Perſicum* adhuc continuabatur, ſed prælio graviſſimo haud procul *Ardevila*, quo cc *Turcarum*

ſarum & Tartarorum millia cum C. millibus Perſarum conflixere, tranſactum eſt. Nam etſi clades illorum major fuiſſet, Perſæ tamen pro more ſuo, per ſpeciem fugæ, belli gerendi ceſſerant loco neque pacem *ſub lege tributi in Serico ſolvendi*, quam & impetraverunt, repetere gravati ſunt. Cum Turcæ dein *Hungariam & Germaniam* ardere bello viderent, irati *Polonis*, quod hi Tartarorum incendia per Podoliam ulturi *Coſaccos* ipſis immiſerant nec modo Coffam Tartarorum, & *Varnam* Bulgarorum, Hungaricâ olim clade funeſtatam, ſed etiam Ponto claſſibus trajecto *Trepezuntem* diruiſſent ipſique *Byzantio* commeatus intercluderent, ſtatuerunt omnes Imperii ſui vires educere in Polonos: Et *Oſmanus* nihil minus ſibi, quam univerſæ Poloniæ poſſeſſionem & ſedem *Dantiſcanam* pollicebatur, ſed quam improſpero ſucceſſu, quantâ militum calamititate ceſſerit illi hæc expeditio, vidimus in *Polonicis* ad annum 1621. Unde contemptus, ut fit & crebræ ſeditiones à *Janitzaris*, qui perdices, & à *Spahiis*, qui ſunt equites.

2. Quibus rebus miniſtri ac inter eos *Viziriꝰ Primus* exaſperati militumque peroſi contumaciam, cum nulla ratione eos dicto audientes facere poſſent, *Oſmano* perſuaſerunt, aliud præſidium eſſe quærendum, qui *nunc eſſent ordinarii milites hos ſeparandos & perdendos*. Id ut efficerent, opus eſſe magno itinere; *ſubſiſtendum aliquandiu vel in Syria vel in Ægypto*; *Conſcribendos ibi exercitus novos vetereſque deſtituendos*. Erat equidem vetus Imperii malum

lum, contumacia *Janizarorum* & de novo militum genere jam pridem & poſtea ſæpe cogitatum eſt, ſed morâ ad eam rem opus erat; *Oſmani ratio nimis erat Præceps.* Ergo iter Mecham verſus ad *Mahometis* ſepulchrum ſimulabat: ſed veritas facile ſuboluit militibus, eo quod theſauri omnes in naves conferebantur, *cum gynecæo & omni aulæ inſtrumento.* Cum autem peregrinatio illa religioſa nunquam ab ullo Sultanorum inſtituta fuiſſet, eam primo magiſtratus militeſque diſſuadere; Cum nihil proficerent, minis, ſed inermes egerunt. Tandem armati per urbem & aulam diſcurrere, *Vizirii* aliorumque capita quindecim poſtulantes. Quibus latentibus, cum *Oſmanus* nihil de incepto minuere ſeditionemque *non flectere ſed frangere vellet*, tumultuantes *Muſtapham* ejus Patruum, qui prius imperaverat, è carcere detractum ſolio impoſuerunt; Cujus nomine captus *Oſmanus* in ſeptem turrium arcem indigne raptus ibique poſtridiè ſtrangulatus eſt, *die* 22. *Maji* MDCXXII.

3. *Muſtaphæ* corporis animique morbo ad Imperium inepti vices mater ejus, cordata mulier gerebat, adjutore genero, qui *Vizirius* erat magnus, & qui metuens ſibi à fratre *Oſmani* Amurathe hunc è medio tollendum putavit. In quo incepto impeditus, ipſe dejectus & *Sultanæ* conſilio *Mehemetes* Eunuchus in ejus locum ſubſtitutus eſt, ut tum res Turcica mulieri & caſtrato ſubjecta eſſet. Eunuchus tamen brevi ceſſit *Habilo* & hic *Chuſaimo*: Erant enim plena

con-

confuſionis omnia, Præfectis in Aſiâ ſibi conſulentibus, quos inter *Abaſſa Janizarorum* hoſtem ſe profeſſus, ingentem eorum numerum interfecerat. Ergo perſuaſum eſt militibus *Kioſemi* Sultanæ, quæ mater erat *Amurathis* & *Muftis* ſummi ſacerdotis induſtriâ, cauſam omnium malorum eſſe, *Muſtaphæ imbecillitatem*, & novis opus eſſe auſpiciis, *Amurathem* in ſolium eſſe evehendum; quod dictum factum, militibus etiam donativo ſolito renuntiantibus, & *Muſtapha* recondito in cuſtodiam, qui minime tantum eâ mutatione commoveri viſus eſt, quantum mater ejus, quæ ad primos rerum novarum rumores conata *Amurathem* interficere, cum miniſter executionis oppreſſus & ſupplicio adfectus eſſet, vix à manibus ſibi inferendis abſtineri potuit; hæc anno 1623.

4. Primum novi regni factum fuit *Habili* prioris Viſirii in locum *Chuſaimi*, omnibus exoſi revocatio, quemadmodum in his revolutionibus nihil frequentius fuit, quam *Viſiriorum mutatio*: ſed difficultatibus hæc initia magnis circumdata fuere; Præfecti plures in Aſiâ, inprimis *Abaſſa*, rebelles; Tartari *Crimenſes*, in quorum clientela robur Imperii Turcici conſiſtit, Principem Conſtantinopoli probatum rejecerant ejuſque fratrem Mahometem elegerant. Ad quod retractandum miſſa claſſis & exercitus nullum habuere ſucceſſum, cæſis pluribus, at claſſe remiſſâ, *Tartaris* reverentiâ *Portæ, parcentibus*, cum omnes delere potuiſſent, anno 1625. Sequuta

Ca-

Coſaccorum expeditio maritima, qui Turcicas in Europa Aſiâque ditiones latè vaſtarunt, ipſamque Conſtantinopolin tantum non obſederunt, idque ſæpe deinceps inſtituerunt; etſi pax cum Polonis, quibus erant ſubjecti, durabat. Sed pro ratione utebantur Tartarorum prædationibus in Poloniâ, *quorum facta Turcæ præſtare debebant*. Ab altera parte *Babylon* & circumjectæ regiones à *Perſis* occupatæ, & dein Turcæ à *Babylone recuperanda* cum clade rejecti 1626. Accedebat *Hungaricum* bellum, inter *Betlenem Gaborem* & *Auſtriacos*, cui Turcæ auxiliares copias adjunxerant. Sed hoc anno ſequenti, pace finito, placuit *Tartarorum* inſolentiam diſſimulare, donec ulciſcendi daretur occaſio; *Coſaccis* nihil habentibus noceri non poterat; *Abaſſæ* datum quod flagitabat, poſtquam *Erzerumi* in finibus Perſiæ, quod occupaverat, obſidio male ceſſerat.

4. Novus inde, mulctato & abdicato priore, *Vizirius* contra Perſas bene pugnavit in campis *Amidanis*, ac inde *Babylonem* ſe contulit obſidendam & oppugnandam. Sed rurſus ingenti cum clade rejecti ſunt Turcæ anno 1631. quæ res iterum dedit cauſam removendi *Vizirii*. Nec multo poſt ſequuta eſt denuo graviſſima ſeditio militaris *Conſtantinopoli*, quæ nonniſi capitibus præcipuorum Magiſtratuum ſedari potuit. Nec quies fuit ab hac intemperie, *niſi poſtquam Amurathes* ætatis vigore animique ferociâ *ſe terribilem exhibere cœpit*, uſus etiam ſeveritate maxima adverſus ſeditioſos, primo expeditionum varia-

rum prætextu ſeparatos, dein occultis ſingulorum ſuppliciis exhauſtos, docuitque *militaribus imperiis nullum aliud eſſe frœnum, quam prudentem ſtrenui & ſeveri Principis conſtantiam*; ſine quâ nihil certius eſt, quam *Amurathi* idem eventurum fuiſſe, quod frater ejus *Oſmanus* expertus fuerat. Eaque res apud illos evidentior eſt eo, quod ſine juſtâ & æquabili ferociâ nihil æqui à Turcis inſolentibus & vanis obtineri poteſt; cujus rei hoc anno 1632. uſu venit exemplum. In nave Legati Gallici ancilla Turcica ſe occultaverat, ac ideo miniſtri nave publicatâ, filium Legati illic repertum in carcerem conjecerant. *Sueti Legatos exteros habere viliter*, conſtantiâ tamen Legatorum, qui *præciſe* per Interpretem pro jure ſuo loquebantur, æquum jus admiſerunt, ſed *Interpretem* palo infixere, quo exemplo id genus hominum haud modico Legatorum incommodo, deterritum eſt in longum, ne tam efficaciter dictata Legatorum, quam mens & uſus eorum poſtulet, *eloquantur*.

CAP. XIX.

De ſtatu Eccleſiarum.

STatus Eccleſiarum ita quemadmodum antea deſcriptus eſt, per omnem Europam hujus tempore *ſectionis* à bellorum & perſecutionum æſtu, *poſtquam Pontificii hac viâ parum profici animadverterant*, liber exactus fuerat; intentis nihilominus illis in occaſiones, ſi quæ darentur, opprimendi deſtruendique *Proteſtantes*. *Quæ circa hujus*

hujus ſectionis initia multis modis offerre ſe viſæ ſunt, primo per ipſorum inter ſe *diſſenſionem* Proteſtantium, inde à *ſuperiori ſeculo* inceptam & deinceps auctam ac obfirmatam, dein per *remiſſionem* ardoris in confeſſione fidei agendâque vitâ confeſſiori ſanctiſſimæ conveniente, ſine quibus animorum facultatibus non eſt ut Univerſitas confeſſorum, ingruente perſecutione diu conſiſtat. Hæ autem tempore pacis & proſperitatis in Proteſtantium Eccleſiis non levia detrimenta acceperant, ut vulgus *ſectæ nomen potius quam vim Profeſſionis Evangelicæ*, alii ſententias, magis animi judicio quam veritatis ſcopum affectu cordis proſequerentur. Hujuſmodi tempora, quibus *Religionum*; *quæ ſe ipſas in ſtatu belli ſuſtinere nequeunt*, internæ vires decreſcunt, abolendis illis opportuna eſſe, quæ dum creſcendo invaleſcebant, inſuperabiles erant, *calli-diores Pontificii* jam pridem obſervarunt; Eoque ab hac imprimis tempeſtate conſilia ſua non ſine magno ſucceſſu contulerunt, ut primo eos *qui ſub prævalente Pontificiorum poteſtate Reſpublicas integras ipſi non conſtituebant*, quales erant Proteſtantes in hereditariis Imperatoris ditionibus *Auſtriâ*, *Bohemiâ*, *Moravia*, nec non Reformati in *Gallia*, aggrederentur; ſecundum illos in reliquâ *Germania*, *Hungaria* & *Polonia*. In quibus vero gentibus Proteſtantes integras Reſpubl. tenebant, in his ut difficultas major, ita motus quoque gravior & lentior præſumebatur. Feſtinatum eſt hoc inſtitutum poſt *Jubilæum*, quod

Proteſtantes in memoriam ſeculi *à prima Lutheri prædicatione* elapſi modo celebraverant, quod magis excitaſſe *Pontificios* & tarditatis arguiſſe, quam zelum & ardorem in *Proteſtantibus* renovaſſe videbatur.

2. Prima occaſio nata eſt in *hereditariis Auſtriacorum ditionibus*, initio à *Bohemiâ* facto, poſtquam victoria dubium ſuſtulit, *eſſetne regnum electivum & Legitimum, an hereditariæ poteſtatis.* Modus extinguendi Proteſtantium confeſſionem à longo uſu non placuit is qui olim inſtitutus, ut *terrificis mortibus vivicomburii, vivi ſepulturæ, crucis & gladii* Euangelici tollerentur. Intellexerunt enim, plures adverſus *enormes & tranſitorias mortes*, quam ad *diuturnas vexationes* obdurare ſuos animos. Nomen *Inquiſitionis* erat in omnium populorum auribus horribile; transmiſſum hoc eſt & dicta fuit *Reformatio*, quam Imperator inſtituebat, ut *ſua vox Proteſtantibus reponeretur*; modus exercendi reformationem hanc Reformationis, appellata eſt DIÆTA, ſanandis animis, ne *ludibrio careret adflictio.* Diæta verò ſic eſt inſtituta; Paſtores exilio vel carceribus mulctati, ut orbi greges facilius in diverſas caulas abducerentur. Reluctantes adſiduis & quæſitis exactionibus, mulctis, injuriis & quovis oppreſſionum genere fatigati. Acceſſere promiſſa, minæ, quandoque tormenta corporum, obviis prætextibus, ſine fine modoque. Quali methodo vetuſtiſſimæ per *Bohæmiam & Moraviam magnamque Sileſiæ partem*, Eccleſiæ penitus

extin-

extinctæ ſunt, ut hactenus callido & crudeli conſilio ſuus effectus abunde conſtiterit. Idem in *Auſtria* non minus aſtutè & inclementer adminiſtratum, poſtquam Auſtriaci ſuperiores potiſſimum, ſumma vi bis ab ejuſmodi incommodâ diæta ſe liberare conati fuerant. Semel eodem tempore, quo *Bohami, ſub Palatino Friderico* jugum excutere conabantur. Et tum quidem *à Maximiliano Bavaro* oppreſſi, cum per aliquot annos duro habitis Imperio, *peremptoria vis Reformationis* incumberet, denuo ad arma concurrerunt, *ſexaginta millium, at* vagæ multitudinis *exercitu* collecto, ducibus tumultuariis *Fadingerio & Willingerio.* Quanquam ſi *Lintzium* urbem, ut ſumma vi conabantur, expugnasſent, *alii Duces ſine dubio ſe prodidiſſent.* Verum inde rejectis & arte deluſis ſupervenit *Papenheimus*, cum veteranis cohortibus, qui reliquias eorum penitus oppreſſit, anno 1626. ab eoque tempore *Proteſtantium nomen in Auſtria* ſublatum & pene deletum eſt.

3. Quo tempore *Pontificii in Germania* & adverſus *Evangelicos* ſe moverunt; eodem, ut *ſupra* vidimus, *Galli Reformatos* vi apertâ, quam ubique præcedere oportuit, aggreſſi ſunt, tam ſubito & quæſitis cauſis (initio ab extremitate regni, ditione *Bearnenſi*, unde nuper eandem telam redorſi ſunt, facto) ut ex eodem conſilii fonte de propagandâ fide torrentes illos fluxiſſe probabile ſit; maxime, quia ſemper hac parte *Gallici cum Auſtriacis*, Cleri & Aulæ utriuſque, *inde*

à Colloquio Bajonenſi conſenſus in promptu fuit, & Maria Ludovici XIII. mater in omni *Imperio Tutelari* ſuo, domus *Auſtriacæ* conſilia, quam potuit, comiter obſervavit iiſque ſubſerviendum putavit. Quominus autem fractis omni regno Reformatis, *eandem diatæ rationem*, quam Auſtriaci præiverant, Galli adhuc inſtituerent, non fecit fides jurata, quam Rex in *Nannetenſi* & *Nemauſenſi Edictis* eorumque renovatione dederat; nec enim tum religioſiores erant quam nuper, & fides ſemper in libidine victoris eſt; Sed obſtitit ratio ejus quod *Intereſt*, quâ tunc Auſtriacis ut potentioribus obverſi in hoc erant, ut ſe cum exteris *Proteſtantibus*, *Germanis*, *Suedis* & *Belgis* opponerent enormi Auſtriacorum potentiæ: quo adeo reſpectu contentos fuiſſe Gallos, quod *Reformatos in terminis*, *ut ita* loquar, *meræ facultatis* eos extirpandi, cum vellent, haberent, tam eventus poſterior docuit, quam prior experientia & odium gentis aulæque inreconciliabile contra *Huguenotas* dubitare non ſinunt; Etſi callidiſſime illis ab *Richelio* cæteriſque, etiam à ſuis nimium ingenioſis inſinuatum fuerit, *intereſſe Regis*, *ut partes Reformatæ conſiſterent*, modo à Rege dependentes & nocendi facultate privatæ; ut Rex haberet, quos aliis Rebellibus opponeret & diviſo imperio facilius uteretur; *Cum nihil certius ſit*, *quam inde* ab *Henrici IV. converſione*, *non fuiſſe aliud quam fuerat ſemper intimum Aulæ judicium*, *corpus hominum* toto *regno diffuſum voluntate cultuque ab omnibus diſcre-*

tum

tum, *cum exteris potentibus affectu ſacriſque conjunctum & libertatis amans eſſe periculoſum & grave onus* Dominationi Regum abſolutæ *in cives* & *Conqueſtorio inſtituto.* Quibus cauſis & gradibus Reformati vires ſuas amiſerint, ex iis quæ *ſuperius* dicta ſunt, repetere nihil attinet.

4. Poſtquam Proteſtantes ſub Auſtriacis & Gallis extincti vel ita fracti erant, ut ſemper eliminari poſſent, viſum eſt monere tempus, ut reliqui *Germaniæ Principes & populi* in eundem ſtatum reducerentur. Quæ res poſt decretoriam Cæſaris victoriam habebat facultatem; modo ad executionis prætextum ratio adeſſet ſpecioſa, quam illi dedit *Reductio bonorum Eccleſiaſticorum*, quæ Proteſtantes poſt *Paſſavienſem tranſactionem* & contra illius ſanctionem ſibi vindicaverant. Nec enim poterat negari, quin & litera & ſententia Tractatus *Paſſavienſis*, ut jam *ſuperius* indicatum eſt, faveret Pontificiis, & *Proteſtatio poſt commiſſa contraria Lutheranorem*, *juris rationem mutare non potuerat.* Sed, ut *ſummum jus aliquando ſumma eſt injuria*, ſic indulgentiâ priorum Cæſarum & longiſſimi temporis poſſeſſione res eo redacta erat, ut non tam *uſurpatio* quam *proprietas* videretur & *reſtitutio bonorum*, *nonniſi cum extremâ Proteſtantium ruinâ commiti poſſet* aperteque in ſubjectionem partium abſolutam, quæ res quærebatur, deſitura fuiſſet, ut *ſupra* demonſtratum eſt. Quando jam omnia tam immani executione perſtrepebant, interpellatio facta eſt ab *Aquilone* Θεοῦ βίᾳ, vi majore divina,

 cujus

cujus hiſtoriam vidimus, quâ ſervatum quod ſupererat, Amiſſa recuperari non potuerunt, in *utroque Palatinatu & hereditariis Auſtriacorum ditionibus*, remanente illâ inſigni Proteſtantium jacturâ, quemadmodum commiſſa fuerat: Quæ tamen longe gravius *Reformatis* ita propriè dictis, quam *Lutheranis* incubuit: qui per Gallias incogniti; de Palatinatu, per odium inveteratum, magis lætabantur atque ad ejus interitum, ſuas, ut vidimus, ſymbolas contulerunt. In *Auſtria*, *Bohemiâ*, *Moravia* viciniſque regionibus, etiam ipſi partem aliquam damni ſed longe minorem & cujus ipſi pro parte cauſa fuerant, tulerunt.

5. Acrius autem *Pontificii* in *Reformatos* multoque infeſtius quam in *Lutheranos* erant animati, cum quod longius illi ſtudiiſque acrioribus ab ipſis recedebant, tum quod libertatis amantiores & rebus eorum plus detrimenti inferebant. Terribiliores etiam facti poſt notabilem illam, quæ in *Synodo Dordracena*, paulo ante bellum *Germanicum*, apparuerat, Conjunctionem. Quâ in unum inſtar œcumenici concilium quicquid erat Reformati nominis conveniſſe & *unionem* duntaxat *Eccleſiaſticam* formaſſe videbantur. Cui licet Eccleſiæ Gallicanæ per Regis interdictum adeſſe non potuerant, hæ tamen impediri ſe nullo modo paſſæ ſunt, quominus conſenſum in doctrinâ palam, *editis canonibus*, teſtarentur; Nominatim in Synodo *Alezienſi* apud *Cebennates anno* 1621. habitâ, ubi *Canones Dordraceni* validius quam in *Hollandia* ſanciti ſunt, *jurejurando ab*

omni-

omnibus & ſingulis in Gallia Miniſtris, *exemplô* ſatis, novo de ſervandis illi exacto. Auxit ἀνθεώρη-σιν *Pontificiorum* & *Lutheranorum*, quod Ordines *Belgarum paulo poſt finitam Synodum* in Edicto publico teſtati erant, *ſe non ſeparaturos ſeſe ab aliis Reformatis Regnis*, *Principibus & populis*, quemadmodum adverſus *Germanos* reipſâ enixè demonſtrarunt; haud perinde erga *Gallos*, quibus non modo ſuppetias non tulerunt, ſed etiam perdendis illis naves & copias Regi ſubminiſtrarunt. pro quibus nonniſi multis poſt annis ægerrime, *cum precibus* & donis in miniſtros collatis aliquid ſolutionis impetrarunt, quod Dux Rohanæus *in præfatione Commentarii* ſuis illis exprobans admonet, ut videant, ne id aliquando gravius contra ipſos verteret. Sed illa ratio tum procul fuit; Metus ab *Hiſpano* & *Auſtriaca Domo* cervicibus eorum incumbens effecit, ut *Germaniæ Proteſtantes* nullo modo deſerendos, Galliæ vero Regem inteſtinis impedimentis, *ut ſe foras adverſus Auſtriacos explicaret*, liberandum putaverint; Religionis, ſi, quod res eſt dicendum, præ *ratione Status*, quam vocant, tantum non obliti; Proceres, inquam; Populi enim & *Concionatores inde jam ab illo tempore*, *judicia divina* interminari non ceſſarunt. Poſt Synodum, Heros communis Reformatorum, in quo ſpem magnarum rerum collocaverant, erat *Fridericus Palatinus*, adfinitate Anglicanâ Belgicâque cognatione ſubnixus, quem editis etiam libris *clavum* fore ſtatuebant, qui totum orbem Reformatum

figeret: Quod cum alio modo, quam præſumptum erat, impletum eſſet, deinceps in *Guſtavum Adolphum* ſpes oculique non jam *Reformatorum* ſed omnium converſi ſunt *Proteſtantium*. Et ipſe imprimis in animo, quin etiam in ore ſemper habuit, ut jam dictum, nihil prius eſſe debere, quam ut unum Proteſtantes, in civilibus duntaxat, exemplo Pontificiorum, *Caput eligerent*, aliter eos nullo modo pares futuros adverſariis. Sed ad ejuſmodi Unionem inter tot Principes populoſque ſibi invicem diffidentes, *ſola Religio, quæ tamen nec ipſa erat una*, minimè ſufficiebat. Hæc è ſuprà dictis melius intelliguntur quam heic latius explicentur.

6. Id ſilentio non videtur prætereundum, è *Proteſtantibus multos rigore Synodi Dordracenæ* fuiſſe offenſos, non tam quod *adverſarii adverſariorum judices ſediſſent*; hoc enim aliter facultatem non habebat & ſemper in Conciliis obſervatum eſt; ſed quod *ſententias inter Chriſtianos infinitæ concertationis nec unquam ſatis clare definiendas* tam peremptoriè deciderent, identidem ingeminando ſuum DAMNAMUS, quod eſt anathema Græcorum. Atqui ut res erant in Belgarum Eccleſiis, nulla ſeu veritatis, de qua perſuaſi erant, adſerendæ, ſeu quietis in Republ. vel Eccleſiâ ſtabiliendæ ſupererat ratio, quam per *Remonſtrantium oppreſſionem*. *Neque Tolerantiæ inſtitutum*, de quo omnis antehac controverſia fuerat & *qua ſtabilitâ vicerant victi, aliter quam abruptâ condemnatione* vitari poterat.

Ejuſ-

Ejuſque conſilii præſtantiam Eventus egregiè approbavit, quando ſatis conſtat, nullum adhuc aliud vinculum continuiſſe doctrinam incorruptam *Gratiæ & unionem Reformatorum*, quam rigorem illum *Dordracenæ condemnationis*; quatenus illa quidem adhuc ſalva neque multis modis luxata atque perrupta eſt; quicquid tamen ſupereſt primæ ſeveritati debetur. Inde etiam fluxit, quod Eccleſiæ omnium nationum *teſtandi conſenſus & perſeverantiæ ſuæ gratiâ in doctrina Synodi Dordracenæ*, tertio quoque anno vere adulto, quatuordecim legatos mittunt Lugdunum Batavorum, *ad inſpicienda Synodi illius autographa cum verſione ſacrarum Literarum vernacula ex recenſione Synodiq; decreto inſtitutâ*. Quæ ſolennitas numeroſæ Legationis, etſi multorum animis ab illâ vetuſtate pridem averſis, adhuc diligenter obſervatur, non aliquo cultu autograhorum, quo nihil ineptius, ſed eo quod diximus, atque etiam, ut ſi quid huic receptæ doctrinæ adverſum inrepſiſſet, in promptu eſſet querelæ apud Ordines omnium nationum inſtituendæ ratio. Cæterum, ſi *Tolerantiæ* inſtitutum, ſalvâ unione Eccleſiæ, prævaluiſſet, manifeſta res eſt, *diſſolutionem & licentiam Remonſtrantium*, ingeniis emancipatis, in omnem Eccleſiam *fuiſſe peneraturam*; quemadmodum illi, ſtatim ac *Amſtolodami* & alibi libertate potiti ſunt, primum *Arminianiſmum*, quem litem *Quinquarticulanam* vocant, jam plane deſpectui habentes, illi addidere Quæſtionem, de *capitibus Fidei fundamentalibus*, quæ

quæ per omnem Theologiam diffuſa dedit occaſionem pleriſque *Sozinianorum* doctrinis vel tacitè vel palam recipiendis: Quemadmodum hi ſe ab illo tempore ſenſim *Remonſtrantibus* primum, deinde *Mennonitis* frequentes adjunxerunt & ſub illis latitarunt. Licentiam Remonſtrantium inde ſtatim à morte *Mauritii* Principis invaleſcentem non eſt mirum Dordracenos vetereſque Theologos ferre non potuiſſe; paucis tamen hiſce qui *regimenta Reipubl tenebant* & jam multis locis manifeſto illis favebant, auſisſe opponere; quando qui ſe oppoſuerant, in locis ſuis incontinenti oppreſſos viderant, quos inter *Adrianus Smoutius & Johannes Cloppenburgius viri graviſſimi Amſtelodamenſes*, imperio Magiſtratuum ſubito, Eccleſiæ miniſterio & civitate ejecti, cum interminatione; ni *ante ſolis occaſum exirent, fore uti per Lictores educerentur*, initio anni 1630. idque eodem quo tempore *Utenbegardus* Remonſtrantium facile princeps, *Hagæ Comitis* in ædibus ſuis olim publicatis jam ipſi publicè reſtitutis habitabat, ubique dehinc verſabatur & *concionabatur*. Cujuſmodi tamen indulgentiam *Grotius anno ſequenti*, ob rationes politicas obtinere non potuit: Sed apprehenſione corporis adverſus eum decretâ, rurſus ſolum vertere coactus eſt, *die* x. 1'x *b*. 1631. Cæterum, *Amſtelodamenſes quidem*, ejuſmodi ſeveritate adverſus Concionatores ſuos deinceps uſi non ſunt, diverſâ methodo tam magiſtratuum quam Eccleſiaſtarum introductâ & ſtabilitâ.

7. Ante

7. Ante exitum hujus ſectionis ſeceſſit è militiâ per *Germaniam* & *Hungariam* exercitâ in Academiam Friſiæ Franekeranam *Renatus Deſcartes Gallus*, *Philoſophus*, quomodo nomen ſuum profeſſus eſt *apud Sixtinum Amama* Rectorem Academiæ die XVI. *Aprilis* MDCXXIX. cujus nomen ad ſtatum Eccleſiæ merito refertur. Habitavit in arce *Siardeâ*, loco ſolo, ex quo tamen cum doctis communiationem, ſi vellet, habere poſſet. Sed apparet, ſecretum quæſiviſſe meditationibus ſuis, jam pridem inchoatis, ad quas aliorum communicatione non egebat. Idcirco menſâ propriâ utebatur, habens coquum ut ſcribit, artis apprime peritum & expectans amicum è Galliâ ſocium inſtituti. Huic viro cum *Philoſophia Scholaſtica* merito diſpliceret inque vulgaribus eruditis tantam indagandæ veritatis negligentiam perſpiceret, ut nihil plenius errorum ac incertitudinis eſſet, quam ipſa quæ errores cavere docet, *Philoſophia*: nec ullum adeo principium veritatis immotum in ea deprehenderet, non putavit faciendum, quod *Menippus* olim fecit, ſi fides *Luciano*, qui poſt multam erroris experientiam *Magi* ope *Chaldæi* ad inferos profectus ex *Tireſiâ*, qui & philoſophus & vates olim fuerat divinus, veritatis viam quærendam putavit. Sed hic ſe ipſum ſeorſim adiit, deletâ prius ex animo perſuaſione rerum omnium quas antea perceperat, in quibus ullo modo fieri poſſet ut deciperetur, vel de quo ullus mortalium ambigeret: Niſi enim ejuſmodi eſſet principium,

non

non poſſe eo ſecurè cogitationes ſequentes fulciri. Cum autem vix quicquam ejuſmodi ſit, de quo nemo ambigat, vel in quo non poſſet vigilans aut ſomnians decipi, ſtatuit de omnibus eſſe dubitandum, *etiam de Deo*, *quem multi eſſe negant*; etiam, an ipſe degeret in arce *Siardæâ*, an adſideret foco, an *toga brumali*, ut erat, ita eſſet *indutus*. Immerſus ita caligine dubitationis univerſæ, ſenſit tamen, non poſſe fieri, *quin cogitaret*. Nam etſi dubitaret, an cogitaret, etſi ſomniaret ſe cogitare, tamen ipſum dubitare, licet per ſomnium, id erat *cogitare*; qui autem cogitat, hic ſe eſſe, dubitare non poteſt. Primum igitur ſcibile ſtatuit hanc eſſe poſitionem, *Cogito ergo ſum*: A quo principio tanquam filo fixo, reliquas cogitationes & veritatis indagationes inſtituit, omni auctoritate generiſque humani vel eruditorum conſenſu jam à tergo relicto & flocci habito. Quod autem ex illo principio ad ulteriora progreſſus, exactâ rerum perceptione, collectione & comparatione concluderet, ita ut *viſione mentis ſuæ clarâ & diſtinctâ* complecteretur, id tam eſſe certum ſtatuebat, quam *Deum non eſſe fallacem*; modo quis ita prudenter inſtitueret, *ne quicquam pro vero admitteret*, *quod non clare & diſtincte percepiſſet*. Id ſi quis diligenter obſervaret, præſtare poſſe τὸ ἀπείρατον, *ne in errorem ullum incideret*, ejuſque notam eſſe in *conſcientiâ viſionis* illius claræ & diſtinctæ. Hoc quidem (plura enim heic de hoc genere referre non licet) in ſe eſſe veriſſimum & ab excellentibus ingeniis

geniis quædam præclara hac viâ detegi poſſe non videtur negandum; loquimur *de curâ cavendi errores*. Sed & incommoda quædam inde ſequutura, ſi ætatem ferret hæc ratio, jam tum colligi poterat. I. Ex hac methodo penitus in animum admiſſa, oriturum eſſe contemptum & neglectum eruditionis *antiquariæ*, in qualibet arte, cui applicetur, utpote quæ auctoritate per hanc viam excluſa commendatur. II. Minora tardioraque ingenia, non fore ad eam diſciplinam apta; cum eam per ſe in ſcientiis rerum exercere nequeant: nam credulitatem implicitam, quæ diſcentibus commendari ſolet, hæc methodus excludit. III. Si talia ingenia quæ longe maximum numerum faciunt, huic viæ ſe committerent ſummamque cavendis erroribus, pro ſua facultate, curam adhiberent, non poſſe tamen fieri, quin pro more & amore ſui tanquam claras & diſtinctas perceptiones admitterent, quæ vere tales non eſſent, & tamen æque iis ac ſi eſſent veriſſimæ, fiderent, unde erroris arrogantia invincibilis. IV. Ingenia acuta ſed obliqua & prava ſuis connexionibus & collectionibus ex lege methodi, *ut ipſi percipere poſſunt*, factis, facile deflexura ad pravas & perverſas concluſiones, longe majore quam alias, αὐθεντίᾳ fiduciâque. Verum eſt, hæc incommoda non tollere præſtantiam methodi in ſe conſideratæ, Sed facere, *ut in Republ. periculoſum ſit, uſum ejus permittere in Artibus, quæ ad multos & ad uſum vitæ pertinent*, admodum probabile videtur. Præter quod in præſenti naturæ humanæ ſtatu, hæc præſumptio, quod in omnibus etiam

ob-

obſcuris & difficillimis rebus cavere quis poſſet, *ne omnino erret*, *& conſcientiam viſionis*, ut loquuntur, quæ claram & diſtinctam perceptionem continet, eſſe tam certam quam ſit veracitas Dei, revera menti humanæ plus tribuat, quam in ea ſit ac eſſe literæ ſacræ teſtantur. Accedit, quod hæc poſitio, *dubitandum eſſe* inde ab initio *de ipſo quoque Deo*, nullâ ſatis expoſitione deformitatis abſolvi potuit. Quomodo hæc philoſophia in publicum prodierit & quomodo recepta ſit, deinde videbimus.

8. De Anglicânis Eccleſiarum rebus actum eſt antehac & agetur inferius quod ſatis erit. Heic ſit

Finis tomi ſecundi

INDEX
Tomi II.

Abbas *Scaglia Sabaudiæ legatus, aulicis Galliæ factionibus ſe miſcet adverſus Richelium* 661. *ex Anglia bellum in Gallos concitat* 663.

Abjuratio *Regis Hiſp. cauſa mortis ſubitæ ſenatori Friſio* 305 *& ſequ.*

Abſolutio *Henrici IV. Romæ facta* 481.

Achmetis *Imp. Turcicæ res* 550.

Ægyptus *à Turcis occupata* 168.

Æmilia *Naſſovia Mauritii Principis ſoror nuptiis inconſultis ad tenuem redacta fortunam* 714.

Æneas *Sylvius Papa, qualis ante & poſt Papatum* 93.

Agria *capta à Turcis* 452.

Aylma *Curiæ Friſicæ Præſes factioſus & abdicatus* 413 *& ſequ.*

Albericus *Cunius dux mercenariorum ſingularis; Ejus ſucceſſores Braccius & Sfortia.* 11.

Albertus *Poloniæ Rex* 100.

Albertus *Auſtriacus Infantem Hiſpaniæ duxit* 467. *Caletum occupat* 481 *Bruxellam Princeps Belgarum ingreditur* 521. *mortuus* 708.

Albertus *Brandenburgicus Mauritii Saxonis ſocius* 189. *Germaniam populatur* 189. *Vincitur à Mauritio* 190.

Alberti *Saxoniæ Ducis res in Friſia* 156 *& ſequ.*

Alberti *Auſtriaci Imp. vita, mors* 35. 36.

Albæ *dux, Belgis præfectus, ejus res & exitus* 388 *& ſequ.*

Alcmariæ *obſidio* 393.

Algeria *à Carolo V. oppugnata infeliciter* 227.

Alexandri *VI. Papæ mores & elogium* 108. 120 *mors*

notabilis 122
Alexandri *Farneſii Regis in Belgio Præfecti res geſtæ* 410 *& ſeqq. mors* 513.
Alexander *de Medicis dux Florentinus* 215 *& ſequ ejus interitus* 219.
Alexander *Poloniæ Rex* 100.
Alligrius *Cancellarius ob imprudens dictum loco ſuo movetur in Galliâ* 661
Alphonſus *Arragonius Ferdinandi Nothi filius regno Neapolitano cedit,* 110.
Alphonſus *Arragoniæ Rex à Johanna Neopolitanâ adoptatur, capitur, Neapoli potitur* 10 *mors* 59.
Amadæus *Sabaudiæ dux Græcis contra Turcas auxiliatur* 31. *Papa creatur.* 34.
Amboina *litis cauſa inter Anglos & Belgas fœderatos* 693.
Ambroſius *Spinola capit Oſtendam* 534. *Lingam* 535. & ſequ. *Montes ad Zomam obſidet fruſtra* 708. *Bredam obſidet & capit* 717 *& ſequ. moritur* 637.
America *ſive orbis novus primum detectus* 65. 151. 229.
Amersfurtum *ab Hiſpanis captum* 730.
Amiralitatis *miniſtri quidam ob fraudes damnati, ſed omiſſa mox inquiſitio* 723.
Amſtelodamenſes *duos Concionatores in gratiam Remonſtrantium urbe ejiciunt* 750.
Amurathes *Turcarum Imp. vincit Hungaros ad Varnam* 44. 45.
Amurathes *III. Imperator Turcicus* 417.
Amurathes IV *Turcarum Imp ejus ingenium & res* 738.
Anabaptiſtæ *ſeditioſi & manſueti* 279. *& ſequ.*
Ancræi *Marchionis potentia* 496 *Res ejus reliquæ ſeqq. Interitus* 500.
Andreæ *Auſtriaci Cardinalis geſta in Belgio* 528.
Anguienſis *ducis, Franciſci Borbonii victoria ad Ceriſolas* 220.
Anglicanæ *res* 19. 75. 152. 247. 360: 502. 683.
Angli *è Galliâ ejecti pleriſque ditionibus tranſmarinis* 13.

Rurſus magna Galliæ parte potiti 15 *& ſeqq. denuo expulſi* 66. & ſequ. *Unde à Cauaa dictum illis hæſerit* 16. *in fin.*
Angli *ſub Elizabethâ, maris domini* 503. *& ſequ ab Henrico VII Regibus parere docti* 152. *etiam ab Henrico VIII* 248. *bellum Gallis movent, quaſi pro Reformatis* 666. *quos turpiter deſtituunt* 665 *& ſequ. Anglicæ, in conflictu Hiſpanicæ & Gallicæ potentiæ momentum* 247.
Angli *æs alienum à Belgis recipiunt* 512. 526
Angliæ *cives duplici juramento obſtricti* 361
Anglorum *aaverſus Regum jus ſupremum tribunitii conatus quando coeperint* 685 *& ſeqq. Coloniæ gentis in Americam* 690. *& ſequ. Expeaitio in Hiſpaniam* 693.
Anna *Piſſelocia Franciſci Regis magiſtra* 235.
Anna *Clivenſis Angliæ Regina* 251. *repudiata* 252
Anna *Britannica nubit Carolo VII* 73. *Ludovico* XII 137. *moritur* 139.
Anna *Bullenia Henrici VIII amaſia* 249. *nupta illi* 250. *capite truncata* 251.
Anſpacenſis *Marchio Dux Unionis Germ.* 569.
Antonius *Nothus Portugalliæ regnum tentat, irritus cœpti* 326.
Antonii *Borbonii Navarræ Regis imprudentia* 331. *moritur* 332.
Antonii *Gattinaræ Caroli V. Cancellarii prudens pervicacia* 226.
Antonii *Perezii caſus* 465
Antwerpia *ab Hiſpanis per ſeditionem capta* 329, *Iterum* 396 *à Gallorum invaſione liberata* 406 *à Parmenſi capta* 409 10.
Aquiſgranenſes *male multati* 432.
Arauſionenſis *Principatus, cæde Falkenburgii domino ſuo vindicatus* 677.
Arauſionenſis *Princeps Cæſareanorum dux Romæ* 213. *& ad Florentiam* 216.

Arauſionenſes *Principes quare poſt Wilhelmum non adfectaverint ſummæ poteſtatis in Belgas fœderatos titulum* 703.
Arembergius *Comes occumbit* 389.
Areſkinus *Moraviæ Comes, Scotiæ Prorex* 378.
Argentinenſes *è Reformatis Lutherani* 420.
Argentinenſe *bellum ſuper Epiſcopatu* 431.
Armaniacorum *factio Burgundicæ oppoſita* 14.
Arminii *& Gomari diſſenſio* 540 *& ſeqq.*
Arminianiſmus *primævus inter ipſos Arminianos obſoletus* 749.
Arnhemius *prævaricator belli* 613.
Arragonici *regni leges antiquæ* 464 *tolluntur à Philippo II.* 466.
Arragoniæ *Regni ſucceſſio, limitatur in gratiam Caroli V. auctoritate Ferdinandi Catholici* 147.
Arſchotius *Dux Flandriæ Gubernator captus Gandavi* 398.
Aſtoris Manfredi *Faventiæ domini indigna ſors* 110.
Auguſta *à Cæſare interdicta Religioni* 586. *occupatur à Guſtavo Adolpho & in fidem regni Suetiæ adigitur* 600.
Auguſtana *Confeſſio exhibita* 181. 274.
Aurea *Bulla Caroli IV.* p. 2.
Aulæ *Gallicæ factiones cum hoſtibus colludentes* 240.
Aurei *velleris ordo inſtituitur* 17.
Autographorum *viſitatio Dordracenorum ſingulis trienniis quam habeat cauſam.* 740.
Auſtria *à Matthia Corvino occupatur*, 54. *à Maximiliano recuperatur* 97.
Auſtriaci *Proteſtantes oppreſſi à Pontificiis* 743.
Auſtriacæ *Domus deſtruendæ modus* Henrico IV. *propoſitus* 492. *& ſequ.*
Auſtriacæ *domus pactum de ſucceſſione Hungariæ* 54. 102.

Baby-

B.

Babylon *inter Perſas & Turcas belli materia crebri* 739.
Baco *Franciſcus in Eſſexium benefactorem inofficioſus* 506.
Bajazetes *Imper. Turcicus à filio opprimitur* 165. *& ſeq.*
Bajazethes *II. Turcar. Imper. fratri majori Ziſimo prælatus à militibus* 92. *à filio Zelymo oppreſſus* 166.
Bajazethis *Solimanni filii res & fatum* 263. *& ſequ.*
Bavardus *egregius occumbit* 208.
Balagnius *Cameraci dominus independens* 480 *urbe capta, uxor ejus mœrore extinguitur* ibid.
Franciſcus Balduinus *in Religione prævaricatur* 330.
Balthaſar Gerardus *Principis Arauſionenſis parricida* 408.
Baronius *à Papatu excluſus, quare* 459.
Baſileenſe *Concilium* 34.
Bavaricæ *turbæ è teſtam. Georgii divitis* 97. *Bavaria à Guſtavo Adolpho pene ſubacta* 601.
Bearnenſis *regio cum Galliæ regno unita* 647-48.
Beatrix *Arragonia uxor Matthiæ Corvini* 57. *& ſequ. repudiatur ab Uladiſlao* 58.
Belgæ *fœderati pecuniis fœnori accipiendis tempore Mauritii non ita, ut poſtea, dediti* 715. *gentes omnes portubus Hiſpanici arcent* 716.
Belgæ *fœderati quur Proteſtantibus in Germania ſubvenerint, in Galliâ non æquè* 747.
Belgæ *fœderati quamobrem in Galliâ Reformatis iniqui* 669. 747.
Belgæ *ambientes ſubjectionem Galliæ & Angliæ non recipiuntur* 410.
Belgæ *Hiſpaniarum Regi abrogant imperium* 405.
Belgarum *initia in Indiis orientalibus* 521. *Progreſſus & augmenta* 535. *Edictum prohibendi exteros portubus Hiſpanicis* 522. 527-28.

Belgica *omnis cum Burgundiâ & Caroloſio æquipollens Ducatui Mediolanenſi* 220.
Belgica *Claſſis à Rupellanis devicta* 657.
Belgicæ *Provinciæ florentes* 262.
Belgium *quâ pateat* 85. *Belgicæ res* 86. *& ſeqq.* 155. 259. 383. 513.
Belgradum *à Turcis obſeſſum, egregiè defenſum* 47.
Bella *Religionis, proſperè licet geſta, nocere* 424.
Bellarminus *à Papatu excluſus* 459.
Belli *gerendi ratio in Germaniâ longe olim diverſa ab hodiernâ* 580.
Belli ratio *in Belgio mutata, defenſivi in offenſivum, ſatin' rectè* 514.
Berca Rheni *à Mauritio Naſſovio capta* 523.
Bethlemi Gaboris *ortus* 454. *& ſequ. res geſtæ & exitus* 616. *& ſequ.*
Bethlem *Gabor invadit Hungariam* 586.
Beza *in Colloquio Poſſiaco & Mompeligard diſpari ſucceſſu* 422. *& ſequ.*
Bibliotheca *Palatina Romam avecta* 575.
Bicoqua *Helvetiorum clade nobilis* 207.
Bironius *junior ab Henrico IV. capite mulctatur* 481. 488.
Bogermannus *Synodi Dordracenæ Præſes* 699. *& ſequ.*
Bohæmica 8. 35. 52. 205. 567. *& ſequ.*
Bohæmici *motus initia* 438. *in bellum erumpunt* 438. *Latius inflammantur* 567. *& ſequ. exitus eorum infelix* 570.
Bombardarum *origo* P. 7.
Bombardæ *ictus notabili effectu* 700.
Bona *Galeatii Ducis Mediol. vidua male conſulit ſibi & filio ſuo* 61.
Boni Publici *bellum* 68.
Bonivetus *Maris Gallici præfectus Ducatum Mediolani, urbe excepta, occupat* 208. *Cladis ad Paviam Franciſco I. Regi auctor factus* 209.
Bononia *recipit Bentivoglos* 128. *& ſequ. iterum Papæ*

po ſubjicitur 172.
Boris Moſchorum *dux* 448.
Borgiæ *Cæſaris ſcena & res geſtæ ad finem uſque* 117. *& ſeqq.*
Bothwelius *Comes, Mariam Scotiæ Reginam, cujus virum interfecerat, uxorem ducit* 376 *perit* 377.
Botſcayus *Transſylvaniæ Princeps* 455.
Boutevillius *Mommorantius ob duellum capitis ſupplicio affectus* 682.
Boulionæus *Dux fugit è Gallia, reconciliatur* 488. *minus quam Robanæus poteſt inter Reformatos* 496. *& res ejus ſparſim ſeqq. A bello religionis alienus, cauſæ tamen conſulit* 652.
Bragadini *Famaguſtæ in Cypro præfecti fortitudo & conſtantia* 316.
Brandeburgicus *Elector à Sueco ad fidem dandam cogitur* 594. *Saxoniæ Elector Palatino Friderico adverſus* 568. *A Cæſare poſt victoriam ſpretus* 577. *Juſſus arma deponere ſe cum Svecis conjungit* 595. *iis parum fidus* 602.
Braſilia *à Societate Occidentali occupata* 732.
Breda *per Stratagema capta* 515. *Rurſus à Spinolâ obſeſſa & capta* 717 *& ſeq.*
Briela *capta à Geuſiis aquatilibus* 392.
Briſſaci *res geſtæ in Pedemontio* 222 *& ſequ.*
Briſſonius *Præſes indignè trucidatus* 477.
Britannia *regno Galliæ accedit* 73. 138.
Brouniſtarum *ſecta in Angliâ* 426.
Brunswicenſe *bellum* 432.
Buckingami *Dux amat Reginam Galliæ* 663. *pellit aulicos Reginæ Anglicanæ, ut reditum in Aulam Galliæ ſibi interdictam paret* 664. *Bellum in Galliam movet ibid. & ſequ. quod bene inceptum turpiter deſtituit* 665. *& ſequ.*
Buckingamiæ *Ducis potentia & odium* 511. 690-92. *Mors* 695.
Bugenhagius *auctor Reformationis in Dania* 271.
Buquoyus *dux Cæſareanus ad Pragam vincit Bohe-*

mos 571. *Ceditur* 618.
Burgundia *Carolo V. promiſſa pace Madritenſi non tradita, quare* 233. *& ſeq.*
Burgundicæ *domus prima magnitudo* 13. *in fin.*

C.

CÆſares *vid.* Imperat.
Cæſaris *Borgiæ res geſtæ & ſcena* 117. *& ſequ.*
Calojohannes *Imp. Græc. filium ardenti aceto excæcat* 31.
Calvini *initia, progreſſus* 275 *ejus elogium & mors* 423.
Cameracum *ab Hiſpanis occupatur* 480.
Campſo Gaurus *Mamaluccorum Sultanus à Selimo victus.* 167.
Caroli Audacis *ingenium, potentia, res geſtæ & exitus* 86.
Caroloſtadius *à Luthero Witeberga ejectus* 129.
Carolus *Borbonius capit Romam ſed occumbit* 212. *& ſequ. deficit à Rege ſuo* 232.
Carolus *Canuti Rex Svetiæ electus* 39. *abdicatus* 40.
Caroli *Dyrrhachini Regis Neapolitani & Hungariæ exitus infelix* 27. 28.
Carolus I. *Angliæ Rex, ejus initia & indoles* 692. *& ſeq. Poteſtatem in Cives ſuos abſolutam adfectat* 696. *& ſequ.*
Carolus *VI Galliæ Rex* 13. *fit furioſus* 14 *mortuus* 16.
Carolus *VII. Burgundum interficit* 15 *exheredatur à Parentibus, Rex Biturigum vocatur* 16. *Coronatur* 17. *Anglos ejicit è Gallia* 66. *moritur* 67.
Caroli II. *Walliæ Principis nativitas* 696.
Carolus *Gonzaga Dux Neverius Mantuanæ ſucceſſioni admotus* 631 *multis malis conflictatur* 633 *& ſeqq.*
Carolus *Emanuel Sabaudiæ dux bellum Mantuanum movet & perſequitur* 461. *& ſeqq. Item Genevenſe cum Gallis* 629. *Monferratum occupat, cum Hiſpanis* 633 *amittit Pinarolum* 634. *moritur* 636.

Ca-

Caroli *IV. res & elogium* p. 6

Carolus *VI. Galliæ Rex*, 13. *fit phreneticus* 14. *moritur* 16.

Carolus *V. Imperator electus & inauguratus* 178. *res ejus geſtæ bello Germanico* 183. *& ſeqq. Coronatus à Pontifice* 181. 215. *Romæ concionatur in Gallum* 218. *Expeditio ejus Africana duplex* 227. *Imperium deponit, moritur; elogium* 190. in fin. & ſequ.

Carolus *V. Franciſco I. capto, quur ulterius non ſit progreſſus* 210. in fin. *Germaniam victam cur non tenuerit* 187. *Victus & fugatus à Mauritio Saxone* 188. *& ſequ.*

Carolus *V Galliæ Rex, ejus geſta & elogium* 12. 13.

Carolus *VIII. Galliæ Rex quomodo à Patre inſtitutus* 72. *ſub tutela ſororis* 73. *præripit Annam Britannicam Maximiliano Auſtriaco* 73. *Italicum bellum quo auctore & apparatu ſuſceperit* 104. 105. *quam feliciter illud confecerit* 106. 107. 108. 109. *Intrat Neapolin* 110. *In reditu bene pugnat ad Tarum fl.* 112. *Neapolitanum regnum rurſus amittit* 114. *moritur* 115.

Carolus *IX Rex Galliæ* 329. *res ejus, in ſequ. Simulatio & crudelitas* 350 *& ſequ. Mors & elogium* 359.

Carolus *Egmondanus Gelriæ dux, res & mors* 155 259-61

Carolus Lanoyus *Belga Prorex Neapol. vincit & capit Franciſcum I.* 208. *& ſequ.*

Carolus *X. Galliæ Rex proclamatus* 474.

Carolus *Sudermaniæ dux Johanni fratri adverſus* 304. *Sigiſmundum regno evolvit, ipſe Rex Svetiæ factus* 440 *& ſequ. moritur* 445.

Caroli *Walliæ Principis iter & amores in Hiſpaniâ* 642. 688-89.

Carteſii *initia Philoſophiæ* 751. *An hac expediat Reipubl. & Eccleſiæ* 753.

Caſalis *obſidio Hiſpanica à Gallis ſolvitur* 633. 637.

Caſimirus *Rex Poloniæ & ejus liberi* 41.

Joh. Caſimirus *Comes Palatinus Reformatos tuetur in Palatinatu* 294. 422. *res ejus in Belgio* 399. *& ſeq.*

Catharina *Arragonia Arthuro Walljæ Principi, Dein Henrico ejus fratri nupta* 153. *ab hoc repudiata* 249. *& ſequ. moritur* 251.
Catharinæ *Fleſcæ Genuenſis matronæ hiſtoria* 94.
Catharinæ *de Medicis Galliarum Reginæ res* 328 *& ſequ. Dictum ejus de prælio Drocenſi* 333 *moritur* 473.
Catharina *Hauvarta Angliæ Regina à Viro Henrico VIII capite truncata* 252.
Carharina *Parria ejusdem uxor, ei ſuperſtes* 253.
Cebennatium *ſeveritas in captivos ſuos* 671.
Chalæſius *Galliæ Regi à Cubiculo, res ejus & exitus* 660. *& ſequ.*
Chieraſcenſis *transactio ſuper re Mantuana* 638 *Auſtriaci monarchico inſtituto excidunt, quâ causâ* 638. *infin. & ſequ.*
Chievrii *Caroli V. Præceptoris avaritia Hiſpanos ad defectionem movet* 225. *Prudentia* 231.
Clemens *VII. Papa, calamitates ejus* 212. *Ejus ingenium* 267. *& ſeq.*
Clemens *VIII. Papa* 452. *& ſequ.*
Clivenſis *Succeſſionis controverſia* 434 *& ſeq.*
Colloquium *Marpurgenſe* 274. *Mompelgardenſe* 422. Poeſſiacum ibid. & 275. *Hagienſe* 544. *Delphenſe* 549.
Colonienſis *Reformationis inanis conatus* 183.
Columbi *expeditio in orbem novum* 65. *& ſequ.*
Concilium *Pontificibus primo exoſum, dein boni conſultum* 270 *à Proteſtantibus primo flagitatum, dein repudiatum* 272.
Concilium *Tridentinum denuo indictum* 418. *finitum* 419. *in Gallia non plane receptum* 419.
Concordatum *inter Leonem X. & Franciſcum I. Galliæ Regem* 172.
Condæus *Princeps, belli dux civilis Primus* 328. *& ſeq. II.* 360. *III.* 497. *cuſtodiæ datur* 499.
Conjeckpolſkius *Tartaros profligat* 609. *Svecorum ſupplementa opprimit* 611. *Guſtavum Adolphum prælio vincit*

vincit 612. & *ſequ.*
Conjuratio *Anglicana per fraudem pulveris nitrati* 509.
Conjuratio *Hungarica notabilis adverſus Matthiam Corvinum* 55. & *ſequ.*
Conjuratio *notabilis in Galeatium Sphortiam* 61. *in Medicæos* 63.
Conquæſtus *mercatoriis populis inutiles* 514.
Conſalvi, *qui Magnus Capitaneus eſt dictus, initium à clade* 113. *Borgiam decipit* 132. *Gallos vincit in regno Neapolitano* 124.
Conſpiratio *memorabilis in Gallia contra Guiſios* 329.
Conſtantinopolis *captâ à Turcis* 91.
Coutracenſe *prælium* 356.
Contraremonſtrantium *origo & res* 541. & *ſeq.*
Coronatio *Pontificia ab Imperatoribus neglecta* 181.
Coſacci *à Polonis deficiunt* 614. *in fin.* & *ſequ.*
Coſacci *Turcas vexant* 736.
Coſmus *de Medicis, ejus elogium* 62.
Coſmus *de Medicis Dux Florentiæ factus* 219. *Sienam acquirit* 222. *fortunâ foris illuſtri, domi funeſtâ* 313. *Regis titulum recuſat, magni Ducis acquirit* 315. *mors & elogium* 317. *in fin.* & *ſeq.*
Coſmus *II. Hetruriæ dux* 461.
Courlandiæ *Ducatus origo* 204.
Chriſtianus *Brunswicenſis bellum in Pontificios ciet* 573. *Vincitur ad Hogſtam* 525 *Siniſtram manum amittit & vincitur apud Statloam* 576. *Moritur* 581.
Chriſtianus *Elector Saxoniæ Reformatis addictus* 422. *mortuus* 431.
Chriſtianus *IV. Daniæ Rex factus* 439 *vid. in* Dania.
Chriſtianus *III. Daniæ Rex, & res ejus* 196. & *ſequ.*
Chriſtiernus *Daniæ Rex, Eliſabetham Caroli V. ſororem in uxorem ducit* 99. *fit Rex Svetiæ* 192 *per tyrannidem ſuam utroque regno evolvitur* 193. & *ſeq. in carcere moritur* 199.
Chriſtianus *Olenburgi Comes fit Rex Daniæ* 39 40. *Idem* Adolpho *Holſatiæ Duci ſuccedit* ibid.

Chriſtophorus *Columbus Americam detegit* 151.
Chriſtophorus *Daniæ, Svetiæ & Norwegiæ Rex* 39.
Cyprii *belli hiſtoria* 316.
* Cyprus *à Venetis occupata, à Turcis capta* 416.

D.

DAni *Regem eligunt* Chriſtianum *Oldenburgi Comitem* 39.
Dani *à Chriſtierno Rege deficiunt* 194.
Dani *movent bellum Auſtriacis, ejus ſucceſſus & exitus* 578. *& ſeqq.*
Daniæ *regnum ad Oldenburgicos delatum* 39.
Daniæ, Svetiæ & Norvegiæ *ſub uno ſceptro conjunjunctio ſtabilita* 25. *Cur minus diuturna* 26 *in fin. Rupta* 98. *& ſeq.* 192. *& ſeq.*
Daniel *Heinſius* 700.
Danorum *res & Reges* 25. 98. 192. 295. 439. 578.
Dantiſcani *à Svecis alieni* 610. *ab iisdem coarctati* 611.
Davidis *Georgii hæreſis* 281.
Decima *Albani parum prudenter inſtituta* 391. *Seditionis Belgicæ occaſio* 391.
Delphinus *Galliæ Franciſci I. filius veneno ſublatus* 238.
Demetrius *Moſchorum Czaris hiſtoria & exitus* 448. *& ſequ.*
Diana *Pictavienſis Dux Valentinæſia, Henrici II magiſtra, Galliam omnem regit* 241. *Ipſa amans Briſſacum* 241.
Diæta *Proteſtantibus atterendis à Pontificiis adhibita* 742.
Dithmarſi *Danos ingenti clade mactarunt* 96. *ipſi viciſſim victi & ſubacti* 295.
Donaverd. *civitas proſcripta, à Bavaro occupata* 433.
Doria, *Andreas, à Galliæ Rege deficit, Genuam liberat* 214. *Pax inter Carolum V. & Clementem VII.*

Bar-

Barcinonæ inita 215. *Pax Cameracenſis* 216. *Caſtro-Cameracenſis* 246.
Drocenſe *Prælium* 332.
Drotienſis *commiſſio inter Henricum IV. & Henoticos* 476.
Dunkercani *Belgarum navigationibus infeſti & moleſtiſſimi* 722. *in fin. & ſequ.*
Duellum *inter Carolum V. & Franciſcum I. ſolenniter conductum* 234. *& ſequ.*

E.

Eccleſiaſtica 33. & paſſim in ultimo cujuſque ſectionis capite.
Eccleſiaſtica *bona à Proteſtantibus in Germaniâ poſt tractatum Paſſavienſem occupata* 745.
Eccleſiæ *Græcæ cum Latinâ ſolennis reconciliatio ultima & irrita Florentiæ* 93. 94.
Eccleſiæ *ſub Papis corruptio* 169. *Reformatio* 173. *& ſequ.*
Eccleſiæ *Anglicanæ caput dictus Rex* 250. 361.
Eccleſiis *prohibitæ acquiſitiones rerum ſoli* 460.
Edictum *Nannetenſe* 482. *ejus argum.* 482. 557.
Edictum *Nannetenſe in forma* 557.
Edictum *Cæſaris Ferdinandi de bonis Eccleſiaſticis à Proteſtantibus occupatis, reſtituendis* 584. *& ſequ.*
Edſardi *Comitis Friſiæ Orientalis, acta Groningana* 161.
Eduardi *III. Angliæ Regis exitus* 19.
Eduardi *IV. Angliæ Regis varia fortuna* 77 *& ſequ. à Gallis pacem accipit* 70.
Eduardi *VI. Angliæ Regis ingenium & mors* 253. *& ſeq.*
Egmondani *Comitis ſtrenua in prælio ad S. Quintinum opera* 244. *Thermi copias cædit* 245. *Scribit ad Regem contra Granvellanum* 385. *Legatus in Hiſpaniam* 386. *Non vult ſe opponere Duci Albano* 388. *Capitur* 389. *Capite plectitur* 390.

Eleonora Galigæa, *Ancrei uxor, Reginam adverſus Henricum IV. incitat* 492. *ſupplicio aaficitur* 501.
Elizabeth *Angliæ Regina, ejus res & omnis vita ad mortem uſque* 360 *& ſequ. item* 502. *& ſequ.*
Embdæ *civitatis res & lites* 523. 710. 726.
Epiſcopatus *novi in Belgio* 386.
Epiſcopi *Scotis invitis obtruſi* 381.
Equites *Teutonici cum Polonis de Poeſſiaco certant* 41.
Eraſmus *in Religione neuter* 278. *infin & ſeq.*
Eraſtianorum *ſecta* 427.
Ericus *Daniæ, Svetiæ & Norwegiæ Rex creatus & abdicatus* 26. 38.
ERICUS *Svetiæ Rex, ejus ingenium, res geſtæ, fortuna varia & infelix exitus* 296. *& ſeq.*
Erla *à Turcis capta* 452.
Eſſexiæ *Comes urbem Gades occupat* 464. *Potens in Anglia, labitur & neci datur* 505 *& ſequ.*
Europæarum *rerum ſtatus circa ann.* 1356 *&* 1558. *Pap.* 1. 2. 3. *&* 283.

F.

FActio *ingens aulica adverſus Richelium abortit* 660. *& ſequ.*
Factiones *in Belgio fœderato propter inducias & ob Religionem* 540 *& ſequ.* 561. *& ſeq.* 700. *&c.*
Factiones *in Belgio tres perpetuæ* 412.
Fecco Rhala *Curiæ Friſicæ Senator Regem Hiſpaniæ deteſtaturus, ſubito moritur* 405. *& ſequ.*
Ferdinandus *& Iſabellæ Reges potentiſſimi, quare non pecunioſi* 143. *Illorum conſilia* 144.
Ferdinandus *idem poſt mortem uxoris cum genero de Caſtiliæ regimine diſcordat* 144. *Recuperat hoc* 145. *Navarram occupat* 145. *Omnium regnorum ſucceſſionem derivat in Carolum V.* 147. *Mors ejus & elogium* 146.
Ferdinandus *junior Rex Neapolit. cedit regno* 110. *Iſchiæ*

Caſtellum occupat ibid. *Reverſus in regnum profligatur* 113. *Redit & regno potitur* 114. *moritur* ibid.
Ferdinandus *I. Imperator, ejus res, elogium & mort* 288. *& ſequ.*
Ferdinandus *Archidux Bohæmiam bis tentat, irrito eventu* 436. *& ſequ. Succeſſor in Hungariâ & Bohæmia declaratur* 437. *fit Imperator* 438.
Ferdinandus *Caroli V. Frater. Hungariæ Rex* 199. *&* 201. *Bohæmia potitur* 205.
Ferdinandus *Nothus Rex Neapoleos* 59. *crudelis* 69. *moritur* 105.
Ferrarienſis *Ducatus ad ſedem Pontificiam reverſio* 457. *& ſequ.*
Finalium *ab Hiſpanis occupatum* 458.
Flandrica *expeditio Belgarum & prælium ad Neoportum* 530 *& ſequ.*
Fleuriacum *prælium* 576.
Fliſci *Genuenſis conjuratio infelix* 221.
Florentina *Reſpubl. Medicæis obnoxia* 62.
Florentini *cum Carolo VIII. ancipiti modo paciſcuntur* 107. *In libertatem ſe vindicant* ibid. *Democratiam conſtituunt* 110. *Medicæis iterum ſubjiciuntur* 132. *& ſequ Denuo in libertatem* 213. *Peremptorie ſubjecti Medicæis* 216.
Fœdus *triplex inter Gallos, Anglos, Belgas, contra Hiſpanos* 522.
Fœdus *Europæum contra Auſtriacos* 578.
Foſcarinus *Eques & Senator Venetus à ſuis injuſtè ſuſpendio publicè necatus* 627.
Franciſci *Guichardini laus* 102.
Franciſci *I. ingenium & vaticinium de illo Ludovici XII.* 141. *Potitus regno Galliæ* ibid. & ſequ. *bellum ejus Italicum* 132. 205. *&c. ambit Cæſaream dignitatem fruſtra* 142. 178, *Capitur ad Ticinum* 208. *liberatur, non ſervat conditiones pactas* 211. *Citat Carolum V. perduellionis* 218. *Provocat eum ad duellum provocatus antea* 254. *& ſequ. Auctor in Galliâ ab-*

ſolutæ & arbitrariæ poteſtatis 230. *moritur* 240.
Franciſci I. *erga Reformatos animus* 276. *& ſequ.*
Franciſci Mendozæ *expeditio trans Rhenana* 526. *& ſequ.*
Franciſcus *Andegavenſis dux, Elizabethæ Reginæ Sponſus præſumptus* 364.
Franciſcus Olivarius *Galliæ Cancellarius* 329.
Franciſcus *Sfortia Dux mercenariorum, Mediolano potitur. p.* 11. 60. *& Genuâ* 103.
Francofurtum *ad Viadrum à Svecis captum* 493.
Francothalium *traditur Hiſpanis* 577.
Friderici *Bohæmiæ Regis Primogenitus in lacu Harlemenſi ſubmerſus* 727.
Friderici *Auſtriaci Imp. electio* 36. *Inauguratio* 37. *Elogium & mors* 38.
Friderici *Toletani, Ducis Albani filii res* 393.
Fridericus *Rex Neapolit.* 114. *Exuitur regno* 124.
Fridericus *II Daniæ Rex, elogium & mors* 295.
Fridericus *Elector Saxoniæ Lutheri fautor* 174. *Tecceliun indulgentiarum nundinatorem à mortis ſupplicio liberat* 173.
Fridericus *III. Elector Palatinus Reformatæ Confeſſionis auctor, accuſatus hoc nomine, ſe defendit egregie* 292. *moritur* 294. 420.
Fridericus *IV. Elector Palatinus* 556.
Fridericus *V. Elector Palatinus ducit Elizabethen Angliæ Regis filiam* 512. *Bohæmiæ Rex fit* 438. *exſul* 570. *Moritur* 606.
Fridericus *Holſatiæ Dux à Danis Rex electus* 194.
Friſiæ *libertas à Carolo M.* 85. *factiones* 86 *incidit in poteſtatem Alberti Saxonis* 156. *& ſequ. ex parte Gelris accedit* 163. *ſub Imperium Caroli Auſtriaci concedit* 164.
Friſiæ *Orientalis res & lites* 523. 710 726.
Friſiæ *Procerum inſtitutum notabile de uniendis gentibus inter Flevum & Amaſin* 518. *Eorundem cum Gulielmo Ludovico Præfecto ſuo contentio* 519.

Friſii

Friſii *Eccleſiarum regimen in Synodo Dordracenâ ſtabilitum rigidè prohibent* 701. *Erneſtum comitem principi Mauritio præferunt* 705. *Tumultuantur* 725 *cum detrimento libertatis* 734. *& ſequ.*
Friſiorum *lites & difficultates publicæ* 529. 725.
Fronsbergius *inſignem Carolo V. operam navat* 212.

G.

Gabrielis *Eſtræa Henrici IV. magiſtra* 484. *periit veneno* 485.
Galeatius *Sfortia interfectus à conjuratis* 61.
Gallorum *res & Reges* 18. 66. 137. 27. 230. 327. 472. 645.
Galliæ *regnum Burgundiæ Ducatu auctum & Provinciæ Comitatu* 71. *item Britanniæ Ducatu* 73. *terribilis Europæ reliquæ; ſed interrupta ab Hiſpanis* 74.
Gallia *novem exercitibus ſimul lacerata* 356.
Galli *bellum Hiſpanis inferunt* 479. *non audent occupare Burgundiam comitatum metu Helvetiorum* 480.
Gallia *vectigalibus augendis intenta* 491.
Gallia *invaditur ab Hiſpanis, duce Borbonio* 232. *& ſequ. à Carolo V.* 236. 239.
Gallorum *clades ad S. Quintinum* 244.
Gallia *in ſummo invaſa ab Hiſp. periculo* 244 *& ſequ.*
Gandenſium *rebellio coercita* 238. 261. *& ſequ.*
Gandavenſe *foedus ſeu pacificatio* 396.
Gaſpar Colignius *Franciæ Admiralius. S. Quintini obſeſſus* 244. *Reformatorum Patronus* 328. *Mortis Guiſio Duci procuratæ inſimulatus* 333. *Res ejus reliquæ* 334. *& ſeqq.* 338. *&c. Vulneratus* 351. *Occiſus* 352.
Gaſtonis Foiſſæi *res geſtæ* 129. *& ſeqq.*
Gaſto *Regis Galliæ frater recuſat ducere Mompenſeriam* 660. *mox eam unice deamat* 662. *Richelium occi-*

occidere parat 661. in fin. *Aureliæ dux factus* 663. *fugit è Galliâ* 676.
Geldria *bello civili ardet inter Arnoldum Ducem ejuſque filium Adolphum* 87.
Genua *à Ledovico XI. ceſſa Franciſco Sfortiæ* 103.
Genuenſes *à Ludovico Rege XII. reducti* 119 *& ſeqq. Leges ſuas recipiunt, ut Privilegia, non ut jura conventionis* 120.
Genuenſe *bellum cum Gallis & Sabaudo* 627.
Geneva *Ducis Sabaudiæ Imperio ſe ſubducit* 239. *ab eodem inſidiis petita notabilibus* 484.
Genebrardi *concio, Legem Salicam eſſe mutabilem* 478.
Georgius *Serviæ Deſpota à Turcis ejectus, ab Huniade reſtitutus, cum Turcis colludens* 44.
Georgius *Podiebrachius Bohemiæ Rex creatur* 56. *à Papa excommunicatur & à genero Matthia Corvino oppugnatur, moritur* 52.
Georgii *Saxoniæ Ducis res in Friſiâ* 149.
Georgius Martinuſius *Cardinalis Ferdinandi juſſu occiditur* 202.
Georgius *Caſſander Moderator* 428.
Georgii *Sophocardii martyrium & vaticinium* 258.
Germanici *Imperii ſtatus poſt annum* 1356 *p.* 1.
Germania *ad conquæſtes minimè facta p.* 2. *Germanicarum rerum relatio* 80. *& ſequ. p.* 35. *p.* 95. 178. 288. 430. 566. *&c.*
Germania *à Guſtavo Adolpho tota pene ſubacta* 599. 602.
Gertrudis *montis obſidio notabilis* 517.
Geuſiorum *origo* 387. *diverſitas* 389.
Gomari *& Arminii diſſenſio* 540. *& ſequ.*
Govrii *Comitis inſidiæ in Jacobum Scotiæ Regem* 518.
Granvellanus *Cardinalis* 385.
Griſones *vallem Tellinam bello recuperare nituntur* 624. *& ſeqq. Cæduntur ab Auſtriacis* 626. *Ad compoſitionem vi & fraude adducuntur* 627.

Groenewoutius *Oldenbardeveldii filius ob conjurationem in necem Mauritii Principis capitis ſupplicio adfectus* 714.
Grolla *à Mauritio obſeſſa, dereli ta* 520. *& ſequ. Rurſus obſeſſa, derelicta* 537. *capta ab Henrico Friderico* 725.
Grombachianum *bellum* 292.
Groninga *obſeſſa à Saxonibus, Edſardo Comiti traditur, mox Gelro* 161. *& ſeqq. Burgundis* 259.
Groninga *obſeſſa & capta à fœderatis* 517. *& ſequ. controverſa cum Omlandis* 520.
Groninganis *arx impoſita* 529.
Grotius *captus* 548. *Damnatus ad carcerem perpetuum* 702. *evaſit* ibid *rediit & denuo pulſus* 750.
Grotio *in patriam reverſo exilium denuo injunctum* 750.
Guilielmus *Cliviæ Dux Gelriam invadit & pellitur* 261.
Guiſius *dux Caletum occupat, & Thionuillam. familiæ illius incrementem notabile* 245.
Guiſius *dux interfectus* 333.
Guiſius *dux, junior, Pariſios intrat, invito Rege & ipſum obruit* 357.
Guleta *capta à Carolo V.* 227. *ab Hiſpanis iterum amiſſa* 323.
Guſtavus Ericzonius, *Suecos ad defectionem à Danis concitat* 193. *Rex Sueciæ eligitur & mutat religionem* 195. *ejus filii & mors* 295.
Guſtavus *Adolphus Rex Sueciæ factus* 445. *Res ejus geſtæ in Pruſſiâ* 588. *& ſeqq. In Germaniâ* 590. *& ſequ. moritur* 605.
Guſtavi *Adolphi poſt Lipſiacam victoriam inſolentia* 600. *& ſequ.*
Guſtavi *Hornii res in Alſatiâ geſtæ* 606.

H.

HAdrianus *Ultrajectinus inexpectato modo Pontifex creatus* 266 *& ſequ.*
Hanſeatici *fœderis origo & cauſa decrementi* p. 6. 7.
Hariadenus *Barbaroſſa è privato Rex Algerienſis & Tunetanus* 226. *in fin. & ſequ.*
Harlemenſis *obſidio* 393.
Haſſelti *evacuatio cauſa diſcordiæ in Friſiis* 519.
Hatsfeldius *Roſtochii præfectus perfide cæſus* 597.
Hattemum *Hiſpanis ſtrenuè reſiſtit* 730.
Hautinius *Belgicæ Claſſis præfectus à Rupellanis victus* 657.
Heemſkerkii *Belgæ expeditio maritima & victoria in Hiſpaniâ memorabilis* 469.
Heidelberga *à Tillio capta* 575.
Helvetici *fœderis origo* 6.
Helvetii *in famam prodeunt, Carolum Audacem debellant* 88.
Helvetii *produnt Ludovicum Sforzam* 117.
Helvetii *ad Bicoquam cæſi, veterem ferociam in longum amittunt* 207.
Helvetii *viciniæ Gallicanæ metuentes* 480.
Helvetii *Novaræ obſeſſi Gallos inde pulcherrimâ eruptione profligant* 131.
Helvetii *Gallis infeſti* 130. *& ſequ.* 439. *Reconciliati* 135. 142.
Henoticorum *in Galliis origo* 356. 477.
Henricus *II. Rex Galliæ, mores ejus & res geſtæ* 241. *& ſequ. interfectus* 246.
Henricus *IV. occupat Angliæ regnum, ejus elogium & mors* 21.
Henrici *V. Angliæ Regis geſta, elogium, mors* 15. 16. 21. *in fin.* 22.
Henricus *VI. Angliæ Rex naſcitur, patris de eo vaticinium* 22. *Coronatur etiam Galliæ Rex Pariſiis* 18.

in-

infelicitas ejus continua 75. *& ſequ.*
Henricus *VII. regno facile potitus* 82. *ejus res, ingenium & imperium* 83 152.
Henrici *VIII. Imperium & mores varii* 152. *& ſequ.* 247. *& ſequ.*
Henrici *Saxoniæ Ducis res in Friſiâ* 158.
Henricus *Caſtiliæ Rex impos gignendi creditus filiam non habet ſucceſſorem* 64.
Henricus *Borbonius Princeps Condæus Religionem non ſponte mutat* 356. *res ejus* 36. *mors ejus & elogium* 356. *& ſequ. Filius ejus ſex menſibus poſt patrem natus, non XIII, ut vulgò* 357.
Henricus *Andium Dux, Poloniæ Rex factus,* 305 *& ſequ. fugit è Poloniæ & abdicatur* 307.
Henricus *Stuartus, Scotiæ Rex nuptiis Reginæ factus* 374. *interfectus* 375.
Henricus Borbonius, *Rex Navarræ ducit Margaritam Valeſiam* 350. *Religionem non ſponte mutat* 356. *fit Rex Galliæ* 474. *Religionem plane mutat* 478. *divortium ejus & novum matrimonium* 485. *mors* 994.
Henricus *Fridericus Arauſionum Princeps, ejus res geſtæ* 721. *ſequ. & paſſim*
Henricus *Caſimirus vivo patre, Friſiæ Gubernator electus* 733.
Henrietta *Balſacia, Eſtræa, Henrici IV. magiſtra* 485.
Hermannus *Elector Colonienſis, reformationem molitur* 183. *opprimitur & exauctoratur* 185.
Heroica *Soubizii Ducis expeditio in Blavetum* 659. *defenſio ſeptem in Gallia Reformatorum* 656. *Navarchi cujuſdam apud Rupellam* 657. *Guitonis Rupellæ præf.* 671.
Hibernia *Regnum facta, Henric VIII. arbitrio* 252.
Hieronymus *Savanarola Monachus Florentinus vaticinatur, comburitur* 170. *& ſequ.*
Hiſpani, *Mendoza duce, Germaniæ fines infeſtant* 431.

431. *bello impetiti irrito* 432.
Hiſpani *mari infelices* 463. *in fin & ſequ.* 643. Eorundem *error fatalis*, *in non ſubveniendis* Hugnenotis *Galliæ* 644. 670. *Unionem regnorum ſuorum moliuntur* 644.
Hiſpani *milites ſeditiones renovant* 395. *hoſtes judicati*, *egerunt hoſtiliter in Belgio* 396.
Hiſpania *rebellionem induit contra Carolum V.* 224.
Hiſpaniæ *res & Reges* 23. 64. 143. 224. 319. 463. 640.
Hiſpaniæ *Regi abrogatum ab Ordinibus Belgii Imperium* 405.
Hiſpaniæ *adverſus Angliam expeditio navalis anno* 1588. 326.
Hiſpanicæ *magnitudinis primi auctores Ferdinandus & Iſabella* 65.
Hiſpanicæ *monarchiæ decrementi cauſæ* 469. 640.
Hiſpanorum *expeditio in Velaviam* 729.
Hollandia *in tres naturales aviſæ factiones* 412.
Hollandia *cum ſociis Principi Arauſionenſi jus ſummæ poteſtatis tribuit* 404.
Hollandia *cedit in ditionem* Philippo *Burgundo* 17.
Holſatia *& Sleſvicum Daniæ regno accedunt & rurſus ſeparantur.* 9. 40.
Hornanus *Comes Granvellano adverſus* 385. *Captus ab Albano* 389. *capite plectitur* 390.
Hubertus *Duyfhuſius Ultrajectinus Paſtor ſine Conſiſtorio* 427.
Huguenoti *unde dicti*, 276.
Hungari *Ferdinandum III vivo Patre. Regem declarant.* 600.
Horutus *Lemnius è privato Rex Algerienſis* 226. *in fin & ſequ.*
Hungaria *à Solim anno vaſtata* 198. *& ſequ. in factiones ſciſſa* 199. *& ſequ.*
Hungariæ *ſucceſſio Auſtriacis pacto addicta* 54. 102.

Hungariæ *res & Reges* 27. 42. 101. 198. 305. 309. 451. 616.
Hungaricum *diadema S. Stephani, furto Elizabathes Reginæ ablatum.* 43.
Hungarorum *clades ad Varnam & cauſa ejus* 45.

I.

IAcoba Bavara, *Hollandiæ Comes male conſulit, ditione ſua exuitur à Philippo Burgundo* 16. 17.
Iacobus *Andreæ Ubiquitarius* 420.
Iacobus *Moraviæ Comes Prorex Scotiæ interfectus* 377-78.
Iacobus *IV. Scotorum Rex perit in pugnâ ad Fluidonem* 154.
Iacobi *V. Scotiæ Regis minoræ tas; matrimonia, res & mors* 256. *& ſequ.*
Iacobus *VI. Scotiæ Rex* 375. *& ſequ. Angliæ factus & res ejus* 507. *& ſequ.* 683. *& ſequ.*
Iacuppus *Perſa Rex ab uxore ſublatus veneno & ipſa ab illo* 92.
Iagello *dux Lithuaniæ fit Rex Poloniæ* 30. *moritur* 41.
Iagerendorfius *Marchio bellitumultuarii Dux* 573.
Iana Seimuria *Angliæ Regina declarata* 251.
Iarnacenſe *prælium* 336.
Iaurinum *à Turcis captum* 451. *à Chriſtianis recuperatum* 453.
Ieſuitarum *motus Romæ* 554.
Ieſuitarum *origo* 225. in fin. *Confirmatio & incrementa* 271.
Ignatii *Loyolæ converſio* 225.
Immanuel. *Græciæ Imp. implorat auxilium ab Europæis contra Turcas & quomodo exceptus* 31.
Immanuel *Philibertus Sabaudiæ Dux, Belgii Gubernator, ejus res geſtæ* 243. *Gallos vincit ad S. Quintinum* 244. *reſtituitur in ditiones ſuas* 246

Imperatores *Romano-Germani qua cauſa viribus fracti* *p.* 1. 2. 6.
Imperii *Germanii ſtatus poſt annum* 1356. *p.* 1.
Independentiſmus *emendatus* 561.
Independentium *&* *Presbyterianorum origo ſectarum in Angliâ* 426.
Indiæ *Occidentalis Societas vid.* Societas
Indiæ *Orientalis navigatio à Luſitanis detecta* 149.
Induciæ *inter Belgas & Hiſpanos quam exactè obſervatæ* 699. *quare non conntinuatæ* 706. 731.
Induciarum *Belgicarum hiſtoria* 538. *& ſeqq.*
Indulgentiarum *Papalium nundinàtio Reformandæ Eccleſiæ occaſio* 172. *& ſequ.*
Inſidiæ *in Antwerpiam Mauritii Principis irritæ* 718.
Interim *liber Carolinus* 187. 279.
Joachimus Hopperus *Friſius vir ſapiens, improſpero conſilio dato, mortuus* 395.
Iohanna *Regina Neapoli, ejus vitia & fortunæ* 9. 10.
Johannæ *puellæ Aurelianenſis hiſtoria* 17.
Johannes *Auſtriacus Chriſtianorum dux ad Echinadas* 316. *& ſequ. Tunetum occupat* 322. *Belgicæ Hiſpanienſis præfectus* 397. *vincit ad Gemblourtum* 399. *moritur* 401.
Johannes Caſimirus *Comes Palativus Reformatorum heros* 422.
Johannes Caſtellus *vulnerat Henricum IV.* 479.
Johannes *Caſtiliæ Rex ejus liberi, adfines* 24.
Johannis *Corvini* Huniadæ *res geſtæ* 43. *& ſequ.*
Johanis *Hus Conſtantiæ combuſtus* 833.
Johannes *Daniæ & Suetiæ Rex* 40. *Clade Ditmarſica Suetiam amittit* 98.
Johannes *Fridericus Elector Saxoniæ captus à Carolo V. & fortuna ejus* 185. *& ſequ.*
Johannes Galeatius *Dux Mediolan. Ejus progreſſus* 11.
Johannes *Maria filius ejus occiſus* 11.
Johannes *Galliæ Rex captivus, apud Anglos redimitur,*

ritur, ejus elogium 12.
Johanna *Graja Angliæ Regina proclamata* 254. *capite punita* 255.
Johannes *Naſſovius Gelriæ Præſes* 398.
Johannes Palæologus *Græc. Imp. Turcas vocat in auxilium, malo ſuo* 30 *& ſeq.*
Johannes *Svetiæ Rex, amoto victoque fratre, factus, ejus res geſtæ* 299. *& ſequ.*
Johannes *Sigiſmundi Svetiæ Regis frater regnum recuſat* 443. *fratris filiam ducit* 446.
Johannes *Zepuſius Hungariæ Rex electus* 200.
Johannes *Zepuſius junior Tranſſylvaniæ Princeps* 203. *ejus res geſtæ* 309. *& ſequ.*
Joüſa *Dux, Coutraci vincitur & occumbit* 356.
Iſabella *Catholica, ejus laus & mors* 144.
Iſabellæ *Johannis Hungariæ Regis viduæ fortuna* 201. *& ſequ.*
Iſabella *Franciæ Regina adulterii inceſtuoſi ſuſpecta* 14. *filio inimica* 15. *moritur* 18.
Iſabella *Henrici Caſtiliæ Regis ſoror prælata filiæ fratris* 65. *nubit Ferdinando Arragonio* ibid.
Iſmael *Sophus Perſiæ Rex* 165. *bellum ejus cum Selimo* 166.
Italici *belli initia & progreſſus* 103. *& ſequ.*
Italiæ *ſtatus p.* 2. Italicæ *res* 959. 102. 205. 622. *& ſequ.*
Judicium *ſuper Guſtavi Adolphi, poſt Lipſiacam victoriam, conſilio* 597. *& ſequ.*
Julianus *Eugenii Papæ legatus ſuadet pacem cum Turcis initam rumpi* 44. *cadit ad Varnam* 46.
Julianus *de Medicis à conjuratis interfectus* 63.
Julii *II. Papæ res geſtæ militares & contra Gallos* 125. *& ſequ.* 128. 129. *mors* 131.
Julii *III. Papæ, qui fuerat Joh. Mar. Montanus elogium* 269.
Juramentum *duplex in Angliâ* 361.

L.

Ladiſlaus *Rex Neapol: perit miro veneno* 9.
Ladiſlaus *Hungariæ Rex* 46. *moritur adoleſcens* 48.
Ladiſlaus *Huniades Ciliæ Comitem occidit, ipſe capite plectitur* 48.
Laforcius *Reformatorum Dux ſua loca Regi Galliæ vendit* 651.
Dionyſii Lambini *mors è metu* 354.
Lancaſtriæ *domus & Eboracenſis contentiones in Angliâ* 75. *& ſeq.*
Laniena *Vaſſiaca* 331. *Pariſienſis* 352.
Laurentius *de Medicis à conjuratis invaſus evadit* 13. *cum Ferdinando Neapolitano pacem facit notabilem.* ibid. *ejus prudentia, pacis in Italia cauſa* 14.
Laurentius *de Medicis Parricida Brutinus* 219.
Lauthreci *Gallorum ducis res* 206. 213.
Legati *Gallici ad Portam Turcicam in Italiâ interfecti, cauſa novi belli* 220.
Legatus *Polonus ab Elizabethe Angla refutatus* 504.
Leiceſtrius *Comes Adſociationis pro Reginâ Elizabethe auctor* 368. *Præfectus Belgio minus ſecundâ famâ* 411. *& ſequ.*
Leiceſtrianum *tempus Reip. anceps* 417. *& ſeq.*
Leidenſis *obſidio ſoluta* 395.
Leo X. Papa *dat occaſionem Eccleſiæ reformandæ* 172. *ejus ingenium* 266.
Leodienſium *Civitas à Carolo Burgundo deſtructa & diſſipata* 86.
Lermæ *Ducis Hiſpaniæ Regis miniſtri primarii ingenium* 469. *exitus* 641.
Libertas *quo ſenſu pretioſa & aurea* 108.
Licentia *Religionum in Belgio cum Remonſtrantibus imprimis increbuit* 769. *& ſequ.*
Liguæ *ſive Unionis Pontificiæ in Galliis origo* 357. 477.

Lim-

Limburgum *à Belgis fœderatis captum* 734.
Lipſiacum *prælium* 596.
Livonia *Polonis tradita* 204. *Livoniæ Rex appellatus Daniæ Regis frater Magnus* 302. *Palæſtra Svecorum, Polonorum & Ruſſorum* 303. *tota à Svedis occupata* 589.
Lotharingiæ *Dux à Gallis ad fœdus iniquum compulſus* 629. *Iterum* 680.
Lubeccenſium *potentia maritima & Notabilis conatus* 196. *& ſequ.*
Lubeccenſis *pax inter Danum & Cæſarem* 583.
Lucretia *Alexandri VI. filia* 119.
Ludovicus Sfortia *concitor belli Italici* 104. *nepotem Johannem Galeatium Ducem è medio tollit* 101. *ipſe Ducatum occupat* 106. *fœdus contra Gallos init* 111. *ejus laus* 114. *error* 115. *pellitur à Gallis Ducatu* 116. *Recuperat eundem, ſed proditus capitur & includitur* 117.
Ludovicus *XII. Rex Gall. Res ejus ante regnum* 72. 73. *Res ejus in Italiâ* 116. *& ſequ. Regnum* 138. *& ſeq. Elogium ejus & mors* 140. 141.
Ludovicus *Elector Palatinus Reformatam confeſſionem tollit* 294.
Ludovicus *Hungariæ Rex* 102. *ejus clades & exitus infelix* 198. *& ſequ.*
Ludovici *Magni Hungariæ & Poloniæ Regis duæ filiæ ſuccedunt in ſingula regna* 27.
Ludovicus *Hungariæ Rex* 128. *à Turcis victus & cæſus apud Mohatz* 199.
Ludovicus *XI. Rex Galliæ, exſul à Patre, obliquus omnibus, res ejus geſtæ* 67. *& ſequ.*
Ludovicus *XIII. Rex, natus* 487. *Rex factus* 494. *Ancræum interfici jubet* 500. *Ab uxore alienior* 663.
Ludovicus Borbonius *Princeps Condæus capitis damnatus & liberatus* 329. *res ejus geſtæ* 330. *& ſequ. Interfectus* 337.

 Ludo-

Ludovicus *Naſſavius adeſt Nobilibus Parmenſi Margaritæ ſupplicantibus* 386. *Vincit Hiſpanos ad Heiligerlæam* 389. *Vincitur à Duce Albano* 390. *Montes capit* 392. *moritur.* 394.
Ludovici *Requeſenii Ducis Albani ſucceſſor* 394. *moritur* 395.
Luinæus *Ancræi interficiendi auctor* 500. *omni Regis favore potitur* 501. *moritur* 650. 501.
Luſitaniæ *Reges & res* 24. 66. 149. 228. 323. 471.
Lutetia Pariſiorum *obſeſſa* 470. *Rurſus obſeſſa & liberata* 476.
Lutherus *quis, unde coeperit* 173. *ejus ingenium, mores & progreſſus* 174. *& ſequ. Stat Vormatiæ in Comitiis, à Cæſare proſcribitur* 179. *moritur* 183.
Lutherani *in periculo mutationis notabili* 554. *& ſequ.*
Lutheranum *prælium* 582.
Lutzenicum *prælium* 605.

M.

MAdritenſis *conventio pacifica de valle Tellina* 624. *effectu deſtituta.* *ſequ.*
Magdeburgum *à Mauritio ad deditionem compellitur* 188. *Deficit è Cæſare Ferdinando* 592. *Capitur & exſcinditur* 593.
Magdeburgenſes *immaturè ſe pro Suecis declarant* 592. *Capiuntur & vaſtantur à Tillio* 593.
Magni *Munchi Gutlandiæ Prætoris adverſus Regem Chriſtiernum notabile factum* 194.
Mahometis *II. qui cepit Conſtantinopolin, res geſtæ* 91.
Mahometes *III. Imp. Turcicus novendecim fratres ſtrangulat* 549. *ipſe moritur* 550.
Mayenenſis *Dux Legatus Franciæ, res geſtæ* 473. *& ſeqq.*
Male Contentorum *factio & bellum* 401.
Mamaluccorum *regni initum & finis* 166. *& ſequ.*

Mantuani *belli origo* 461. *progreſſus* 462. *Renovatur* 631. *& ſequ. Urbs capta per proditionem* 635.
Mantuani *belli cauſa & progreſſus* 631.
Mantuana *Pax Ratisbonæ facta* 637.
Margarita *Herois, prima Daniæ, Suetiæ & Norwegiæ Regina* 25. 26.
Margarita *Henrici VI. uxor male conſulit* 75. *varia illius molimina & fortuna* 76. *& ſeqq.*
Margarita *Franciſci Regis ſoror addicta Reformationi* 276. *deficit* 277.
Margarita *Caroli Audacis vidua, ſubornandi Principes artifex* 83. 84.
Margarita *Caroli V. filia naturalis nubit Alexandro de Medicis* 215. *Octavio Farneſio* 221. *Belgii Præfes facta & res ejus* 283. in fin. *& ſequ.*
Mariæ *Hungariæ Reginæ hiſtoria notabilis* 27. 28.
Maria *Burgunda Caroli Audacis filia* 88. *nubit Maximiliano Auſtriaco & moritur* 89.
Maria *Angliæ Regina, res ejus* 255. *mors* 266.
Maria *Scotiæ Regina Delphino Galliæ nupta* 259. *redit in Scotiam* 373. *Errores ejus, fortuna & captivitas* 374. *& ſeqq. Capite punita* 369. *& ſeqq.*
Maria *de Medicis uxor Henrici IV.* 485. *non bene cum Viro convenit* 492. *Coronata* 494. *Regens declarata* 494. *in cuſtodiam data* 500. *fin. & ſequ.* 645. *Richelio obnoxia* 645. *Illum Regi commendavit* 675. *Cuſtodita* 676. *Evaſit in Brabantiam.* 677.
Marignani *prælium* 135.
Marillacus, *Franciæ Mareſcallus in gratiam Richelii capite punitus* 680.
Marpurgenſis *ditio Darmſtadienſi adverſus Caſſellanum adjudicata* 577.
Marpurgenſe *Colloquium* 274.
Matthias *Corvinus Hungariæ Rex & res ejus geſtæ* 49. *& ſeqq.*
Matthias *Flacius Illyricus* 420
Matthias *Archidux Rudolpho fratri bellum movet* 435.

Bohemia potitur 437. *Imperator ibid. mutatus notabiliter* 438. *moritur* 438.
Matthias *Auſtriacus Belgarum ab Ordinibus Gubernator conſtitutus* 398. *dimiſſus* 404. in fin.
Mauritius *Haſſiæ Lantgravius Calviniſmum introducit* 432.
Mauritius *Saxo Johannem Fridericum agnatum oppugnat* 184. *Electoratu potitur* 187. *Carolum V. oppugnat & vincit* ibid in fin. & ſequ. *occumbit* 190.
Mauritius *Naſſavius Hollandiæ Gubernator factus* 414. *res ab eo geſtæ* 515. *& ſeqq. Vincit Hiſpanos ad Neoportum* 531. *Paci vel induciis adverſatur* 538. *Contra-remonſtrantibus ſe adjungit* 546. *Superat opprimitque Remonſtrantes* 547. *Noluit, etſi poſſet, eſſe Comes Hollandiæ* 703. *Heres Philippi fratris* ibid. *Vitæ ejus inſidiæ ſtruuntur* 713. *Frugalis privatim & publicè* 715. *moritur* 718.
Mauri *in Hiſpania penitus oppreſſi* 65. *reliquiæ illorum penitus ejectæ & extinctæ* 470.
Maximilianus *Auſtriacus duplicem injuriam à Gallis acceptam languide ulciſcitur* 73. *ejus ingenium & Imperium* 97.
Maximilianus *II. Imperator* 291. *ejus elogium, liberi & mors* 293.
Maximilianus *Bavariæ Dux Bohæmos apud Pragam vincit* 571. *Elector creatur* 577.
Maximiliani *Auſtriaci pugna cum Turcis ad* Kereotheſch, *ubi pars utraque fugit* 452.
Maximiliani *Cæſaris bellum de Mediol.* 135. *& ſequ.*
Medicæorum *potentia Florentiæ* 62. *Interrumpitur conjuratione, ſed reſtituitur* 63.
Medicæi *Florentiæ reſtituuntur* 133. *vid.* Florent. 13.
Mediolanum *venit in poteſtatem Vice Comitum.* 10 *Franciſci Sfortiæ* 60.
Mediolanſienſis *Ducatus mutationes & bella* 11. 61. 16.

Mediolani *urbs mirabiliter capitur à Proſpero Columnâ* 206. *Ducem accipit Franciſcum Sforzam* 207. *Redit ad Cæſarem & Hiſpanos* 217.
Mediolanenſis *Ducatus valuit omnes Belgicas Provincias cum Burgundiâ & Carolæſio Comitatu* 220.
Melanchton *Svinglianiſmi ſuſpectus* 42.
Melitenſis *inſulæ obſidio irrita* 314.
Meneholdenſe *bellum* 496.
Menno *Simonis origo, mors* 280. *& ſequ.*
Merargius *Maſſiliæ proditionem agitans* 492.
Merindolenſium *carnificina* 277.
Metis *urbs Imperialis à Gallis occupatur* 188.
Mercatura *Hiſpanienſis prohibita Belgis* 526.
Mercoerius *Dux cum Henrico IV. reconciliatus* 482. *ejus res geſtæ in Hungaria* 454.
Merodius *Friſiæ Gubernator* 406. in fin.
Mihael Hoſpitalius, *Galliæ Cancellarius* 329.
Michaëlis *Walachiæ Præfecti res & exitus* 453. *& ſequ.*
Mirandæ *obſidio per Julium II. Papam in caſtris præſentem* 128.
Minda *ingenti cum ſtrage capta* 582.
Mocana *clades* 394.
Modenenſis *Ducatus cum Rhegio inſtitutio* 418.
Moderatores *in causâ Religionis* 278. *& ſequ.*
Monaſterienſis *regni ſcena fanatici* 280.
Monaſteria *ab Henrico VIII. everſa* 251.
Monconturienſe *prælium* 33.
Mongommerius *Comes Henricum II. haſtiludio interficit* 246. *capite mulctatur.*
Monmorantius *dux in Italia rem pulchre gerit* 636. *à Rege deficit* 680. *Victus, captus & capite multatus* 681. *& ſequ.*
Mompelgardenſe *Colloquium* 422.
Monſpelienſis *pax inter Galliæ Regem & Reformatos* 652.
Montis Albani *obſidio notabilis & irrita* 649.

Mon-

Monzonenſis *pax* 630.
Morbus *Gallicus, Hiſpanicus, Neapolitanus, unde tam variè dictus* 214.
Mulhemenſe *prælium* 185.
Munitoriæ *artes à Belgis maxime exercitæ* 515.
Munitiones *Spinolæ ad Bredam toto orbe maximæ* 757.
Muſcovici *Imperii origo, ut nunc eſt,* 42.
Muſcoviticæ *turbæ* 448. *& ſequ.*
Muſtapha *Solimanni filius à Patre interfectus* 264.
Muſtapha *Turcicus Imp. factus, abdicatus* 551. *Rejectus & denuo abdicatus* 737. *& ſequ.*

N.

NAerdena *capta & miſere mulctata* 393.
Nannetenſis *Edicti forma & obligatio pro Reformatis in Gallia* 557.
Navarra *occupatur à Ferdinando Catholico* 145 225.
Navigationes *in utramque Indiam ab Hiſpanis inchoatæ & provectæ* 149. *& ſequ.* 229.
Neapolitani *regni motus & mutationes* 9. 10. 59. 110. 114.
Neapolitanum *regnum à Lautrecho Gallo invaditur, ejus rei ſucceſſus* 213. *& ſequ.*
Nemauſina *pax in Gallia* 672. *& ſequ.*
Nobiles *Belgæ libellum ſupplicem Duci Parmenſi Præfecto offerunt* 386.
Norwegiæ *regnum hereditarium factum* 98. *Steno Sturius ſenior & junior Sueciæ adminiſtratores* 98. 99.
Novaræ *obſidio & eruptio Helvetiorum memorabilis* 131.

Obſſ.

O.

OBſidio *Pictaviæ præpoſterè à Reformatis inſtituta* 337. *Fani Johannis Angelici obſidio à Regiis perverſe inſtituta* 337.
Octavius *Farneſius Parmæ Dux recuperat Placentiam* 222.
Oggerſhemii *jocularia deditio* 572.
Olaus *Petri auctor Reformationis in Suetiâ* 27.
Oldenbarneveldius *Hallandiæ Advocatus* 539. *& ſequ. captus* 548. *Capite mulctatus* 701. *& ſeq.*
Olivarius *Comes-Dux Philippo IV. ſummus* 642.
Optimates *in Belgio fœderato prævalent* 513.
Oſtendæ *obſidio* 534.
Ordines *Galliæ conventus Generalium* 497.
Ornanus *Andegavenſis Ducis rector amicus, ejus res & exitus* 661. *& ſequ.*
Oſſunæ *ducis Proregis Neopolit. conatus & exitus* 622. *& ſequ.*
Oſmanus *Imp. Turcarum factus* 551. *Res ejus & exitus infelix* 735. *& ſequ.*

P.

PAcis *Belgico Hiſpanicæ conatus irriti* 525.
Pactiones *inter Principes, de pace non niſi communi conſenſu ineunda parum ſervatæ* 483.
Palatinatus *à Spinola invaditur* 569.
Papa *terribilis Henrico IV. & quare* 483. 553.
Papam *eſſe Antichriſtum, poſitio Reformata, in Galliis agitata, non admiſſa* 559.
Paparum *corruptela multiplex* 169. *& ſeq.*
Papæ *vid. Pontif. mortui nomen gentilitium exclamatur* 312.
Papenheinius *Comes Lauvenburgicum Ducem vincit* 592. *Lipſienſis prælii incentor & pars cladis* 596.

 apud

apud Trajectum Moſæ cruentam fert repulſam 604. *Cæſus* 605.
Paræi *liber, ubi de jure civium adverſus Reges, in Angliâ damnatus & combuſtus* 686. in fin. & ſequ.
Pariſienſis *tumultus adverſus Regem Henricum III.* 357. *c.* 472. *obſidentur* 474. *Iterum* 476. *recipiunt Henricum IV.* 478.
Pariofiorum *urbs obſeſſa* 474. 476.
Palamenti *Anglicani adverſus Regem vis & auctoritas unde coeperit* 685 *& ſeqq.*
Palamentum *Angliæ neſcium obſiſtere imperiis Regum* 152. 248. 252. *Aliam induit mentem* 686.
Parmenſis *Princeps Lutetiam liberat* 476.
Paſſavienſis *tranſactio confirmata* 288. *non ſervata in bonis Eccleſiaſticis* 584. *Executioni data adverſus Proteſtantes* 585.
Pavienſis *Prælii hiſtoria* 209.
Pauletinæ *origo in Galliis* 491.
Paulus *Tomoreus Hungaricæ cladis auctor* 199.
Pauli *III. Papæ elogium* 268.
Pauli *IV. Pontificis res* 269.
Pauli Veniſii *ſtupendum vobur* 51.
Paulus Servita *ſcribit pro Venetis contra Papam* 410.
Paulus *IV. Papa Galliæ Regem excitat ad inducias cum Hiſpanis rumpendas* 223.
Paulus *V. Papa litem & bellum movet Venetis* 460.
Pax *Vervinenſis* 482. *& ſequ.*
Pax *Creſpiaca inter Carolum V. & Franciſcum I.* 239.
Pax *ſecunda Religionis in Gallia* 659. *vid. Religionis*
Perfidiæ *inſignis exemplum* 120.
Perkinus *Warbeek, alias, Richardus Eboraci Dux* 84.
Perronii *Cardinalis cum Pleſſio Mornæo Colloquium* 558.
Perſecutio *Reformatorum in Galliâ* 277. *& ſequ.* 238. *in Belgio* 278.
Perſia *Turcis erepta & ab indigenis vindicata* 165.
Peſcarius *Marchio præcipuus victoriæ Pavienſis auctor* 207.

209. *querulus & proditor mortuus* 211
Petri Capponi *Florentiæ ſigniferi error notabilis* 133
Petrus *Aloyſius Farneſius à conjuratis interfectus Placentiæ* 221.
Petrus Dathenus *Concionator Gandavenſis Arauſionenſem vocat Atheum* 400.
Petrus *Crudelis Caſtiliæ Rex, ejus res & finis* 23. 24.
Petrus de Medicis *Laurentii filius, cauſam belli Italiæ præbet* 103 *Gallis præcipua Florentinorum loca tradit* 106. *pellitur Florentiâ* 107.
Petrus Baſtelicus *Corſus uxorem privatim adficit ſupplicio capitis* 314. & ſequ.
Petrus Heinius *portum omnium ſanctorum occupat* 719. *claſſe Hiſpanienſi argentiferâ potitur* 727.
Petrus *Peckius Brabantiæ Cancellarius* 706.
Philippi *Melanhtonis moderatio* 179.
Philippi Lantgravii *dictum de bello Germanico* 185. *deditur Cæſari & carceri mancipatur* 186. *liberatur* 189.
Philippi *III. Hiſpaniæ Regis initium* 469. *ingenium* 640. *Mors* 641.
Philippi *IV. initia & ingenium* 641.
Philippus *Burgundus Ludovicum Aurelianenſem interfici curat* 14.
Philippus *Burgundus cum Anglis Galliam oppugnat* 15. *in* fin. & ſequ. *Hollandiam occupat, Zutfaniam & Namurcum Comitatus emit*, 17. *pacem cum Gallis facit* 18. *ejus potentia* 85. *mors* 86.
Philippus *Arauſionenſis Princeps mortuus, ejus teſtamentum* 703.
Philippus *Arauſionenſis ex Hiſpaniâ in Belgium redit* 521 *moritur* 703.
Philippus *Auſtriacus Caroli V. Pater ſuccedit in Belgicas provincias* 89. *in Hiſpaniæ regna jura dotali* 144. *mors immatura*
Philippus Comminæus *Carolo Burgundo à cubiculo, corruptus à Ludovico XI.* 69.

Pinarolium *à Richelio Captum* 634. *pactione firmatum* 638.
Piſani *à Florentinis deficiunt* 108.
Pius *IV. & V. Pontifices* 312. *& ſequ.*
Pius *IV. Pontifex, ejus elogium* 419.
Poliorcetica *à Naſſoviis in Belgio maxime exculta* 515.
Poloni *Turcas, Oſmanno Imperatore, pulchrè depellunt è regno* 607. *& ſequ. Inducias cum Suecis ineunt* 614.
Poloni, *Rege vivente, ſucceſſorem declarare nolunt* 615. *Regis eligendi ratio* 615.
Polonia *Lithuaniæ juncta* 30.
Poloniæ *res & Reges* 30. 27. 30. 41. 100. 203. 447. 607.
Poltrotius *Guiſium Ducem ex inſidiis occidit* 333.
Pontificia *ſedes Avenione Romam reducta, rurſus Avenionæ ſtabilita* 33.
Pontificii *quur magis infeſti Reformatis quam Lutheranis* 746.
Pontificiorum *methodus in Proteſtantibus opprimendis* 741. *& ſequ.*
Pontificum *Romæ ambitio ipſis noxia* p. 3.
Pontificum *conatus ad recuperandam in Reges & principes antiquam poteſtatem* 552. & ſeqq. *ad opprimendos Proteſtantes* 553. in fin. & ſeqq.
Portugallia *vid.* Luſitania
Portugalliæ *regni ſucceſſio dubia* 324. *occupatur à Philippo Hiſpano* 325.
Poſſiacum *Colloquium* 330. 422.
Pragenſe *prælium* 571.
Pragmatica *conſtitutio Eccleſiæ Gallicanæ abolita* 172.
Præcedentiæ *quæſtio inter Hiſpanos & Gallos* 313. *& ſequ.*
Prædeſtinationis *doctrina exagitari coepta* 622. *in Belgio maxime* 520. *& ſeqq.* 562.
Prælium *ad Tarum anceps, utrâque parte ſibi victoriam arrogan-*

arrogante 112.
Presbyteria *Optimatibus & Principibus ſuſpecta* 428.
Presbyterianorum *& Independentium in Anglia ſectarum origo* 426.
Principum *in populos ſuos poteſtas olim minor quam hodie & quare* p. 5.
Privatenſe *bellum in Galliâ* 647.
Privilegiorum *à juribus conventionalibus diſcrimen* 126.
Poteſtantium *nomen unde ortum* 272.
Poteſtantium *Religionis imminutæ cauſæ* 741. *& ſeq.*
Proteſtatio *Parlamenti Anglicani adverſus Jacobum Regem de jure ſuo* 686.
Pruſſicum *bellum inter Suecos & Polonos* 589.
Pruſſia *ab Equitibus Teutonicis ad Poloniæ regnum ſe applicat* 41.
Pulveris *nitrati origo* p. 7.
Puritanorum *& Epiſcopalium factiones in Angliâ natæ* 425.
Puritanorum *Schiſma in Anglia* 560. *& ſeqq.*
Puſieuzius *Galliæ Regis ſummus miniſter ad breve* 653. *& ſeqq.*

R.

Petri Rami *mors indigna* 354.
Ravaillacus *Henrici IV. parricida* 494.
Ravennenſe *prælium* 129. *& ſequ.*
Raulegius *Eſſexii inimicus* 506. *capite mulctatus* 510.
Reformatio *cur in Italia & Hiſpaniâ recepta non fuerit* 269. *&* 270.
Reformatio *Eccleſiæ à variis tentata* 170. *& ſequ. per Lutherum inſtituta* 173. *& ſeq. magis ad doctrinam quam ad mores pertigit* 176. *& ſequ.*
Reformatio *in Anglia per Elizabethen* 361.
Reformatio *religionis in Anglia* 251. 253. 361.
Reformatis *adſerta pax religioſa* 420.

Reformatis *in Galliâ Viribus exutis quur ſtatim non ſit adhibita vis conſcientiis* 744.
Reformatorum *in Gallia ſtatus ſub Henrico IV.* 556. *& ſequ.*
Reformatorum *bella de religione per Galliam* 327. *& ſeq.* 645. *& ſequ.*
Reformatos *opprimendi conſilium & cauſæ* 646. *& ſeq.*
Religionis *bella pro illa, nocere licet proſpera* 424. *Primum religionis in Gallia bellum* 331. *Secundum* 335. *Tertium* 336. *Quartum* 356. *Quintum* 358. *Sextum* 362. *Septimum* 364. *Rurſus primum* 647. *Secundum* 655. *Tertium* 664.
Remonſtrantium *origo & res* 541. *& ſequ.*
Remonſtrantes *Amſtelodami Henrici Principis opera prævalent* 727.
Remonſtrantium *nonnulli Mauritio Principi necem ſtruunt* 713.
Renatus *Carteſius* 751.
Rennebergius *Comes, res & exitus ejus* 397. 402.
Rhodus *inſula à Turcis capta* 263. *& ſequ.*
Richardus *Angliæ rex ejus ingenium & exitus infelix* 19. *& ſeqq.*
Richardus Eboracenſis *Dux adverſus Henricum VI. inſurgit* 75. *victor, victus & cæſus* 76.
Richardus *Gloceſtriæ dux Eduardum Valliæ principem trucidat, ut & fratrem Clarentiæ Ducem* 80. *& fratris filios regni ſucceſſores* 81. *Ipſe fit Rex* ibid. *victus & cæſus ab* Henrico VII.
Richelius *Reginæ matris conſiliarius* 499 *capitur cum illa* 500. *in fin. Reginæ regnantis amator* 663. *à Regina matre alienatur* 675. *Regem regit nec amatur ab illo* 675. *res ejus* paſſim alibi.
Rixa *Principis Mauricii & Oldenbarneveldii notabilis* 546.
Robles *Friſiæ Gubernator* 397.
Rohanæi *Ducis acutum de bello religionis ſecundo conſilium* 655.

Rohanæus *dux, ejus res geſtæ* 496. *& ſeqq. Sparſim.*
Rohanæi *ducis, Matris conſtantia* 670. *& ſeqq.*
Roma *urbs à Colonnenſibus capta* 212. *Rurſus à Borbonio* ibid. & ſequ.
Romania *quo jure Pontifici ſubjecta* 118.
Roxolana *Solimani Turcæ uxor virum regit, filiorum ejus facta* 264. *& ſeqq.*
Ruartus *Brabantiæ creatus Arauſienſis* 398.
Rudolphus II. *Imperator ſegnis imperii* 430. *à fratre ſubigitur* 435. *moritur* 437.
Rupellæ *obſidio & deditio* 669. 670.

S.

SAbaudia *à Gallis occupata* 218.
Sacramentarium *bellum* 274.
Sanctio *Pragmatica inſtituta* 34. *Abolita* 172.
Scandarbegus *in Italia* 59. *ejus res & elogium* 90.
Schiſma *Pontificium Conſtantiæ ſublatum* 33.
Scotorum *ad Præſtinum clades* 258.
Scoticæ *res* 256. 353. 507.
Scotorum *clades ad Fluidonem* 154.
Sebaſtianus *Portugalliæ Rex redivivus* 471. & ſequ.
Sebaſtianus *Rex Portugalliæ factus* 228. *perit in Africâ*
Selymi *Imperatoris Turcici res geſtæ* 166. *& ſeqq.*
Selymus II. *Imperator Turcicus res & mors ejus* 415. *& ſeqq.*
Serveti *hæreſis & ſupplicium* 281-82.
Siena *urbs à Gallis occupata, derelicta, Coſmo de Medicis donata* 222.
Sigiſmundus *Svetiæ Princeps electus Poloniæ Rex* 309. *Succedit in Sveciam & regno evolutus* 439. *& ſeq. Res ejus in Polonia* 447.
Sigiſmundus *Auguſtus Poloniæ Rex* 204. 305.
Sigiſmundi *Bathorei Transſylvani Principis res & exitus* 453. *& ſeq.*

Sigiſ-

Sigiſmundus *Imp. ejus elogium p. 7. quando coronatus* 8. *Rex Hungariæ factus* 28. *Victus ad Nicopolin* ibid. *Fuga ejus immanis* 29 *Moritur* 8.
Sigiſmundi *Poloniæ Regis acta* 203. *& ſeq.*
Sigiſmundus *Poloniæ Rex à Piecharſio nefarie invaſus & vulneratus* 608. *duas ſorores habuit uxores* 615.
Sigiſmundus *Aug. Poloniæ Rex & res ejus,* 10c. *& ſeq.* 203. *& ſeq.*
Silvæ *ducis obſidio* 729 *& ſeq.*
Sinquintinenſis *victoria* 244.
Smalcaldicum *fœdus* 181 *bellum* 183. *& ſeqq.*
Societatis *Indiæ Occidentalis initia* 719. *portum omnium Sanctorum occupat* 720. *Claſſe argentifera Hiſpanorum potitur* 727.
Socini *ortus* 282. *Progreſſus* 429.
Sociniani *in Belgium appulſi* 565.
Solimanni *Turcæ res geſtæ* 198. *& ſequ.* 263. *& ſeq. moritur* 300.
Sommerſethus *Angliæ Protector* 253. *Capite punitus* 254.
Sorbonæ *decretum, de Francis fide Regi ſuo data liberatis* 472.
Soubizii *Ducis heroica Blaveti portus invaſio & exitus* 655.
Spectrum *Ferdinandi ſenioris filio prædicens interitum ſtirpis* 104.
Stadthouder, *ejus poteſtas* 720. *& ſeq. Optimatibus Belgarum multis inviſa* 721. *& ſeq.*
Status *rerum in Europa circa annum* 1356. *& circa annum* 1558. Pag. 1. 2. 3. *&* 283.
Steccati *controverſia inter Hiſpanos & Venetos* 626.
Stenovici *obſidio* 516.
Stephanus *Poloniæ Rex* 307. *res ejus, mors & elogium* 308.
Stuartorum *familiæ regno Scotiæ potita* 19.
Sveco-*Germanici belli cauſæ & progreſſus* 590. *& ſeq.*
Svedi *Regi Sigismundo regnum abrogant* 443.

Svecorum *adverſus Cæſareanos conflictus ad Noribergam minus felix* 603.
Svecorum *Reges & res* 25. 98. 192. 295. 439. 588. *&c.*
Sveciæ *cum Daniâ ſub uno ſceptro cunjunctio, cur minus diuturna* 26. *Rupta* 98. *& ſequ.* 192. *&c.*
Sullius *dux poſt obitum Henrici IV. amotus ab ærario* 495. *tuetur ſe per Reformatos & generum Rehanæum* 496.
Summa Poteſtas *abſque Comitis titulo Arauſionenſi permiſſa ab Hollandis & ſociis* 404.
Svinglius *Reformationis auctor Helvetiis* 177.
Suinglius *in prælio occumbit* 275.
Synodus *nationalis in Belgis agitata* 542. *Convocata* 548. *Habita deſinit* 780.
Synodi *Dordracenæ rigor multis ingratus, reverâ neceſſarius* 748. *& ſequ.*
Syria *à Turcis occupata* 167.

T.

Teccelius *Indulgentiarum nundinator, in periculo, ne ſacco incluſus mergeretur* 172. *& ſequ.*
Telignius *Colignii gener* 351. *& ſeqq.*
Temirlanis *res geſtæ* 32.
Thomas *Morus ab Henrico VIII. capite mulctatus* 250.
Thomas Cromwellus *Reformationis auctor ſub Henrico VIII.* 521. *gratiam & caput amittit* 251.
Thomæ *Muntzeri ſeditio* 180.
Thuanus *Præſes lanienam Pariſienſem laudare coactus* 354.
Tillius *Bavariæ ducis Præfectus* 571. *Superat Manſfeldium ad Mingelshenium & ipſe rurſus vincitur, mox iterum vincit Marchionem Durlacenſem* 574. *Chriſtianum Brunſwic. ſuperat & Heidelbergam capit* 575. *Daniæ Regi cum ſociis incúmbit* 579. *Mauritium*

tium Haſſum abdicare ſe cogit 582. *Vincit Danos ad Lutherum arcem* 582. *Imperatoris exercitibus præficitur* 587. *Svecis ſe opponit* 592. *Magdeburgum capit* 593. *Saxonem premit* 595. *Vincitur ad Lipſiam* 596. *moritur* 600.
Togati *in Galliâ Principibus validiores* 486.
Tolerantiæ *decretum ab Ordinib. Holl.* 544.
Tomumbejus *Mamalucorum Sultanus à Selymo victus & punitus* 167.
Trajecti *ad Moſam obſidio & deditio* 733. *& ſequ.*
Tranſſylvania *ab Hungariâ ſeparata* 203. *Reliqua vid. in* Hungaricis
Tranſſylvania *in principatum redacta ſeorſim.* 201. 203.
Trapezuntinum *Imperium à Turcis everſum* 91.
Triumviratus *Gallicus contra Reformatos* 330.
Tunetum *à Carolo V. captum* 227. *ab Hiſpanis amiſſum.*
Turnhoutia *clades* 523.
Turcarum *contra Perſas bellum & adverſus Polonos infelix* 736. *Abſque ſeveritate regi nequeunt* 740.
Turcarum *clades ad Echinadas* 316. *& ſequ.*
Turcarum *res & Reges* 29. 31. 44. 47. 49. 165. 263. 415. 549.
Turcæ *partem Thraciæ & Callipolin occupant, ut & Serviam, Græcor. Imperatorem lege tributi obſtringunt* 31. *à Temirlane graviter opprimuntur* 32.
Turcæ Gallorum *foederati in eorum portu hibernant* 239.
Tutela Electoralis *ex Aureâ bullâ, Teſtamento an mutari poſſit* 437.
Typographicæ *artis inventio* 95.
Tyrannidis *ſive arbitrariæ poteſtatis initia in Europa* 66. *adde ſect.* 5. *&* 84.

V.

Vallis Tellina *ab Hiſpanis munita* 459. *bellum vallis Tellinæ* 623. *& ſeqq.*
Vallis Tellina *defecit à Griſonibus* 623; *bellum ejus causâ geſtum* 624. *& ſeqq.*
Varnenſis *clades, incentore Eugenio Papa, memorabilis causâ & exitu* 44. 45.
Vaſcus *de Gamma in Indiam navigat* 150.
Varvicenſis *Comes potens in Anglia, Eduardum IV. facit Regem* 77. *eundem dejicit* 78. *Henricum VI. reſtituit* 79. *victus & cæſus* 80.
Vaticiniis *deceptus Princeps* 273.
Ubiquitaria *controverſia primum orta* 273.
Ubiquitariæ *controverſiæ origo* 273. *progreſſus* 420.
Venceſlaus *Imp. abdicatus* p. 7.
Veneti *foedus cum Belgis foederatis ineunt* 622.
Veneti *à Gallis victi* 126. *Omnes ſuas terras offerunt Maximiliano, ut redimant pacem* 127.
Vergerius *Pontificis legatus deficit ad Proteſtantes* 418.
Veneti *in bellum incidunt cum Paulo V. Papâ* 459.
Veſalia *à Belgis foederatis capta* 739.
Virtembergicum *bellum* 182.
Uladiſlaus *IV. Poloniæ Rex creatus* 615.
Uladiſlaus *III. Poloniæ Rex, ad Hungariæ regnum vocatus* 43. *res ejus* 44. *cæditur à Turcis ad Varnam* 45.
Uladiſlaus *III. Hungariæ & Bohœmiæ Rex modicæ auctoritatis* 101.
Unio *Ultrajectina* 402. & 3.
Unio *Evangelica contrahitur* 434. *diſſolvitur* 570.
Ultrajectini *foederis ortus & leges* 402. *& ſeqq.*
Ultrajectina *ditio Carolo V. ſubjecta* 260.
Vieuvillius *Galliæ Regis ſummus miniſter ad breve* 654.
Viglius Svichemus 385.

 Cun-

Cunradi Vorſtii *vocatio Leidenſis* 543.
Urbinenſe *bellum notabile* 137.
Urbini *ducatus ſedi Romanæ acquiſitus* 639.
Uſcochi *prædones* 461. *& ſequ.*
Uſum-Caſſanes *Perſarum Rex* 91. *& ſequ.*
Utenbogardi *reditus & domus publicata, reſtituta*
Utenbogardus *Paſtor Hagienſis* 541. 562. *&c.*
Uxor *à marito privatim capitis ſupplicio adfecta* 315.

W.

WAllenſteinius *Cæſaris Dux adverſus Danum* 579. *Mansfeldium vincit ad Deſſaviam* 580. *fit Dux Megapolitanus* 583. *Danum adigit ad pacem* ibid. *Abrogatur ei imperium* 587. *Reſtituitur ſumma cum poteſtate* 602. *Svecoreſiſtit apud Noribergam* 603. *Prælio cum illo ancipite certat apud Lutzam* 605.
Wilhelmi *II. Arauſionenſis Principis nativitas* 724.
Wilhelmi *Naſſovii ingenium Carolo V. probatum.* 261.
Wilhelmi Ludovici *Friſiæ Præfecti conſilium de mutandâ ratione belli* 514. *cum Friſiæ Proceribus contentio* 519. *mors & elogium* 704.
Wolſæi *Cardinalis Henrici VIII. miniſtri arrogantia* 247. *Interitus* 249.

Zebets

Z.

ZAbata *in Savo condita* 50.
Joh. Ziſca, *de cute ſua tympanum fieri jubet.* 8.
Ziſimus *Bajazethis Turcici Imp. frater natu major ab illo excluſus fugit Rhodum, inde in Galliam traducitur, poſtremo Romam, perit* 92.
Zuythamptonicum *foedus inter Anglos & Belgas foederatos* 693.

Omiſſa ſub Lit. E.

Edictum *ad omnes populos de portubus hoſtium non frequentandis* 502. 527. *& ſeq.* 716.

Sub Lit. L.

Locorum *quorundam fatalis convenientia* 352.
Luſtrationum *militarium fraudes in Belgio* 522.

FINIS.

Pag: 37. *poſt verbum* recuperavit;
Omiſſus eſt hic locus;

Adverſus Helvetios tamen graviſſimo conflixit bello, anno 1599. etſi junctis ſibi cunctis Svevici fœderis viribus. Cauſa belli vetus ab excuſſo Auſtriaco jugo, cui dein ſubjecti fuerant & Spes illos ad obſequii legem reducendi. Occaſio fuit, è quibuſdam recentibus, ut fit, inter vicinos, injuriis. Intra ſemeſtre ſpatium quinque cruentis prœliis dimicatum eſt. Primo prope Brigantium, menſe *Februario*. Rurſus in Conſpectu *Baſileæ* vergente Martio, Auſtriacis numero Helvetios ultra duplum ſuperantibus. Tertio ad *Fraſtantium*, pari numerorum diſcrimine. Quarto in Alpibus inter Rhetos & Atheſinos, ſub exitum Maji. Quinto ad *Dorneggum* arcem in Rauracis, menſe *Julio*. Cunctis prœliis inferior fuit *Maximilianus*, amiſſis ſedecim millibus ſuorum & paſſus interim perire Ludovicum Sforzam adfinem ſuum & Ducatum Mediolanenſam ingenti pudore ſuo paſſus rapi à Gallis. *Helveetii* pace, quibus vellent, legibus potiti, concorditer inde cum *Auſtriacis* egerunt.

Errata Corrigenda

Pag. 34. & ſeqq. in ſummâ linea, L. *Hiſpanica*
248. *Materteram* pro, amitam
269. Julius III.
328. *Ludovico* pro, Henrico.
416. *Sultano.*
439. *Friderico.*
569. L. 1620.
621. *Urbe opportunâ.*

Reliqua Lectoris æquitati committuntur.

A01 1468702